

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio III.  
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція III.

---

# EPISTOLAE

METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM

THEODOSII ROSTOCKYJ  
HERACLII LISOWSKYJ  
GREGORII KOCHANOWICZ  
JOSAPHAT BULHAK

1788-1838

PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM

ROMAE 1980

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT (PIAZZA S. PRISCA)

---

LIBERALITATE EX.MI D. BASILII LOSTEN  
Episcopi Stanfordensis Ucrainorum

# **« ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI »**

**(Series II)**

## **Ex Sectione I-ma - « OPERA »:**

1. WOJNAR M., OSBM, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum, Romae 1949*, pp. XX - 218.
2. SOLOWIJ M., OSBM, *De reformatioe liturgica Heraclii Lisowskyj* (1784-1809), Romae 1950, pp. XII - 128.
39. ФЕДЮК П.Й., *Святий Василій Великий і християське аскетичне життя*, Рим-Торонто 1978, стор. 230. (St. Basil the Great and the christian ascetic life).
40. ВАВРИК М.М., *Нарис розвитку і стану Василіянського Чина XVII-XX ст.*, Рим 1979, стор. XXIV - 218 - мапа. (Evolutionis Ordinis Basiliani saec. XVII-XX delineatio).

**(sequitur)**

## **Ex Sectione II-a : ANALECTA (periodica-miscel.)**

Vol. I, fasc. 1, 2-3, 4: Romae 1949, 1950, 1953 (pp. 680)

Vol. II, fasc. 1-2, 3-4: Romae 1954, 1956 (pp. 578)

Vol. III, fasc. 1-2, 3-4: Romae 1958, 1960 (pp. 640)

Vol. IV, fasc. 1-2, 3-4: Romae 1963, 1963 (pp. 572)

Vol. V, fasc. 1-4: Romae 1967. (pp. XIV, 420; reeditio ex s. I)

Vol. VI, fasc. 1-4: Romae 1967, (pp. XVI, 608)

Vol. VII, fasc. 1-4: Romae 1971 (pp. X, 572)

Vol. VIII, fasc. 1-4: Romae 1973 (pp. XII, 492)

Vol. IX, fasc. 1-4: Romae 1974 (pp. X, 558)

Vol. X, fasc. 1-4: Romae 1979, (pp. 554)

**(sequitur)**

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III



*Sectio III:*

**DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE  
IN TERRIS UCRAINAЕ ET BIELARUSJAE  
CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA**

---

**EPISTOLAE METROPOLITARUM, ARCHIEPISCOPORUM  
ET EPISCOPORUM**

---

COLLEGERUNT: ATHANASIUS G. WELYKYJ ET PORPHYRIUS B. PIDRUTCHNYJ  
O. S. B. M.

R O M A E

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio III.  
Серія ІІ. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція ІІІ.

---

# EPISTOLAE

METROPOLITARUM KIOVIENSIMUM CATHOLICORUM

THEODOSII ROSTOCKYJ  
HERACLII LISOWSKYJ  
GREGORII KOCHANOWICZ  
JOSAPHAT BULHAK

1788-1838

PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIU G. WELYKYJ, OSBM

ROMAE 1980

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT (PIAZZA S. PRISCA)

---

LIBERALITATE EX. MI D. BASILII LOSTEN  
Episcopi Stanfordinensis Ucrainorum

**IMPRIMI POTEST**

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 15. XI. 1980.

P. Isidorus I. PATRYLO, OSBM  
*Protoarchimandrita*

**IMPRIMATUR**

Romae, e Vicariatu Urbis, die 1. XII. 1980.

JOANNES CANESTRI, *Vicesgerens*  
*Archiep.pus Moteranus*

EXCELLENTISSIMO . AC . REVERENDISSIMO . DOMINO  
DOMINO . BASILIO . LOSTEN  
EPISCOPO . STANFORDENSI . UCRAINORUM . CATHOLICORUM  
STATUUM . FOEDERATORUM . AMERICAE . SEPTENTRIONALIS  
MUNIFICENTISSIMO . HUIUS . VOLUMINIS . FUNDATORI SIT  
  
« MONUMENTUM . AERE . PERENNIS ».  
POSTERORUM . GRATA . MEMORIA.

« ANALECTA OSBM »





BASILIUS LOSTEN  
Episcopus Stanforiensis Ucrainorum Cath.



## BIOGRAPHIC NOTES OF BISHOP BASIL LOSTEN

*Bishop Basil Losten, youngest son of the late John and Julia nee Petryshyn, was born on May 11, 1930, in Chesapeake City, Maryland.*

*Having studied at the Immaculate Conception School in Elkton, Maryland, Saint Basil's School in Philadelphia and Saint Basil's Preparatory Seminary in Stamford Conn., he graduate in June 1953 from Saint Basil's College with a Bachelor's Degree. In June 1957, he received his Master's Degree in theology from the Catholic University of America in Washington.*

*Ordained a priest on June 10, 1957, Father Losten was appointed chancery secretary (Nov. 15, 1958) and from 1958 to 1962, served as administrator in several parishes in and around Philadelphia.*

*Metropolitan Ambrose Senyshyn appointed him as his personal secretary in 1962, and in 1964, a member of the Archdiocesan Building Commission.*

*In 1966, the late Pope Paul VI appointed him Papal Chamberlain, and on May 4, 1971, the Holy Father elevated him to the titular See of Arcadiopolis appointing him Auxiliary to Metropolitan A. Senyshyn of Philadelphia.*

*Consecrated on May 25, 1971, Bishop Losten continued in his former duties as diocesan comptroller and president of Ascension Manor, a senior citizens apartment development which he founded; he headed the Ukrainian Committee for the 41st International Eucharistic Congress, founded the Metropolitan Choir and was active in other ways.*

*On June 8, 1976, Bishop Losten became Apostolic Administrator Sede plena of the Philadelphia See, and on October 1, 1977, he was transferred to the See of Stamford as its third Eparch.*

*"For his efforts in helping to preserve and strengthen the language and the culture of the Ukrainian heritage", on March 5, 1980, he received an honorary degree of Doctor of Laws from the Sacred Heart University in Bridgeport, Conn.*

## БІОГРАФІЧНІ ВІДМІТКИ

---

### ПРЕОСВ. КИР ВАСИЛЬ ЛОСТЕН

Єпископ Василь Лостен, наймолодший син покійних Івана і Юлії (з дому Петришин), народився 11 травня 1930 р., в Чесапік, Мериленд.

Спочатку вчився в школі Неп. Зачаття, в Ельктон, Мд., відтак же й у школі Святого Василія, у Філадельфії. Згодом вступив до Єпархіальної Семінарії і каледжу Св. Василія, в Стемфорді, який, в 1953 р., закінчив дипломом. Теологію студіював у Католицькому Університеті, у Вашингтоні, де одержав (1957 р.) ступінь магістра св. богослов'я.

Дня 10 червня 1957 р. прийняв єрейські свячення в катедрі Неп. Зачаття, в Філадельфії.

Дня 15 листопада 1958 р. був назначений секретарем Єпископської Канцелярії та, від 1958 до 1962, як адміністратор, обслуговував різні парафії в Філадельфії та в околиці.

В 1962 р. митр. Амвросій Сенишин назначив його своїм особистим секретарем, а, в 1964 р., — членом Будівельної Комісії Архієпархії. В 1966 р. Папа Павло VI відзначив його гідністю Папського Шамбеляна.

Дня 4 травня 1971 р. Папа Павло VI підніс його до єпископської гідності, надаючи йому титул єпископа Аркадіополя, назначуючи його водночас помічником Філадельфійського Митрополита. Єпископські свячення, 25 травня 1971 р., прийняв з рук митр. А. Сенишина та його співслужителів — сп. Ярослава Габра і сп. Михайла Дудика.

Як єпископ-помічник, Владика Лостен далі виконував обов'язки єпархіального економа; був головою «Вознесіння» — притулку для старших, якого був також ініціатором й основником; очолював Український Комітет для 41-го Міжнародного Євхаристійного Конгресу; дав почин організації «Митрополітального Хору» тощо.

Дня 8 червня 1976 р., з-за недуги митр. Амвросія Сенишина, став Apostольським Адміністратором «седе плена» Філадельфійської Архієпархії.

Дня 1 жовтня 1977 р. Ап. Делегат проголосив його третім Єпархом Стемфордської Єпархії. Введення у сан довершив (7.XII) Преосв. Йосиф Шмондюк, тодішній голова Укр. Кат. Церкви в ЗДА.

За його заслуги для збереження української спадщини (мови й культури), Sacred Heart University, в Бриджспорт, Кон., надав йому почесний докторат з Права (5 травня 1980).

## INTRODUCTIO

Volumine IX-no « *Epistolarum Metropolitarum Kioviensium catholicorum: Theodosii Rostockyj – Heraclii Lisowskyj – Gregorii Kochanowicz – Josaphat Bulhak (1788-1838)* » concluditur series epistolarum Metropolitarum Kioviensium catholicorum, quam quinque lustris publici fecimus iuris. Anno 1805 concluditur series canonica Metropolitarum Kioviensium; anno vero 1838 etiam series Metropolitarum-Administratorum.

Revera die 25 Januarii 1805 anni obiit Petropoli in Moscovia metropolita Theodosius Rostockyj (1788-1805), post decem annos exilii e sua sede (1795-1805). Cum eius obitu series canonica Metropolitarum concluditur, quia postea Sancta Sedes non erat amplius in possibilitate ad canonicam approbationem Metropolitarum Kioviensium procedendi. Proinde variis modis administrationis utebatur, ut necessitatibus Metropoliae Kioviensis provideret.

Ultima duo lustra Metropolitae Theodosii Rostockyj sub Catharina II et Paulo I pro Ecclesia Unita pessima fuerunt, dum annis 1795-6 unus Archiepiscopus Polocensis (H. Lisowskyj) in sede sua permansit et reliquias Unitorum administrabat. Tempore Pauli I (1796-1801) Legatus pontificius Laurentius Litta Petropoli permanebat et negotia Unitorum et quasdam Eparchias reconstruere conabatur, sed solum ex parte successum habuit, non tamen quoad Metropolitam, qui et sub Alexandro I (1801-1825) Petropoli remansit.

Post obitum Theodosii an. 1805, dum in Halicia, sub Austria, erectio Metropoliae Haliciensis parabatur, Alexander I ad quamdam solutionem erat paratus et Heraclio Lisowskyj, Archiepiscopo Polocensi permisit Administrationem Unitorum in suo Regno, qui, emissa professione fidei catholicae coram suo Clero, actum metropoliticum consecrationis episcopi Gregorii Kochanowicz, sui Suffraganei, perfecit et alias actus (1806-1809) complevit, temporibus periodi napoleonicae in Europa et deportationis Pii Papae VII in Galliam, quando communicatio cum Sede Apostolica omnino impossibilis evasit, praesertim confirmatio Metropolitae Kioviensis.

Ideo anno 1809, post obitum Heraclii, nominatus fuit in Metropolitam Unitorum Gregorius Kochanowicz, Episcopus Luceoriensis (1809-1814), qui in fundamento s.d. « epikiae » administrationem Metropoliae recepit. De eius administratione pauca tantummodo habentur documenta; tempora erant

difficillima, bellis permixta; de negotiis ecclesiasticis pauci tantummodo cogitabant.

Post s.d. « Congressum Viennensem » (1815) et relegationem Napoleonis in insulam S. Helenae (1815), iterum et res ecclesiasticae revixerunt. Tunc etiam et Metropolia Unitorum in Moscovia revivere coepit et Alexander I annuit, ut episcopus Berestensis Josaphat Bulhak metropoliam acciperet et in coniunctionem cum Sede Apostolica intraret; sed Sedes Apostolica eidem solummodo administrationem concessit (1817), quam ipse usque ad suam mortem an. 1838 retinuit, dum eius Suffraganei apostasiam parabant et tandem perfecerunt an. 1839, duce Josepho Siemaszko.

His annis, post mortem Theodosii Rostockyj, documenta romana sat pauca prostant, praesertim temporibus Lisowskyj, Kochanowicz et Bulhak, et quaedam etiam ex Archivis localibus sumuntur, lingua palaeoslava vel polona conscripta, solitis abbreviationibus adhibitis ex usu Cancellariae huius temporis, quas iam in praecedentibus voluminibus explicavimus.

Anno 1838 Metropolia Kiovensis catholica existere cessavit, et usque ad hodierna tempora vacat; ei Metropolia Haliciensis ab anno 1807 subintravit.

Tandem praeficere necessum est, prout ex dedicatione patet, volumen hoc munificentia et liberalitate Ex.mi et Ill.mi Domini Basilii Losten, Episcopi Stanfordinensis Ucrainorum Catholicorum, apparebat, cui Deus Optimus Maximus remuneret donis suis terrenis et coelestibus quemque servet in columem in multos et felices annos!

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM

EPISTOLAE  
METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM

Vol. IX

1788-1838



**EPISTOLAE THEODOSII ROSTOCKYJ  
Metropolitae Kioviensis**

**(1788 - 1805)**





ТЕОДОСІЙ РОСТОЦЬКИЙ — БУЛА ПОЧАСНОГО СВЯТОГО МІСІЯ  
ДЛЯ ВІРМЕНІВ У КІОВІ 1805

THEODOSIUS ROSTOCKYJ  
Metropolita Kioviensis (1788-1805)



## **THEODOSII ROSTOCKYJ BIOGRAPHIA**

Theodosius Rostockyj, Metropolita Kioviensis, natus est anno 1727 in Lithuania, ut filius Slonimensis civitatensis Iudicis Casimiri et Annae, Ritus Latini, Nobilium lithuanorum. Post studia minora, apta filio Nobilium, mox ingressus est Ordinem Basilianorum Provinciae Lithuanae, Ritum mutavit, et post Novitiatum et Studia philosophica, missus est ad studia theologica Romam, ubi die 6 Novembris 1750 ingressus est Collegium Graecorum ad S. Athanasium. Absoluta theologia et acceptis Ordinibus sacris de manibus Archiepiscopi Dyrrachiensis Josephi Schirò, Ordinante Graecorum in Urbe, anno 1754, eodem anno, die 16 Aprilis, rediit in Patriam, simul cum Gedeone Horbackyj, Alumno eiusdem Collegii, qui postea fuit episcopus Pinscensis.

Post redditum in Patriam, ut mos fuit in Ordine Basiliiano, erat Lector philosophiae clericorum Basilianorum et dein etiam theologiae, amatus a discipulis et laudatus a Superioribus. Mox nominatus fuit Rector scholarum publicarum Volodimiriae et administrator archimandriæ Zydyczynensis nec non Secretarius Provinciae Lithuanae, et dein etiam Secretarius Generalis totius Ordinis.

Anno 1776, in Capitulo Provinciali Bythenensi, electus fuit in Provincialem Provinciae Lithuanae ad quadriennium (1776-1780), dein reelectus ad idem Officium in Capitulo Torokanensi 1780. Fuit optimus administrator negotiorum Provinciae.

Cum anno 1784 episcopus Chelmensis Maximilianus Ryllo translatus fuit ad Sedem Peremysliensem, et Sedes Chelmensis vacavit, iam in Maio 1784 promotus fuit ad hanc Sedem Theodosius Rostockyj, qui simul et Coadiutoriam Metropoliae Kioviensis obtinuit, post obitum praematurum Gedeonis Daszkowicz-Horbackyj, olim sui condiscipuli romani in Collegio Graecorum (1754). In episcopum Chelmensem consecratus fuit a suo Coadiuto-Jasone Smogorzewskyj anno 1785, mense Junio.

Primum Rostockyj venit Chelmam, ubi paucō tempore remansit, quia haec Sedes ei non placuit, etsi Cathedram Chelmensem intus notabiliter renovavit et palatium episcopale restauravit; mox tamen contulit se in Podlachiam et alias regiones, ut suo Coadiuto Smogorzewskyj auxilium paeberet, aetate et salute fracto. Haec visitatio canonica efficax fuit, tum ex parte visitatoris tum ex parte populi, cuius spiritus a Visitatore elevatus fuit.

Hoc tempore in Volhinia Rostockyj etiam Regem Poloniae Stanislaum Poniatowski invenit, qui eum benignissime exceptit.

Die 1 Novembris 1788 Metropolita Kioviensis Jason Smogorzewskyj obiit Radomisliae in Ucraina, 72-mo anno vitae, cui statim, iure coadiutoriae, Theodosius Rostockyj successit, facta iterata vice professione fidei, die 6 Novembris 1788. Simul cum Metropolia Rostockyj etiam Sedem Chelmensem retinuit usque ad annum 1790, quo anno ei successit in Sede Chelmensi Porphyrius Skarbek Wažynskyj, olim Protoarchimandrita Basilianus et Provincialis Lithuaniae.

Anno 1790 (29.7.), post duo fere saecula conaminum, Theodosius Rostockyj locum obtinuit in Senatu carentis Regni Poloniae, quem etsi non iusto gradu, tamen cum debita solemnitate obtinuit; attamen talem dignitatem non iam exercere valuit, ob tertiam et definitivam partitionem Regni Poloniae (1795) et suam relegationem in civitatem Petropolitanam, ubi anno 1805 obiit.

Post tertiam partitionem Regni Poloniae (1795) Imperatrix Catharina II Ecclesiam Unitam omnino annihilare statuit, fundando ad hoc s.d. «Missionem» ad convertendos Ruthenos unitos ad orthodoxiam; revera, mox maxima pars Unitorum, minis vel promissionibus, ad Ecclesiam dominantem transiit; hisce de causis, praesertim ex falsa interpretatione circumstantiarum, etiam ad Ritum transivit Latinum, praesertim in Alba Russia et dioecesi Polocensi, quae sola remansit in vita, dum aliae sublatae fuerunt. Ex aliis solummodo eparchia Camenecensis obstabat fortiter persecutionibus, gaudens vicinitate Imperii Austriae et faciliori recursu Romam.

Post tertiam exdivisionem Poloniae (1795), variis edictis editis, Imperatrix Catharina II liberam viam populo unito ad orthodoxiam aperuit; dein mox officium Metropolitanum sustulit, Metropolitae Rostockyj Petropolim vel Romam cum 5 millis rublonum sedem eligi permisit; alios episcopos ad claustra monastica cum 3 millibus rublonum pensionis relegavit, et paucas ecclesias catholicas (ad 400) in Lithuania, Russia Alba, Volhinia, et Ucraina unico remanenti episcopo Heraclio Lisowskyj, Archiepiscopo Polocensi, administrandas reliquit (1795-1798).

Rostockyj Petropolim se contulit; anno 1796 Imperatrix Catharina II obiit, cui successit Paulus I (1796-1801), qui plurimos favores Ecclesiae Unitae concessit, quosdam episcopos curam pastoralem exercere permisit, sed Metropolitae ad sua redire prohibuit et metropolitanam potestatem exercere interdixit, non obstante interventu Laurentii Litta, Legati Pontificii, Petropoli. Positio Metropolitae Petropoli valde difficilis erat et communicatio cum ipso tantummodo mediante Legato Imperii Austriaci erat possibilis.

Morte repentina et violenta Pauli I anno 1801 subsecuta (12 Martii), successit eius filius natu maior Alexander I (1801-1825), qui et res politicas

nec non ex parte et ecclesiasticas mutavit. Sors tamen Ecclesiae Unitae, etsi melior esse non cessavit, Metropolitae tamen Rostockyj ad sua redire non fuit licitum; immo, anno 1804, Petropoli episcopus Luceoriensis, Stephanus Levynskyj, in suum favorem agebat, ut iurisdictio Metropolitae restituatur, quod et obtinuit, sine tamen titulo Metropolitae Kiovienensis. Sed Rostockyj non iam rediit in suum territorium, et die 25 Januarii 1805 Petropoli obiit, Sedem suam Koviensem vacantem reddidit usque ad nostra tempora, etsi Metropolitas unitorum successores habuit: Heraclium Lisowskyj (1806-1809), Gregorium Kochanowicz (1810-1815), et Josaphat Bulhak (1817-1838), de quibus infra pauca dicamus.

Theodosius Rostockyj erat vir insignis vita vere sancta; doctrina eximius; administratione monastica conspicuus; pastoratu ecclesiastico insignis; doloribus et persecutionibus suae Ecclesiae patiens. Obiit in exilio, longe a sua Ecclesia distans, ut testimonium perhiberet suae fidelitatis Sedi Metropolitanae Kiovensi et Apostolicae Sedi. Hic vere laudabiliter seriem Metropolitarum Koviensium catholicorum officialium anno 1805 claudit.

BIBLIOGRAPHIA: OLGERBRAND S., *Encyklopedija Powszechna*, v. 22, Warszawa 1866; WOJNAR M., *De Capitulis Basiliyanorum*, Romae 1954; PETRUSZEVYJCZ, *Kratkoje izvestije o Cholmskoj eparchiji i svyatytelach jeja*, Leopoli 1867; PELESZ J., *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom, II*, Wien 1880; HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862; NAZARKO I., *Kyjivski i Halycki Mytropolity: Biografični narysy (1590-1960)*, Rym 1962; AMMANN A. M., *Ostslawische Kirchengeschichte*, Wien 1950, etc.

## DOCUMENTA ROMANA BIOGRAPHICA

### I.

*Romae, 1750.*

*Notitiae biographicae de Theodosio Rostockyj, ex Archivo Collegii Graecorum*

ARCH. COLL. GRAECORUM, *Cronica...* vol. 14, fol. 9v-10.

ROMAE. – Theodosius ROSTOCKI.

Filius Casimiri et Annae, Lithuanus.

Ingressus 6 novembris 1750. Natus anno 1727.

Studet Theologiae.

Ordinatus subdiac., diac., et sacerdos...

Discessit 16.4.1754.

Postea: Coadiutor Metropolitae totius Russiae.

### II.

*Radomislia, 4. VI. 1785.*

*Documenta biographica ad Processum canonicum Theodosii Rostockyj: Testimonium baptismatis, testimonium professionis monasticae, Ordinationis, translationis ep. Ryllo Peremysliam; nominationis Regiae; decretum Propagandae, etc.*

APF, *Scritt. rif. nei Congr.: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 15, f. 607-613v.

ASV, *Arch. Nunz. Varsaviensis*, vol. 149, fol. 90-99rv.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Cunctis ubique sit notum quod Anno a Nativitate Domini Millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, die quarta mensis Junii, V.S., Pontificatus autem SS.mi Domini nostri, Domini Pii Papae VI, anno undecimo, Radomisliae, coram Ill.mo, Excell.mo et Rev.mo Domino Jasone Junosza Smogorzewski, Archi-Episcopo Kijoviensi, Haliciensi, et Metropolita totius Russiae,<sup>1</sup> Archimandrita Kijovo-Pczarensi et Ovrucensi, Ordinum Aquilae

---

<sup>1</sup> Metropolita Jason Junosza Smogorzewskyj, antea Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), electus anno 1780, rexit Metropoliam Kiovensem annis 1780-1788; obiit

Albae, et Sancti Stanislai Equitis, comparens personaliter Rev.mus in Christo Pater Theodosius Rostocki, Ordinis S. Basilii M., bis in Lithuania Provinialis, exposuit, se a Serenissimo Stanislao Augusto, Domino nostro Clementissimo, ad Ecclesiam Cathedralem Chelmensem, legitima Ill.mi et R.mi Domini Maximiliani Rylo ad Episcopatum Peremysliensem translatione,<sup>2</sup> canonice vacantem, sub die 12 Mensis Junii anno elapso 1784, Nominatum ac Praesentatum esse, proindeque supplicavit, ut Canonicus Inquisitionis Processus super sui vita, moribus, idoneitate caeterisque requisitis, necnon super vacantis Ecclesiae statu, situ, aliisque circumstantiis instituatur, eoque expedito, Rev.mus Nominatus, servatis omnibus de jure, ritu et praxi servandis, ad Episcopatum Chelmensem promoveri possit et valeat.

Qui Ill.mus, Excell.mus, et Rev.mus Dominus Archi-Episcopus Metropolitanus totius Russiae, ut supra, sedens etc., inhaerendo petitionibus Rev.mi Promovendi, documenta, quae canonicum Processum concernere possunt, comportare, et comportata suae Curiae Actis inserere mandavit. In eiusmodi itaque Resolutionis sequelam, Rev.mus in Christo Pater Nominatus sequentia documenta reposita, et quidem:

10. – IN LOCUM TESTIMONII BAPTISMATIS LITTERAS R.NDI PATRIS ISAIAE RABIEC, Ordinis S. Basilii Magni, Vicarii Monasterii Borunensis, de tenore tali. – Ill.me, Excell.me et R.me D.ne, Benefactor Singularissime. – List Illmi D.ni die 10 praesens z Warszawy pisany dający mi do Trab Ordynans do Kwerendy Ill.mi D.ni Metryki, die 18 praesens odebrałem. Byłem w Trabach, gdzie pilnie y w Kościele y w Cerkwi potrzebney szukałem Metryki, lecz w Kościele Trabskim dawnieyszey niewidziałem nad 1773; w Cerkwi takoż na Rok 1736, że w Kościele starszey niema Metryki, ogień, który y Kościół z Plebanią, y wszystkie Fundi Documenta z Metrykami w Roku 1773 pochłonął, iest przyczyną. W Cerkwi zaś Trabskiej o dawnieyszych Metrykach gdzie są, z okoliczności oddalenia się JK<sup>a</sup> Parocha na Kongregacyą do Wilna, pewney ni od kogo powzaść wiadomości niemogłem. Nieudolną atoli usługę moją usiłując Illmo Domino poswięcić, teraznieyszego Trabskiego Proboszcza, Kanonika Inflantskiego, Pisarza Apostolskiego JK<sup>a</sup> Andrzeja Rodkiewicza uprosiłem, żeby o tym pożarze attestatum wydał, które in authentico na ręce JK<sup>a</sup> Prokuratora Warszawskiego odesłałem, które spodziewam się że tą moc będzie miało, co y sama Metryka (f. 607v). Ten wyraz

---

die 1 Novembris 1788, cui statim Theodosius Rostockyj successit iure Coadiutoriae, qui obiit Petropoli in exilio die 25 Januarii 1805.

<sup>2</sup> Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis (1759-1784) et dein Peremysliensis (1785-1793. J. CHOMA, *Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis et Peremysliensis (1759-1793)*, Romae 1951.

y mnie samego z naygłabszym uszanowaniem u stóp składam, Ill.mi, Excll.mi Rev.mi Domini, Benefactoris Singularissimi, Infimus Servus – Isaias Rabiec, Ordinis S. Basilii Magni – Z Borun, Roku 1784, dnia 25. Lipca. – Ill.mo, Excll.mo et Rev.mo Domino, Dom. Theodosio Rostocki, Metropolitae totius Russiae Coadiutori, Ordinis Sancti Basilii Magni, per Provinciam Lithuanam Superiori Provinciali, Benefactori Singularissimo.

2º. – TESTIMONIUM EMISSAE PROFESSIONIS RELIGIOSAE. – Ego infra scriptus, instituta librorum Metrices Novitiatus Bythenen. Ordinis nostri, Provinciae Lithuaniae, revisione, attestor: Ill.mum et Rev.mum Dominum Theodosium Rostocki, Nominatum Episcopum Chelmensem, Coadjutorem Metropoliae, cum Anno 1744, die 4 Aprilis, sub Magisterio A.R.P. Josaphat Dedul, Professionem Religiosam emitteret, habuisse annos aetatis suae septendecim. In cuius rei fidem me subscribo. Datum Torokaniis, Anno 1784, die 6 Augusti. – Athanasius Falkowski, Ordinis S. Basilii Magni, Provinciae Lithuaniae Secretarius. (L.S.).

3º. – TESTIMONIUM SACRAE ORDINATIONIS. – Joseph Schirò,<sup>3</sup> Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Italiae, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archi-Episcopus Dyrrharchinus, olim Vicarius Apostolicus in Epiro, nunc vero ad exercenda in Urbe Pontificalia Ordinesque Sacros Ritu Graeco conferendos specialiter deputatus. – Praesentibus notum facimus atque testamur per solennem Ordinationem habitam a nobis tribus diebus festivis, nos promovisse ad Sacros sub-Diaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus Ordines, iuxta Ritum Sacrae Orientalis Ecclesiae, Dilectum nobis in Christo Filium Theodosium Rostocki, Monachum Rutenum Ordinis Sancti Basilii Magni, Venerabilis Graecorum de Urbe Collegii Alumnum, nullo canonico impedimento irretitum, ac canonicis requisitis, prout de more, munitum. In quorum fidem has praesentes Testimoniales Litteras dari jussimus. Romae, die 15 Aprilis anno 1754, Pontificatus vero SS.mi in Christo Patris Benedicti Papae XIV. anno XIV. – Joseph, Archi-Episcopus Dyrrharchinus (L.S.).

4º. – DOCUMENTUM TRANSLATIONIS ILL.MI ET REV.MI DOMINI MAXIMILIANI RYLO AD EPISCOPATUM PREMISLIENSEM. – Jason Junosza Smogorzewski, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae Gratia. Archi-Episcopus Kioviensis etc. – Universis et singulis quorum interest, aut interesse poterit, singulariter vero Tibi, Ill.mo et R.mo Domino Maximiliano Rylo,<sup>4</sup> nuper Episcopo

<sup>3</sup> Josephus Schirò, OSBM Italiae, Vicarius Apostolicus in Epiro, Archiepiscopus Dyrrachiensis Ritus Graeci, nom. Romae 15 Aprilis 1736; obiit Romae, 2 Decembris 1769 ut Ordinans Graecorum in Urbe. Cfr. *Hierarchia catholica...*, vol. VI, 1730-1799, pag. 203.

<sup>4</sup> Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis et Peremysliensis (1759-1793); translatus 1 Julii 1784 a Metropolita Smogorzewskyj, confirmatus a Sede Apostolica 27 Februarii 1785; cfr. infra pag. 10-11.

Chelmensi et Belzensi, Archimandritae Dermanensi, Dubnensi ac Sacrae Crucis, nunc autem in Episcopum Premisiensem legitime Nominato, salutem in Domino ac omnem prosperitatem. Cum piissimus Ruthenorum Metropolita, Michael Rahoza, Sanctam totius Ecclesiae suae unitatem sub annum 1596, Deo coadjuvante, feliciter constabilisset, Hypatiumque Pociey Vlodimirensem, et Cyrilum Terlecki Luceoriensem Episcopos, cum Fidei Catholicae professione, et debita Sedi Apostolicae obedientia ad sacr. mem. Clementem PP. VIII synodaliter ablegasset, istorum vero (f. 608) sollicitudine hoc quoque a Sede Apostolica Privilegium confirmari obtinuissest, ut vacantibus in Russia Ecclesiis Cathedralibus solus Russiae Metropolita, servatis de Lege servandis, jure et nomine Apostolico Pastores in aevum praeficiat. Cumque onus dignitatis Metropoliticae, humeris nostris licet imparibus desuper impositum portemus, muneri et officio nostro utique deessemus, nisi etiam Premisiensi Cathedrali Ecclesiae, obitu bon.mem. Athanasii Szeptycki,<sup>5</sup> ab anno 1779, die 8 Junii, viduatae, de legitimo tandem provideremus Pastore. Hinc, ne praefata Cathedralis Premisiensis vacatione ulteriori aliqua sentiat incommoda, ad celerem et felicem eius Provisionem subito intendentes, Augustissimorum vero potentissimorumque Mariae Theresiae, in aeternum colendae Matris,<sup>6</sup> Nominationem, ac ejusdem Filii Josephi II, celeberrimi Romanorum Imperatoris, Domini nostri Clementissimi assensum, voluntatem et mandatum obedientissime reverentes, Processu super vita, moribus, ac idoneitate Tua, superque statu vacantis Ecclesiae Cathedralis canonice confecto, rursus compertis pergrandium virtutum donis, quibus earundem Largitor altissimus Te multipliciter insignivit, attentoque praeterea eo, quod Chelmensi Ecclesiae ac Dioecesi hactenus laudabiliter et sancte praefuisti, indeque praefatam Premisiensem Ecclesiam et Dioecesim salubriter regere, et feliciter gubernare certo certius poteris; visa demum, et per Tuum specialem Mandatarium coram nobis libere facta, nedum Chelmensis in Polonia Episcopatus, ast etiam Archimandriae Dermanensis, Dubnensis et Sanctae Crucis Resignatione, ad Premisiensem Ecclesiam ac Dioecesim, auctoritate Nobis desuper suffragante, Praesentibus, in Dei nomine, Te, Praesul dignissime, transferrimus, ac in Episcopum et Pastorem eidem Ecclesiae praeficimus, eidemque Curam et Regimen prout

---

<sup>5</sup> Athanasius Szeptyckyj, iunior, episcopus Peremysliensis, Basilianus, Provinialis Prov. Polonae (1759-62), dein episcopus Peremysliensis (1762-1779). Obiit 8 Junii 1779. Post eius mortem dioecesis vacabat usque ad annum 1785.

<sup>6</sup> Maria Teresia, Imperatrix Austriae nomine filii Josephi II (1765-1780). Nata 13 Maii 1717; ab anno 1765 regens Imperii nomine filii Josephi; obiit 29 Novembris 1780; cfr. *Encyclopedyja Powszechna*, vol. 18, pag. 85-88.

de jure comittimus, corde optantes, ut praefatam Ecclesiam Premisliensem ad cultus Divini, Fideique Orthodoxae augmentum, nominisque Caesarei gloriam, dextera Altissimi opitulante, utilissime prosper gubernes. Quocirca Rev.mis praedictae Dioecesis Officialibus, Surrogatis, Decanis, Parochis, universoque Clero ac Populo, Praesentium tenore mandamus, ut Tibi tanquam membra Capiti obsequentes, veluti Patri et Pastori suo omnimodam reverentiam atque obedientiam prompte et alacriter exhibeant, salubria Tua monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere curent, ita, ut in eis Tu veros Filios experiaris, ipsi autem in Te verum Patrem invenisse gaudeant. Volumus denique, ut antequam Pastorale Premisliensis Ecclesiae Regimen assumas, Praesentibus Regio Galiciae (f. 608v), et Lodomeriae Gubernio reverenter exhibitis, publicam, forma, in Synodo Zamosciensi praescripta, Fidei Catholicae Professionem, coram quocunque viro ecclesiastica dignitate ornato, emittere, tum quoque Juramentum nedium subiectionis et obedientiae Sedi Apostolicae, Romanoque Pontifici, ac Russiae Metropolitis, verum etiam inviolabilis Augustissimo Romanorum Imperatori,<sup>7</sup> Domino nostro Clementissimo Fidelitatis, in Rev.mi Domini Andreae Jakubinski, Officialis Generalis Premisliensis, sive eiusdem Surrogati manibus praestare, authentica vero eorundem documenta ad nos, Curiamque nostram quantocius transmittere cures. In quorum fidem, praesentes manu sigilloque nostris munitas dedimus. Radomysliae, die 1/12 mensis Iulii, 1784 anno.

50. – PRIVILEGIUM NOMINATIONIS SER.MI STANISLAI AUGUSTI, REGIS POLONIAE. – Stanislaus Augustus<sup>8</sup> etc. – Admodum Reverendo in Christo Patri Jasoni Junosza Smogorzewski, Archi-Episcopo Kijoviensi, Haliciensi, Metropolitano totius Russiae sincere nobis dilecto. – Significamus, quia Nos habentes nobis commendatas virtutes meritaque Religiosi in Christo Patris Theodosii Rostocki, Provincialis Lithuani Ordinis D. Basillii Magni, nominandum esse duximus eundem ad Episcopatum Chelmensem, Ritus Graeco-Uniti, prout nominamus praesentibus Litteris nostris, idque post translationem Reverendi in Christo Patris Maximiliani Rylo ad Episcopatum Premisliensem; Requirentes Admodum Reverendam Paternitatem Vestram, quatenus suprafatum Religiosum in Christo Patrem Theodosium Rostocki,

<sup>7</sup> Josephus II, Imperator Austriae (1780-1791). Hic erat imperator iam post obitum imperatoris Francisci I, a die 27 Martii 1764, cui adiungebatur mater Maria Teresia a 18 Augusti 1765.

<sup>8</sup> Rex Poloniae Stanislaus Augustus Poniatowski (1764-1795); hoc anno abdicavit sub pressione Moscoviae et vixit Petropoli usque ad mortem, die 12 Februarii 1798; cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 23, pag. 963-965.

vigore praesentium Nominationis nostrae Litterarum in Episcopum Chelmensem, praemissis de jure praemittendis, consecrat, instituat, ac investiat, prout id ad Officium Admodum Reverenda Paternitatis Vestrae spectare et pertinere dignoscitur. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas, sigillo Regni communiri jussimus. – Datum Varsaviae, die XII mensis Julii, anno Domini MDCCLXXXIV, Regni vero nostri XX anno. – Stanislaus Augustus, Rex (S.L.). – Episcopatus Chelmensis Ritus Graeco-Uniti, post translationem Reverendi in Christo Patris Maximiliani Rylo ad Episcopatum Premisiensem, Religioso in Christo Patri Theodosio Rostocki, Provinciali Lithuaniae Ordinis D. Basilii M., confertur. – Nicolaus Sikorski, Sacrae Regiae Maiestatis et Sigilli maioris Regni protunc Secretarius. – Cancellariatu Ill.mi, Excell.mi et Rev.mi Domini Antonii Onuphrii de Okęcki, Episcopi Posnaniensis et Varsaviensis, Supremi Cancellarii Regni sigillatum est in Actis.

6º. – DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE. – Ex Audientia (f. 609) Ss.mi, habita die 27 Februarii 1785. – Quum R.P.D. Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmensis, Ritus Graeco-Uniti, ad Premisiensem Sedem nullo jure atque adeo illegitime, utpote sine praevio Sedis Apostolicae permisso ab Archi-Episcopo Kijoviensi, Metropolitano totius Russiae, translatus fuerit, quumque proinde Reverendus P. Theodosius Rostocki, Ordinis S. Basilii Magni, Congregationis Ruthenorum, per Serenissimi Regis Poloniae Nominationem in Episcopum Chelmensem electus, et in Coadjutorem Archi-Episcopi Metropolitani cum futura Successione, eodem Serenissimo Rege annuente, postulatus, promoveri minime possit, nisi sanata et rite peracta prioris Chelmensis translatione, SS.mus Dominus noster Pius, Divina Providentia PP. VI, ad relationem mei infrascripti, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarii, ne Chelmensis Ecclesia suo orbata Pastore ulterius remaneat, atque Premisiensi Cathedrae de legitimo Episcopo rite provideatur, praefatum Dominum Maximilianum a Chelmensis Ecclesiae vinculo absolvens, eius translationem ad Sedem Premisiensem, hucusque nulliter factam, eiusque Acta, si quae peregerit, Auctoritate Apostolica benigne sanavit, et ad ulteriora procedi posse concessit. – Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 1 Martii 1785. – Stephanus Borgia, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarius. – L.S. –

Quibus omnibus, ut supra, insertis Documentis, licet SS.mo Domino nostro Pio PP. VI, Translationem Ill.mi et Rev.mi Domini Maximiliani Rylo, Metropolitana ex antiquo usu potestate factam, praevio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Decreto sanare placuerit, cum tamen Sanctae Sedi Apostolicae fideliter aequa reverenter ab Ill.mo, Excell.mo et Rev.mo Domino supra laudato Metropolita totius Russiae expositum jam fuerit, Jus non solum consacrandi et instituendi suos Suffraganeos, ast etiam eosdem transferendi atque urgente necessitate eisdem Coadjutores dandi, a suis

constanter exercitum fuisse Praedecessoribus.<sup>9</sup> Proinde benignam Sanctae Sedis Apostolicae in his Decisionem expectans, praemissoque eiusdem Decreto interea plene obtemperans, ad indilatam Ecclesiae Chelmensis, suo Pastore tam diu viduatae, Provisionem procedendo, solitum Processum confici, juramenta et depositiones Testium ad infrascripta Interrogatoria recipi, et per me Notarium connotari mandavit.

*Processus canonicus: depositiones testium de persona. Coadiuto et Ecclesia.*

\* \* \*

INTERROGATORIA SUPER VITA, MORIBUS, CAETERISQUE QUALITATIBUS  
REV.MI IN CHRISTO PATRIS THEODOSII ROSTOCKI, NOMINATI  
EPISCOPI CHELMENSIS

1º. An Testis noscat Rev.mum Patrem Theodosium Rostocki, Nominatum, quomodo a quanto tempore, et an sit ipsius consanguineus, familiaris, vel inimicus? Quae causa scientiae?

(f. 609v) 2º. An sciat in qua Civitate, loco, et Dioecesi sit natus, a quo et quando baptisatus atque confirmatus? Quae causa scientiae?

3º. An sciat ipsum natum esse ex legitimis, honestis, catholicis ac nobilibus Parentibus? Quae causa scientiae?

4º. An sciat eum in Sacris Ordinibus constitutum esse, a quo, ubi, et quando? Quae causa scientiae?

5º. An sciat eum in ecclesiasticis Functionibus et in exercitio Ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione vero Sacramentorum frequentem ac devotum esse? Quae causa scientiae?

6º. An sciat eum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permanisse? Quae causa scientiae?

7º. An sciat eum praeditum esse vitae innocentia, bonisque moribus, et an sit bonae conversationis et famae? Quae causa scientiae?

8º. An sciat eum aliquo gradu in Jure Canonico vel in Sacra Theologia insignitum esse, eaque doctrina ad praesens pollere, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut alios docere possit? Quae causa scientiae?

9º. An sciat eum aliquo munere functum fuisse, vel circa curam animalium aut regimen Spiritualium se exercuisse, et quomodo in eis se gessisse? Quae causa scientiae?

10º. An sciat eum aliquando publicum scandalum dedisse, vel animi aut corporis vitio, aliove canonico impedimento teneri? Quae causa scientiae?

---

<sup>9</sup> Quaestio haec movebatur praesertim temporibus Jasonis Junosza Smogorzewskyj (1780-1788); cfr. *Epistolae Metropolitarum...*, vol. VIII, pag. 365-377, nr. 203, de dat. 17.V.1785.

11º. An eum idoneum existimet ad prudenter et exemplariter regendam Ecclesiam Cathedralem Chelmensem, eiusque Dioecesim, et an censeat illius Promotionem praefatae Ecclesiae et Dioecesi utilem et proficuam fore? Quae causa scientiae?

12º. An sciat utrum Promovendus possideat aliqua Beneficia, et utrum obligent ad residentiam? Quae causa scientiae?

**INTERROGATORIA QUOAD STATUM ECCLESIAE  
CATHEDRALIS CHELMENSIS**

1º. An sciat in qua Provincia sita est Civitas Chelmensis, cuiusve Dominio in temporalibus subjacet, quot constat Domibus, et a quo Christifidelibus inhabitatur? Quae causa scientiae?

2º. An sciat in illa Civitate Cathedralem esse ecclesiam, cuius invocationis, structurae, et qualitatis, an aliqua indiget reparatione? Quae causa scientiae?

3º. An sciat quot et quales sunt Dignitates, Canonicatusque in dicta ecclesia Cathedrali, quis sit numerus Presbyterorum et Clericorum ibi in (f. 610) Divinis inservientium, et quales sunt redditus Dignitatum ac Canonicatum praefatae Ecclesiae? Quae causa scientiae?

4º. Utrum in ecclesia Cathedrali animarum cura et per quem exercetur? Quae causa scientiae?

5º. An habeat Sacraria sufficienter instructa sacra supellectili, caeterisque rebus ad cultum Divinum et Pontificalia necessariis exercenda, tum quoque choros, campanilia cum campanis et caemeteria? Quae causa scientiae?

6º. An in illa Cathedrali corpora, vel aliquae insignes Reliquiae Sanctorum reperiuntur, et quomodo asservantur? Quae causa scientiae?

7º. An habeat Domum pro Episcopi habitatione, ubi et qualem, quantum distat ab ecclesia Cathedrali, et utrum reparatione indigeat? Quae causa scientiae?

8º. An sciat verum valorem reddituum Mensae Episcopalis, ad quam summam annuatim ascendant, sintne aliqua Pensione onerati? Quae causa scientiae?

9º. Quantum sit ampla Dioecesis Chelmensis? Quae causa scientiae?

10º. Quot in Dioecesi dicta existant ecclesiae Parochiales, quot Collegiae, quot Monasteria Virorum et Mulierum, quotve Confraternitates et Hospitalia? Quae causa scientiae?

11º. An erectum est Seminarium, quotve in eo aluntur Clerici? Quae causa scientiae?

12º. Ecclesia Chelmensis quomodo vacet, et a quanto tempore? Quae causa scientiae?

13º. An sciat cui Archi-Episcopo haec Ecclesia est Suffraganea? Quae causa scientiae?

#### FORMA JURAMENTI

Ego N.juro Deo Omnipotenti in Trinitate uno, me ad omnia Interrogatoria super vita et qualitatibus Rev.mi in Christo Patris Theodosii Rostocki, nominati Episcopi Chelmensis, superque statu vacantis ecclesiae Cathedralis Chelmensis mihi proponenda, vere, realiter, et conscientiose responsum, measque depositiones inviolabili secreto servaturum, sic me Deus adjuvet, et haec S. Dei Evangelia.

#### DEPOSITIONES TESTIUM

Primus Testis Admodum R.ndus Pater ANTONIUS GOSTYNSKI, Ordinis S. Basillii Magni, Monasterii Dermanensis Vicarius, juratus depositus.

#### AD INTERROGATORIA SUPER VITA ET MORIBUS REV.MI PATRIS NOMINATI

Ad 1m: – Nosco Rev.mum Patrem Nominatum, protunc Secretarium Ordinis nostri ab annis 14, non sum eius consanguineus, neque inimicus.

Ad 2m: – Patebit ex testimonio Baptismatis.

Ad 3m: – Stante meo Zyrovičiis Vicariatu cognovi patrem Rev.mi Patris Nominati, et certo audivi ipsum in Districtu Slonimensi natum esse ex legitimis, honestis, catholicis atque nobilibus Parentibus.

Ad 4m: – Patebit ex testimonio collatorum SS. Ordinum.

Ad 5m: – Manendo Vlodimiriae penes Officium Vice-Rectoris, ubi Rectoratum utiliter aequa ac laudabiliter Rev.mus Pater Nominatus exercuit, saepissime ipsum vidi Missae sacrificia celebrantem, et ad Sacramentum Poenitentiae frequenter ac devote adeuntem.

Ad 6m: – Et Vlodimiriae simul habitando, et stante Rev.mi P. Nominati Officio Provincialatus, vidi semper eum in Catholica Fide vixisse.

Ad 7m: – Et vidi et audivi Rev.mum P. Nominatum optimis moribus esse instructum ac vitae innocentia praeditum, imo juxta omnium famam sanctissime semper viventem.

Ad 8m: – Ignoro utrum Rev.mus Nominatus aliquo gradu in Jure Canonico vel in Sacra Theologia sit insignitus; audivi tamen eundem Zyrovičiis Philosophiam, Polociae vero Theologiam cum summo studentium

emolumento docuisse, et censeo ipsius doctrinam talem esse, qualis in Episcopo requiritur.

Ad 9m: – Vidi quando diligentissime Rev.mus Nominatus non solum Secretarii Ordinis munus, ast etiam Rectoris Vlodimiriensis functionem, et postremo bis in Lithuania Provincialatum, quae omnia officia cum summo labore, prudentia ac humilitate, necnon cum maximo Religionis nostrae fructu, obivit.

Ad 10m: – Nec vidi, nec audivi, de ullo scandalo, vitio, aut impedimento.

Ad 11m: – Vita eius exemplaris, continuus in Religione labor, et laudabilissimum Provinciae nostrae regimen, tum denique virtutes eius celeberrimae, persuasum me faciunt de omnimoda ipsius idoneitate non solum ad exemplariter regendam Ecclesiam et Dioecesim Chelmensem, verum etiam ad utiliter sustinendum onus Pastorale.

Ad 12m: – Finito Provincialatu, nulla possidet Beneficia.

IDEM TESTIS AD INTERROGATORIA SUPER STATU ECCLESIAE  
CATHEDRALIS CHELMENSIS

Ad 1m: – Scio Civitatem Chelmensem in Regno Poloniae sitam esse, et Dominio Serenissimo Poloniarum Regi subiectam, atque Terrae Chelmensis Capitalem, quia in eadem Civitate penes Cathedralem, cui inserviunt nostri ordinario Religiosi, munus Vicarii exercebam; reliqua ignoro.

Ad 2m: – Scio Cathedralem ibi esse ecclesiam sub titulo Nativitatis B.V. Mariae, de latere copto, magnifice extrectam, quae indiget reparacione extrinseca et (f. 611) ornatu intrinseco.

Ad 3m: – Superius iam deposui, quod eidem Cathedrali inserviunt Religiosi Ordinis nostri Provinciae Lithuaniae proindeque nullas ibi Dignitates aut canonicatus reperiri scio.

Ad 4m: – Cathedralis Chelmensis curam animarum adnexam non habet, quia extra Cathedralem in ecclesia Parochiali per saecularem Presbyterum exercetur.

Ad 5m: – Vidi Sacrarium suppellectili sacra omnibusque rebus ad cultum Divinum et Pontificalia necessaria exercenda sufficientissime instructum, tum choros, campanilia cum campanis et caemeterium.

Ad 6m: – Habitando circa praedictam Cathedralem vidi Reliquias Sanctorum decentissime asservatas fuisse, in praesenti vero utrum inventiuntur, nescio.

Ad 7 m: – Penes Cathedram, est congrua Domus pro Episcopi habitatione, de latere copto extrecta, sed indiget magna reparacione.

Ad 8m: – Audivi quod praefata Cathedralis paucissimos Proventus nunc habet, quia in maiori parte eius Bona et Dioecesis ad Dominium Sacrae Caesareae Maiestatis abierunt.

Ad 9m: – Nescio.

Ad 10m: – Nescio.

Ad 11m: – Quando Chelmae manebam, eo tempore Seminarium de latere cocto ergebatur, nescio tamen utrum sit finitum et quot ibidem aluntur Clerici.

Ad 12m: – Audivi vacare hanc Cathedralem post translationem Ill.mi et Rev.mi Domini Maximiliani Rylo ad Episcopatum Premisiensem, sed nescio a quanto tempore.

Ad 13m: – Praelaudata Cathedralis Archi-Episcopo Kijoviensi, Metropolitanu totius Russiae ab antiquo est suffraganea.

Finito hoc examine, praefatus Testis dimissus, injuncto ipsi prius, ut suae depositioni se subscribat, quod fecit, ut sequitur.

Ita pro veritate deposui ANTONIUS GOSTYNSKI, Ordinis S.B.M., Vicarius Monasterii Dermanensis.

Secundus Testis, Admodum R.ndus Pater JOACHIMUS OBUCH,<sup>10</sup> Ordinis S. Basilij Magni, in Monasterio Zydyczynensi Sacrae Theologiae Moralis Professor, juratus depositus.

**AD INTERROGATORIA SUPER VITA ET MORIBUS R.MI IN CHRISTO  
PATRIS THEODOSII ROSTOCKI, NOMINATI EPISCOPI CHELMENSIS**

Ad 1m: – In Monasterio Cassutensi officium Concionatoris exercendo, cognovi ab annis 10 Rev.mum Nominatum, protunc ex munere Provincialis idem (f. 611v) Monasterium canonice visitantem; nulla autem consanguinitate, favore, aut inimicitia propinquum me esse scio.

Ad 2m: – Patebit ex testimonio Baptismatis.

Ad 3m: – Publica omnium voce judico ipsum natum esse ex legitimis, honestis, catholicis atque nobilibus Parentibus, illiusque Fratres germanos, unum Judicem Castrensem Slonimensem, alterum in exercitu Regni Capitanum vidi et cognovi.

Ad 4m: – Patebit ex testimonio susceptorum Ordinum.

<sup>10</sup> Forsan agitur de Thomaso Obuch, Basiliiano, Alumno Coll. de Prop. Fide, annis 1775-9; ordinatus Romae in presbyterum die 19 Martii 1779; cfr. DM. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian and Armenian Students... de Prop. Fide (1627-1846)*, in « Analecta OSBM », vol. IX, pag. 218.

Ad 5m: – Vidi Rev.mum Nominatum in exercitio susceptorum Ordinum frequenter, devote et cum summo omnium exemplo versatum fuisse.

Ad 6m: – Semper Rev.mum Nominatum catholice, sancte et in puritate fidei, ac morum probitate vitaeque innocentia vixisse indubitatum est; quod enim in Lithuania Provincia sunt Religiosi, tot integerrimae ejus vitae numerantur testes.

Ad 7m: – Vere bonis moribus praeditum esse scio, et nulla infamia irretitum audivi.

Ad 8m: – Audivi Rev.mum Nominatum Romae operam dedisse Sacrae Theologiae et Juri Canonico, ibidemque Lauream Doctoralem obtinuisse, in Provincia autem, Zyrovicijs Philosophiam, et Polociae Sacram Theologiam cum summo laude ac fructu docuisse; demum, in officio Provinciali vidi ipsum summa doctrinae suae et Paterni regiminis documenta omnibus Religiosis praebuisse; proindeque existimo ea scientia ipsum ad praesens pollere, quae in Episcopo ad docendum alios requiritur.

Ad 9m: – Audivi ipsum in Officio Secretarij Ordinis per aliquot annos constitutum fuisse; deinde Capituli Brestensis voce et judicio Rectoratum Vladimiensem obtinuisse, et Archimandriam Zydyczynensem ac Dermanensem administrasse; in iis autem Officiis immortalem sibi laudem conciliasse, proindeque in Capitulo Bytenensi<sup>11</sup> unanimiter in Provinciale Lithuanie bis electum fuisse, quo in Officio quam praeclera vigilantissimi Moderatoris et amantissimi Patris specimina dedit vel exinde patet, quod uno quadrigennio laudabiliter in Provinciali functione finito, ad alterum concordibus vocibus et tota Provincia plaudente confirmatus extiterit.

Ad 10m: – Nullum publicum scandalum dedisse audivi, imo tanquam meum octo annis Provinciale semper vidi virtuti ac pietati adnexum, nullo autem vitio, aut Canonico impedimento illum teneri scio.

Ad 11m: – Ratione illius s. vitae, doctrinae, ac prudentiae, capacem, dignum, ac prae caeteris idoneum esse existimo ad optime regendam Ecclesiam (f. 612) et Dioecesim Chelmensem, tutaque conscientia judico Promotionem illius utilem ac proficuam fore.

Ad 12m: – Nulla ad praesens Beneficia possidet.

Finito hoc examine, praefatus Testis dimissus, injuncto ipsi prius ut sua depositioni se subscribat, quod fecit ut sequitur.

Ita pro veritate deposui JOACHIMUS OBUCH, Ordinis S. Basilij Magni, in Monasterio Zydyczynensi Sacrae Theologiae Moralis Professor.

---

<sup>11</sup> Capitulum Provinciale Bytenense (1776), et Torocanense generale 1780, in quo etiam Capitula Provincialia locum habuerunt. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basiliyanorum*, Romae 1954, pag. 37-38.

Tertius Testis, R.mus Pater PARTHENIUS TERLECKI,<sup>12</sup> Ordinis Sancti Basili Magni, Archimandriae Bracaviensis Coadjutor, Congregationis Ruthenorum Consultor, juratus depositus.

**AD INTERROGATORIA SUPER VITA ET MORIBUS REV.MI  
IN CHRISTO PATRIS THEODOSII ROSTOCKI, NOMINATI EPISCOPI CHELMENSIS**

Ad 1m: – Nosco Rev.mum Patrem Theodosium Rostocki, nunc nominatum Episcopum Chelmensem, ab annis plusquam 35, cum adhuc in statu saeculari essem, et Scholas Polociae, in Civitate Regia, apud Patres Societatis Jesu frequentasse, solebam enim adire certis temporibus ex devotione ecclesiam PP. Ordinis S. Basilij Magni Polociae, in arce sitam, tum etiam Monasterium invitatus a Religiosis, ubi tunc studio Philosophico operam dabat Rev.mus Nominatus, cuius tamen neque sum consanguineus, neque inimicus.

Ad 2m: – Scio Rev.mum Nominatum natum esse in vicinio oppidi Traby nuncupati, in Dioecesi Vilnensi, Districtu Oszmianensi, baptisatumque Ritu Latino in eadem ecclesia Parochiali Trabensi, confirmatum vero Romae, ab Illmo Domino Josepho Schirò, Archi-Episcopo Dyrrachiae, ad obeundas Graeco-Ritu functiones, administrandaque Sacraenta a S.mo piae mem. Benedicto XIV, specialiter deputato et constituto. Haec audivi a Persona omni exceptione fide digna.

Ad 3m: – Scio Rev.mum Nominatum natum esse ex Parentibus legitimis, catholicis et nobilibus; Novi enim Rev.mi Nominati patrem Judicem Castrensem Districtus Slonimensis, virum a clarissima Maiestate Ducatus Lithuaniae Nobilitate, ob peritiam ac notitiam Juris et Legum Patriae semper laudabilem. Nosco Rev.mi Nominati fratrem, modernum judicem Castrensem Districtus Slonimensis; alterum vero modernum Praepositum ecclesiae Peterburgensis, virum ob puritatem morum ac vitae, ab omnibus qui eum noscunt, in magna aestimatione habitum, et vere (utor verbis Ill.mi Toniewski, Suffraganei per Albam Russiam, de eodem Praeposito dictis) virum Ecclesiasticum.

(f. 612v) Ad 4m: – Scio Rev.mum Nominatum ad Sacros Ordines, inclusive Presbyteratum, Romae ordinatum fuisse, ab Ill.mo supra nominato Archi-Episcopo Dyrrachiae, quam notitiam habeo ex testimonio authentico, ab eodem Archi-Episcopo edito.

Ad 5m: – Scio Rev.mum Nominatum diu versatum in exercitio Ordinum collatorum, in administratione Sacramentorum frequentem et devotum; fui

<sup>12</sup> P. Parthenius Terleckyj, Consultor Ordinis, Coadiutor Archimandriae Bracaviensis et dein Archimandrita a die 15 Aprilis 1791; obiit die 7 Februarii 1802.

enim, dum Rev.mus Nominatus Officium Provincialatus sustinebat, quatuor annis Socius itineris et vitae religiosae.

Ad 6m: – Rev.mum Nominatum catholice semper vixisse, et in Fide Orthodoxa permansisse; in contrarium enim nihil quidquam audivi.

Ad 7m: – Vitae innocentia et morum integritate praeditum esse Rev.mum Nominatum, et optimae conversationis esse et famae; supradicta vera esse, et ab iisdem audivi, et ipsem expertus sum.

Ad 8m: – Scio Rev.mum Nominatum tanta pollere doctrina, quae sufficientia sit ad instruendum Populum.

Ad 9m: – Scio Rev.mum Nominatum completo Romae, in Collegio Graeco, studii Theologici curriculo, binum Philosophiae cursum in Provincia Lithuania praelegisse. Sacram Theologiam in Monasterio Polocensi cum laude et diligentia tradidisse. Post munus Secretarii Generalis plus quam octo annis obiisse; deinde regimen Collegii Vlodimiriensis obtinuisse, in quo quatuor annis permanendo, administrationem Abbatiarum Zydyczynensis, Dermannensis, et Hegumenatus Sanctae Crucis laudabiliter peregit. Deinde octo annis, ad omnium desideria et vota, fuit Superior Provincialis Provinciae Lithuaniae. Praemissa depono ex certa scientia, quam habeo tum ex Actis Ordinis, tum ex Actis Capitulorum Provincialium.

Ad 10m: – Scio Rev.mum Nominatum nullum publicum scandalum fecisse, nullo animi et corporis vito, nulloque canonico impedimento laborasse.

Ad 11m: – Rev.mum Nominatum idoneum in Domino censeo ad regendam Ecclesiam Chelmensem, ipsiusque Promotionem utilem censeo loco, Ecclesiae et Dioecesi.

Ad 12m: – Rev.mus Nominatus nullum possidet Beneficium, quod requirat ejus residentiam.

**IDEA TESTIS AD INTERROGATORIA SUPER STATU ECCLESIAE  
CATHEDRALIS CHELMENSIS**

Ad 1m: – Civitas Chelmensis, sita in Regno Poloniae, Terra Chelmensi, Dominio Augustissimi Regis Poloniae, Dn.ni nostri Clementissimi, si non immortalis, utinam diuturni, subjecta; in ea sunt quidem multae Domus, quas inhabitant Christifideles; numerum tamen eorum ignoro.

Ad 2m: – Scio in Civitate Chelmensi esse Catheralem ecclesiam sub invocatione (f. 613) Nativitatis B. Virginis Mariae, de lapide cocto constructam, intus pictura ornatam; indigere tamen instantanea in tecto reparazione, ne aqua per foramina tecti subintrans, majus damnum tum picturae, tum toti structurae inferat.

Ad 3m: – Scio nullos esse ad ecclesiam Cathedralem Chelmensem Canonicos, verum sunt ad ecclesiam Cathedralem Chelmensem Monachi ex Ordine D. Basiliij Magni, qui Officia Divina in dies in ecclesia Cathedrali peragunt, inserviunt loci Ordinario, et populo ad Imaginem Deiparae miraculosam concurrenti; fui enim in Monasterio Chelmensi ante novem circiter annos Superior.

Ad 4m: – Ecclesiae Cathedrali Chelmensi non est adnexa cura animarum.

Ad 5m: – In ecclesia Chelmensi Cathedrali quod ad cultum Divinum suppellectilia sunt, et insignia et praetiosa, tum pro Monachis, tum pro loci Ordinario, de his edoceor *ex Inventario 1784 anno conscripto*.

Ad 6m: – Esse Reliquias Sanctorum in ecclesia Cathedrali Chelmensi, et easdem religiose asservari; quae et quot sint non memini.

Ad 7m: – Prope ecclesiam est Domus pro residentia loci Ordinarij; illam tamen indigere reparatione scio *ex Inventario anno proxime elapso conscripto*.

Ad 8: – Reditus Mensae Episcopalis, prout nunc est, non ascendere plus, quam ad 900 Fl. Poll., demptis autem pro subsidio charitativo Fl. Pol. 780 et pro censu Regio famuli in annum pendi solito Fl. Pol. 43; remanent duntaxat pro mensa Episcopali Fl. Pl. septuaginta septem annuatim collecti.

Ad 9m: – Hic articulus patebit ex articulo inferius scripto.

Ad 10m: – In Dioecesi Chelmensi nunc exstant ecclesiae Parochiales numero 162, nulla superest Collegiata. Monasteria Virorum duo duntaxat inveniuntur, Mulierum nullum. In universa Dioecesi quot sunt Confraternitates et Hospitalia non memini.

Ad 11m: – Pro educandis Clericis in Civitate Chelmensi esse Seminarium, in quo plus quam decem Clerici aluntur et educantur; fui enim in Seminario et vidi Clericos.

Ad 12m: – Ecclesiam Chelmensem vacare post liberam resignationem Ill.mi Domini Maximiliani Rylo, moderni Episcopi Premisliensis, anno praeterito factam.

Ad 13m: – Ecclesiam Chelmensem esse Suffraganeam Archi-Episcopo Metropolitano totius Russiae.

Finito hoc examine, praefatus Testis dimissus, injuncto ipsi prius, ut sua depositioni se subscribat, quod fecit, ut sequitur.

Ita pro veritate deposui PARTHENIUS TERLECKI, Ordinis S. Basiliij Magni, Archimandriae Braclavensis Coadjutor, Congregationis Ruthenorum Consultor (mp.).

(f. 613v) Superius descriptae juratorum Testium depositioni inhaerendo, cum ex una parte in ea nihil quidquam invenerimus, quod Rev.mi Patris

Dom. Theodosij Rostocki bonae famae, vitae, prudentiae, ac statui obsistere possit, altera vero ex parte praedictum Promovendum gravitate, doctrina, optimis moribus rerumque experientia praeditum et ad ecclesiam Cathedralem Chelmensem legitime nominatum esse plene recognoverimus. Hinc ad canonicam illius Consecrationem, tuta conscientia, optimo jure, omniisque Justitia deveniriri posse ac debere, in Domino judicamus. Datum Radomysliae, die 7/18 Mensis Junij, 1785 anno.

JASON JUNOSZA SMOGORZEWSKI, Archi-Episcopus Kiovensis, Haliciensis, Metropolita totius Russiae (mpp) – L.S.

Et quia Ego Joannes Lewicki, Publicus Sacra Authoritate Apostolica Actorumque Curiae Metropolitae totius Russiae Notarius, praeinserto Testium examini praesens adfui, dicta et depositiones illorum connotavi, ac hujusmodi exemplar cum suo originali de verbo ad verbum concordare adinveni; ideoque in praemissorum fidem sigillo Excell.mi, Ill.mi et Rev.mi Domini Archi-Episcopi Metropolitani totius Russiae munivi, manuque propria subscrispi.

Joannes Lewicki, ut supra, etc. etc.

### III.

*Varsavia, 2. VIII. 1784.*

*Nominatio regia Theodosii Rostockyj, ep. Chelmensis, in Coadiutorem Kiovensem.*

APP, *Scritt. rif. n. Congressi: Polonia e Ruteni*, vol. 15, fol. 471, 472v.

Stanislaus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kiyoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensiae, Severiae, Czerniechoviaeque. – Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patri, Domino Joanni Francisco Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinali Albani,<sup>13</sup> Episcopo Sabinensi, negotiorum Regni nostri Protectori, Amico nostro Carissimo et honorando salutem, et omnis felicitatis continuum incrementum.

Illustrissime et Reverendissime in Christo Pater, Amice noster carissime et honorande.

Cum admodum Reverendus in Christo Pater Jason Junosza Smogorzewski, Archiepiscopus Metropolitanus Kiyoviensis totiusque Russiae, Ritus Graeco-Uniti, spectata gravitate annorum sit fessus, ad eundem Archi-Episcopatum Metropolitanum Kiyoviensem totiusque Russiae, Ritus Graeco-Uniti,

<sup>13</sup> Albani Joannes Franciscus, romanus, nominatus cardinalis 10 Aprilis 1747, tit. S. Caesarei; anno 1775 translatus ad Ostien. et Veliernen.; obiit Romae die 15 Septembris 1803. Cfr. *Hierarchia catholica*, vol. VI (1730-1799), pag. 15.

una cum Archimandria Kiyo-Peczarensi Coadjutorem assumere Nobis supplicasset. Cui supplicationi benigne annuentes: ad dictam Coadjutoriam Reverendum in Christo Patrem Theodosium Rostocki, Episcopum Chelmensem, Ritus Graeco-Uniti, Sanctitati Suae nominavimus. Quapropter, ut eundem in obtainenda quamprimum Sacrarum Bullarum super eo expeditione Illustritas Vestra efficacissimo suo patrocinio apud Sanctam Sedem adjuvare dignetur, sollicitis nostris desiderijs peramanter requirimus, nullam praetermisuri occasionem, qua mutuorum officiorum et benevolentiae Nostrae argumenta palam ipsi facere possimus.

De reliquo prosperis rerum successibus, ac bona valetudine Illustritatem Vestram frui et gaudere cupimus.

Dabantur Varsaviae, die secunda mensis Augusti, Anno Domini MDCCLXXXIV, Regni vero nostri XX Anno.

STANISLAUS AUGUSTUS, REX

(f. 472v) Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patri, Domino Joanni Francisco S.R. Ecclesiae Card. Albani,<sup>14</sup> Episc. Sabinensi, Negotiorum Regni nostri protectori, Amico Nostro carissimo et honorando.

IV.

*Varsavia, 13. VII. 1784.*

*Processus canonicus de Coadiutoria Kiovieni Theodosii Rostockyj Varsaviae formatus.*

ASV, *Processus Consist.*, vol. 186, fol. 40-58.

KIOVIEN et HALICIEN Ritus Graeco-Rutheni  
S.R.E. uniti. – COADIUTORIA

P R O C E S S U S

Super vita, moribus et qualitatibus Adm. Rev. di Patris Theodosii Rostocki, Ordinis S. Basilii Magni Provinciae Lithuaniae Provincialis, Ritus Rutheni-Catholici, dandi (si SS.mo D.no N.ro placuerit) in Coadiutorem cum futura successione Ill.mo et Rev.mo Domino Jasoni Smogorzewski, Archiepiscopo Metropolitano Kijoviensi, Haliciensi etc. nec non super statu, situ, et qualitate eiusdem Ecclesiae Metropolitanae Kijoviensis;

Coram Perill.ri, Rev.mo D. Onuphrio a Szembek,<sup>15</sup> U.T.D.re,

<sup>14</sup> Cfr. notam praecedentem 13.

<sup>15</sup> Szembek Onuphrius a Szembek ex famosa familia Szembek.

Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonico, et insignis Collegiatae Regiae Varsaviensis Coadiutore Archidiacono, Curiae Cel.mi, Ill.mi et Rev.mi D. Christophori Hilarii a Szembek Uranopolitani,<sup>16</sup> et Coadiutoris Episcopi Plocensis, Ducis Sielunen, etc., Deputati cum facultatibus Nuntii Apostolici in Regno Poloniae etc. Vices Gerentis, Generali Causarum Auditore, et Locumtenente, vigore commissionis a praelibato Cel.mo Duce sibi datae, formatus.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, indictione Romana secunda, die 13 mensis Julii, Pontificatus autem SS.mi D.ni N.ri D.ni Pii Papae VI anno decimo. Varsaviae.

Coram Perillustri, Rev.mo D. Onuphrio a Szembek, T.U.D.re, ecclesiarum Cathedr. Cracoviensis Canonico, insignis Collegiatae Regiae Varsaviensis Coadiutore Archidiacono, Curiae Cl.mi, Ill.mi D. Christophori Hilarii a Szembek, Dei et Apostolicae Sedis gratia Uranopolitani et Coadiutoris Episcopi Plocensis, ecclesiarum Cathedralis Plocensis Praepositi, Cracoviensis Canonici, insignis Collegiatae Regiae Varsaviensis in Cathedrali Posnaniensi Archidiacono, Ducis Sielunensis, ordinum Aquilae Albae et S. Stanislai Equitis, a SS.mo D.no N.ro, D.no Pio Divina Providentia eius nominis Papa VI, et S. Sedis cum facultatibus Nuntii in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae Deputati Vicesgerentis, Generali Causarum Auditore, Judice et Locum tenete, a Suprafato Cel.mo D.no Duce Vices Gerente delegato Commissario.

Personaliter comparrens Perillustris, Rev.mus D. Stephanus Lewinski, ecclesiae Cathedralis Leopoliensis Ritus Rutheni-Catholici Archidiaconus, Sacrae Regiae Majestatis Cubicularius Consiliarius, nomine Adm. Rev.di P. Theodosii Rostocki, Provincialis Lithuaniae Provinciae eiusdem Ritus Ordinis S. Basilii Magni, exposuit: Quod cum Ill.mus et Rev.mus D. Jason Smogorzewski, Archiepiscopus Metropolitanus Kiovensis totiusque Russiae, ob proiectam aetatem, utpote ultra sexagenarius, ac ob infirmitates corporis, quas ipsa aetas afferre solet, tum ob alias graves causas ad regimen pastorale Coadiutore in Archiepiscopatu Metropolitanu indigeat, et ad eum per suas patentes Literas in personam eiusdem Adm. Rev.di P. Theodosii Rostocki, Provincialis, consenserit, eundemque in huiusmodi Coadiutorem cum futura successione elegerit, ac pro sic electo Ser.mus Rex Poloniae decre-

<sup>16</sup> Szembek Christophorus Hilarion; natus 1722; post studia absoluta apud PP. Soc. Jesu, accepit varia officia honorifica; nominatus a Clemente XIII episcopus Uranopolitanus an. 1767, coadiutor Plocensis (1775); post iter Nuntii Varsaviensis Archetti, annis 1783-1784 res Nuntiaturae regebat; anno 1785 obtinuit episcopatum Plocensem. Obiit 8 Septembris 1797. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 24, pag. 814-815.

verit supplicare Ss.mo D.no N.ro Papae pro ipsius Adm. Rev.di P. Provincialis in Coadiutorem deputatione, et approbatione, ideo suprafatus Perillustris Dominus Comparens, nomine altedicti Patris Provincialis humiliter supplicavit praelibato Perillustri, Rev.mo D. Archidiacono, Auditori Generali, et delegato Commissario, ut Processum Inquisitionis super qualitatibus requisitis eiusdem Personae, nec non super statu, situ, et qualitate, ac aliis circumstantiis eiusdem Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis formare dignaretur, iuxta S. Conc. Tridentini Decreta et Const. fe. re. Gregorii XIV, ad hoc, ut Sanctitas Sua bene informata, ex Eius et S. Sedis beneplacito, et gratia de Coadiutore Archiepiscopatus Metropolitani Kioviensis et totius Russiae possit et valeat providere.

Qui Perillustris Rev.mus D. Archidiaconus, Auditor Generalis et delegatus Commissarius supradictus, petitionem huiusmodi, ut rationabilem, admisit, et cum sibi constet de praedictis electione et consensu Ill.mi et Rev.mi D. Metropolitani Kiovien., dictum Processum confici, juramenta et depositiones testium per suam Perillustrem, Rev.mam Dominationem ex officio vocandorum, et super Interrogatoriis porrigendis examinandorum recipi, caeteraque omnia et singula fieri per me Notarium et Vice Cancellarium infra scriptum, in publicum Instrumentum redigi jussit, et mandavit, ut ita redacta suis loco, et tempore ad praefatum Ss.mum D. Nostrum transmitti valeant.

Commissionis, de qua supra fit mentio, tenor est talis, ut sequitur:

Christophorus Hilarius a Szembek, Dei et Apostolicae Sedis gratia Uranopolitanus, et Coadiutor Episcopatus Plocensis, ecclesiarum Cathedralium Polocensis Praepositus, Cracoviensis Canonicus, insignis Collegiatae Regiae Varsaviensis in Cathedrali Posnanien. Archidiaconus, Dux Sielunensis, Ordinum Aquilae Albae et S. Stanislai Eques, a SS.mo D.no N.ro, Domino Pio, Divina Providentia eius nominis Papa VI, et S. Sedis cum facultatibus Nuntii in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae deputatus Vicesgerens.

Dilecto Nobis in Christo Perillustri, Rev.mo D. Onuphrio a Szembek, T.U.D.ri, Canonico ecclesiae Cathedralis Cracoviensis, insignis Collegiatae Regiae Varsaviensis Coadiutori nostro Archidiacono, pariter Curiae nostrae Generali Causarum Auditori, Judici, et Locumtenenti salutem in Domino sempiternam.

Cum Nos ad praesens gravissimis Reipublicae negotiis in hac civitate Metropolitanana Cracoviensi detineamur, nec hic et nunc Varsaviam Residentialiter iter instituere valeamus, post nuperimum autem obitum olim Ill.mi et Rev.mi D. Gedeonis Horbacki, Episcopi Pinscensis, Coadiutoris Archiepiscopi Metropolitani Kioviensis Ritus Rutheni-Catholici, Adm. Rev.di Patris Theodosii Rostocki, Ordinis S. Basillii M. Provinciae Lithuaniae Provincialis, per modernum Ill.mum et Rev.mum D. Jasonem Junosza Smogorzewski, Archiepiscopum Metropolitanum Kioviensem et totius Russiae,

in Coadiutorem cum futura successione eiusdem Metropoliae electi, et assorti, necessitas postulet, ut super qualitatibus, et dotibus personae praelati Adm. Rev.di Provincialis, electi Coadiutoris, tum super necessitate praedicti Ill.mi et Rev.mi D. Coadiuti, nec non super statu Ecclesiae Metropolitanae, illiusque Dioecesis consuetum conficeremus Processum, ad effectum informandi Sanctitatem Suam Sanctamque Sedem Apostolicam in ordine impenetranda Confirmationis huiusmodi Coadiutoriae; Nobisque supplicatum fuit nomine altedicti Adm. Rev.di P. Theodosii Rostocki, Provincialis, electi Coadiutoris, pro conficiendo eiusmodi Processu; Nos talibus supplicationibus benigne inclinati, et de prudentia, zelo, pietate, et probitate Perillustris, Rev.mae Dominationis Vestrae plurimum in Domino confisi, inherentes facultatibus a SS.mo D.no N.ro, Domino Pio Papa VI, feliciter regnante, de dat. Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24 Maii anno elapso 1783, Pontificatus Sanctitatis Suae anno nono, nobis specialiter concessis, in quibus praecommittitur Nobis, ut, in absentia Nuntii Apostolici, munus illius Nuntii Apostolici exercentes, sive per se, sive per aliam idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, omnia et singula necessaria peragamus, Perillustri, Rev.mae Dominationi Vestrae per praesentes facultatem tribuimus necessariam eiusmodi assumptionis coadiutoris Processum tum super qualitatibus Personarum Coadiutoris, et Coadiuti, tum super statu Ecclesiae Metropolitanae, illiusque Dioecesis, ex testibus rei notitiam habentibus, ex officio vocandis, praevioque corporali juramento, ad articulos hac super re exhibendos, examinandis, conficiendi, et ad formam debitam redigendi, Professionem Fidei recipiendi, aliaque omnia circa praemissa fieri solita ad formam SS. Canonum et Constit. Apostolicarum, a Summis Pontificibus, praesertim Gregorio XIV, et Urbano VIII editarum, peragendi, ita ut si Nos praesentes interessemus, facere deberemus, taliterque confectum et ad formam authenticam et probantem redactum, ad S. Sedem Apostolicam in accluso rotulo remittendi. In quorum omnium, et singulorum fidem, praesentes manu nostra subscriptas, sigillo maiori communiri iussimus.

Datum Cracoviae, die 10 mensis Julii, anno Domini 1784-to.

Christoforus Hilarius, Episcopus, manu propria.

(Locus sigilli majoris super hostia rubra expressi).

INTERROGATORIA SUPER REQUISITIS QUALITATIBUS ADM.  
REV.DI PATRIS THEODOSII ROSTOCKI, ORDINIS S. BASILII  
M. PROVINCIALIS LITHUANAE PROVINCIAE, PROFESSI PRESBYTERI

1. – An Testis cognoscat Adm. Rev.dum P. Theodosium Rostocki, Provincialem, quomodo, a quo tempore circa, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus, vel odiosus?

2. – An sciat in qua civitate, vel loco, et Dioecesi sit natus, et quae sit causa scientiae?
3. – An sciat ipsum natum esse ex legitimo matrimonio, atque honestis, et catholicis Parentibus, quae sit causa scientiae?
4. – An sciat cuius aetatis sit, praesertim an expleverit annum... et quae sit causa scientiae?
5. – An sciat eum esse in sacris Ordinibus constitutum, a quo tempore circa, et praesertim ante sex menses, quae sit causa scientiae?
6. – An sciat eum esse in ecclesiasticis Functionibus diu versatum, in susceptione Sacramentorum frequentem, et devotum, et quae sit causa scientiae?
7. – An sciat eum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permansisse, et quae sit causa scientiae?
8. – An sciat eum esse praeditum innocentia vitae, bonisque moribus et an sit bona conversationis, et famae, et quae sit causa scientiae?
9. – An sciat eum esse Virum gravem, prudentem, et usu rerum prstantem, quae causa scientiae?
10. – An sciat eum aliquo gradu in Jure canonico, vel in S.a Theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore, et quo fructu ipsi Theologiae, vel Juri canonico operam dederit, et an vere ea doctrina polleat, quae in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere?
11. – An sciat eum aliquo munere functum esse, vel circa curam animalium, aut regimen alicuius ecclesiae se exercuisse, et quomodo se in eis gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem, et mores et quae sit causa scientiae?
12. – An sciat eum aliquando publicum scandalum dedisce circa fidem, mores, sive doctrinam, vel aliquo corporis, aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad Metropolitanam Ecclesiam promoveri, et quae sic c.sc.?
13. – An dignum eum existimet, ut deputetur in Coadiutorem Ill.mo D. Jasoni, Archiepiscopo Metropolitano Kijoviensi?

**INTERROGATORIA QUOAD PERSONAM ILL.MI METROPOLITANI  
JASONIS SMOGORZEWSKI**

- 1-o: – An, et quomodo, et a quo tempore testis cognoscat Ill.mum D. Jasonem Smogorzewski, Archiepiscopum Metropol. Kijovien.?
- 2-o: – An sciat eum adversa valetudine, aut aetate impediri, quominus exequi posset, quae sui officii sunt, et quae ca. sc.?
- 3-o: – An et ob quam causam necessarium existimet, ut illi detur Coadiutor in Ecclesia Metropolitana cum futura successione?

## INTERROGATORIA SUPER STATU ECCLESIAE METROPOLITANAЕ

1. – An testis sciat, in qua Provincia sita sit civitas Kijoviensis, cuius qualitatis, et magnitudinis, et a quo Christifidelibus inhabitetur, cuius Dominio in temporalibus subjaceat, et quae causa scientiae?

2. – An sciat in illa civitate esse ecclesiam Cathedralem Metropolitanam, sub qua invocatione, cuius structurae, et qualitatis, an aliqua reparazione indigeat, et quae causa scientiae?

3. – An sciat, quot Episcopos Suffraganeos habeat, et quae c.sc.?

4. – An sciat quot et quales sint in dicta ecclesia Dignitates, Canoniciatus, et Beneficia ecclesiastica, ac quis sit numerus Presbyterorum et Clericorum ibi in Divinis inservientium, quae sit Dignitas major post Pontificalem, qualis sit redditus Dignitatum, et aliorum beneficiorum, et an adsit Praebenda Theologalis et Poenitentiaria, et quae c. scientiae?

5. – An in ea cura animarum exerceatur, per quem, an sit in ea fons baptismalis, et quae causa sit scientiae?

6. – An habeat Sacrarium sufficienter instructum sacra suppellectili caeterisque rebus ad divinum cultum, ac etiam Pontificalia exercenda necessariis, chorum, campanile cum campanis, caemeterium, et quae sit causa scientiae?

7. – An sint in ea Corpora, vel aliquae insignes Reliquiae Sanctorum quomodo asservantur, et quae sit causa scientiae?

8. – An habeat Domum pro Archiepiscopi Metropolitani habitatione, ubi, et qualem, quantum distat ab ecclesia Cathedrali, an reparazione indigeat, et quae sit causa scientiae?

9. – An sciat verum valorem reddituum Mensae Archiepiscopalnis Metropolitanae, ad quam summam annuatim ascendant, in quibus consistunt, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quorum favorem dicta pensio est reservata, et quae sit causa scientiae?

10. – Quot existunt in dicta civitate ecclesiae Parochiales, et an unaquaque habeat fontem baptismalem, quot monasteria Virorum, et Mulierum, quot Confraternitates, et Hospitalia et an ibi sit Mons Pietatis, et quae sit causa scientiae?

11. – Quantum sit ampla Dioecesis Kijoviensis, quot et quae loca complectatur, et quae causa scientiae?

12. – An in ea sit erectum Seminarium, quot in eo aluntur Clerici, et quae sit causa scientiae?

Anno Domini 1784, die vero decima sexta Mensis Julii, Varsaviae, examinatus per Perillustrem Rev.mum D. suprapositum Archidiaconum, Audi-

torem Generalem et Commissarium, in camera solitae eius Residentiae Adm. Rev.dus Pater PALLADIUS ZAFATAY, Ordinis S. Basilii Magni Provinciae Lithuaniae Professus Presbyter, Procurator Varsaviae incidentium causarum, aetatis suae annorum 39, prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, testis ex officio vocatus, et secrete examinatus, qui delato sibi corporali juremento de veritate dicenda, prout tactis sacrosanctis Evangelii, quae praemaniibus habebat, juravit, et ad articulos interrogatorii super vita, moribus, doctrina, idoneitate et qualitatibus praefati Adm. Rev.di Theodosii Rostocki, dandi in Coadiutorem Ill.mo D.no Jasoni Smogorzewski, Archiepiscopo Metropolitano Kijoviensi, respondit, ut sequitur, videlicit:

Ad 1: Cognosco Rev.mum P. Theodosium Rostocki ab annis viginti quattuor, quia ab annis 24 fuit ille Secretarius Provincialis, tunc circa visitationem Provinciae ipsum saepius vidi, in post fuit Secretarius Generalis Ordinis; non sum ipsius consanguineus, cognatus, neque affinis, familiaris, neque inimicus, aemulus, aut odiosus.

Ad 2: Scio ipsum natum esse in Palatinatu Vilnensi, districtu Oszmia- nensi, Dioecesi Vilnensi, baptizatum in ecclesia Parochiali Trabensi; scio ex eiusmet ore, quia de eius iusu de recenti scripsi ad eiusdem ecclesiae Rectorem pro transmittendo testimonio collati baptismi.

Ad 3: Scio ipsum natum ex legitimo matrimonio, Parentibus catholicis Ritus Latini Nobilibus, quia novi eius Patrem, et nosco eius fratres germanos; Parens eius erat Judex terrestris Districtus Slonimensis, quem locum Judicis ad praesens filius eius occupat; parens illius decessit jam stante Provincialatu praefati Theodosii.

Ad 4: Ab ipsomet Theodosio audivi ipsum habere aetatem annorum 57, quodque expleverit plus quam trigesimum annum de certa scientia habeo, ex quo ab annis 24, completis studiis, in docendo, Secretarium agebat.

Ad 5: Ab annis 24 sum professus, et jam vidi ipsum celebrantem et subinde variis in Officiis ipsum advertebam. Ordinatus ad S. Presbyteratus ordinem Romae,<sup>17</sup> ante ingressum meum in Religionem, quam Ordinationem eius in Urbe ab ipso audivi.

Ad 6: Vidi ipsum toties celebrantem tam solemnes, quam privatas seu lectas Missas, quoties visitaverat monasteria, stante suo per octennium Provincialatu, in quibus ego mansi, quinimo stante meo superioratu in monasterio Lauryszoviensi, sub tempus ipsius visitationis dicti monasterii, per duas septimanas ferme quotidie vidi ipsum devote celebrantem, frequenter confi-

<sup>17</sup> Theodosius Rostockyj ordinatus fuit sacertos Romae ab Archiepiscopo Dyrrachiensi, Josepho Schirò, Ordinante in Urbe, anno 1754; cfr. supra pag. 10, et nota 3.

tentem, chorum quotidie frequentantem; hic quoque Varsaviae ultra septimanam manens, pluries Missas celebravit, et est ter confessus, ac choro adfuit, et exinde scio ipsum esse devotum, et exemplarem.

Ad 7: Scio ipsum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permanisse, quia audivi saepius in adventu ad Monasteria, et in recessu ab illis, post peractam Visitationem, salutares exhortationes nobis omnibus paterne praebentem.

Ad 8: Scio ipsum esse intaminatae vitae, bonae conscientiae, bonorumque morum, optimae conversationis, bonaeque famae; scio ista non solum ex supra recensitis, verum etiam ex publica fama.

Ad 9: Scio ipsum virum esse gravem, prudentem, et usu rerum praestantem, quia ab annis 24 secretariatum tum in Provinciali, tum Generali Officio gessit, Rectoratum publicarum scholarum in monasterio Vladimiriensi ultra tres annos egit, fuit quoque administrator Abbatiae Zydyczynensis sui Ordinis, demum post completum quadriennii tempus Provincialatus sui, pro alio quadriennio successive reelectus fuit, quod Officium octennii ad praesens exspirat, et in his functionibus prudenter, et laudabiliter se gessit, tum ex propria, tum ex publica fama scio.

Ad 10: An sit ipse Theologiae Doctor determinate nescio, coniecturaliter tamen videtur mihi ipsum esse doctorem, ex quo cursum Theologicum Romae complevit, et multi ibi ex Ordine nostro dantes operam Theologiae, laurea doctorali insigniri solent. Interea docuit ille Theologiam in monasterio Polocensi laudabiliter spatio annorum quattuor; prout mihi videtur, quodque in Jure Canonico sit peritus peroptime scio, quia sub tempus visitationis canonicae, eum indirecte solos Professores admirande examinavit. Judico itaque ipsum omnem doctrinam habere et possidere, quae in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere.

Ad 11: Nullam curam animarum per se directe exercuit, ex quo nulli curatae ecclesiae praefuit; nihilominus visitando ecclesias curatas in monasteriis nostri Ordinis, Religiosos curam animarum exercentes, deviantes coercedebat, quandoque minus scientes suspendebat ab exercitio curae, quod accidit etiam in meo monasterio, Lauryszoviensi pro tunc, quando agebam ibi superioratum, dum Religiosum curam animarum exercentem, et defectuose librum Metrices conscribentem, compulit ad mundius transcribendum eundem librum.

Ad 12: Nunquam vidi aut audivi ipsum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, doctrinam, nulloque impedimento corporis et animi vitio canonico teneri, quominus ad Coadiutoriam Metropol. Ecclesiae promoveri possit, quod constat mihi ex conversatione saepius cum ipso habita.

Ad 13: Judico ex supra recensitis depositionibus meis, ipsum utilem et

idoneum Metropolitanae Ecclesiae Coadiutorem fore, et ad bene gerendum et obeundum munus, seu dignitatem Metropolitani dignum existimo, utque ad eiusmodi Dignitatem promoveatur, ipsum supra recensitae dotes comendant.

DEINDE VENTUM EST AD INTERROGATORIA SUPER PERSONAM  
ILL.MI D.NI JASONIS SMOGORZEWSKI, ARCHIEPISCOPI  
KJOVIENSIS ET METROPOLITANI

IDEA TESTIS.

Ad 1: Cognosco Ill.mum D. Jasonem Smogorzewski, Archiepiscopum Metropolitanum, ab annis circiter octodecem, dum ipse erat Archiepiscopus Polocensis, et ego in Monasterio Polocensi Philosophiam tractabam, in post concionatorem ibidem agebam, saepius cum ipso conversabam, et in Divinis ipsi assistentiam praestabam.

Ad 2: Didici ex instrumento per ipsum inscriptae Coadiutoriae, habere ipsum annos 69, quod instrumentum legi, et patet id ex eius facie, et proiecta aetate; quoad valetudinem scio, et vidi ipsum nuper hic existentem debilem, et adversa valetudine laborantem, quominus possit exequi, quae eius Officii sunt.

Ad 3: Necessario judico dandum ipsi Coadiutorem ad Metropolitanam Ecclesiam, cum futura successione, nedum ob praemissas rationes, verum etiam, quia plurima negotia Dioecesis tum lites variis in subselliis, respectu avulsorum Bonorum Mensae Archiepiscopalnis, exposcunt.

Et tunc finito, ut supra, examine praefatus Perillustris, Rev.mus D. Archidiaconus, Auditor Generalis et Commissarius testem licentiavit, et dimisit iniuncto ei, ut se prius sua depositioni subscriberet, prout fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego P. PALLADIUS ZAFATAY, Ordinis S. Basillii Magni, Provinciae Lithuaniae Procurator Causarum (mp).

ANNO EODEM 1784. DIE 19 JULII. VARSAVIAE

Examinatus fuit per eundem Perillustrem, Rev.mum D. Archidiaconum, Auditorem Generalem et Commissarium, in camera solitae eius residentiae, Perillustris, Rev.mus D. STEPHANUS LEWINSKI,<sup>18</sup> Archidiaconus ecclesiae Cathedralis Leopoliensis, Ritus Rutheni-Catholici, aetatis suae annorum 51,

<sup>18</sup> Stephanus Levinskyj, Canonicus Leopoliensis, Procurator Ecclesiae Unitae Varsaviae, dein episcopus tit. Theganeus (1784), Coadiutor Luceoriensis (1785-1795) et dein Episcopus Luceoriensis (1798-1807).

prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, testis ex officio vocatus et secrete examinatus, qui delato sibi juramento de veritate dicenda, prout tactis sacro-sanctis Evangelii, quae piae manibus habebat, juravit et ad oportunas interrogations super Persona Ill.mi D. Jasonis Smogorzewski, Archiepiscopi Metropolitani Kijoviensis respondit, et depositus, prout sequitur, videlicet:

Ad 1: Cognosco Ill.mum et Rev.mum D. Jasonem Smogorzewski ab annis quindecim, pro tunc commorantem Varsaviae ob negotia Religionis, qui morabatur hic circiter per annum integrum, et successive cum ipso tractavi, et collocutus sum.

Ad 2: Scio eundem adversa valetudine, provecta aetate impediri ad exercenda ea, quae sunt eius officii Metropolitani; nam annum jam 69 agit, et sub cura medici quasi continuo existit, ad latus eius manentis, quem propriis oculis suspiciebam.

Ad 3: Tum ob rationes supra recensitas, tum ob amplam Dioecesim, tum ob continuas lites in variis subselliis saecularibus huius Regni, judico necessarium ipsi esse Coadiutorem; scio hoc, quia recentium et antecedentium litium legi documenta.

DEINDE VENTUM EST AD ARTICULOS SUPER SITU  
ECCLESIAE ET DIOECESIS METROPOLITANAE  
IDEM TESTIS

Ad 1: Civitas Kijoviensis sita est in Provincia Russiae Rubrae, subest Dominio, a multis annis, Moscovitico; ecclesia interea Cathedralis Metropolitana translata est Vilnam, aedificata de latere copto, satis ampla, sed indiget summa reparatione tam externe quam interne. Conflatur Domibus Ruthenorum Unitorum plus minus biscentum, personas Unitorum determinare est difficile; junctim tamen cum latinis posset effici undecim circiter millia. Civitas Vilnen. subest temporali Dominio Ser.mi Regis et Reipublicae Polonae. Scio hoc ex continua correspondentia ab annis decem practicata cum Officiali Generali Metropolitano et eius Consistorio Vilnensi.

Ad 2: Quod ecclesia Cathedralis reperiatur Vilnae supra dixi; est autem sub titulo Assumptionis B.mae Virginis Mariae. Scio ob rationem supra datam.

Ad 3: Habet Episcopos Suffraganeos: Vladimiriensem, Prothotronium, Luceoriensem, Exarcham, Archiepiscopum Polocensem, Helmensem, Pinscensem, Leopoliensem, tum Premisiensem. Archiepiscopatus autem Smolensensis ad praesens vacat. Scio hoc quia manens hic Varsaviae ab annis multis, et praxi et Literarum commercio didici.

Ad 4: In dicta Ecclesia Metropolitana nullae sunt Dignitates, et Cano-

nicatus. Divina Officia peraguntur per Vicarium constitutum, praeter quem nulla alia beneficia reperiuntur, neque Clerici consistunt, nec Praebenda Theologalis, neque Poenitentiaria adest; eadem est causa scientiae ut supra.

Ad 5: In dicta Cathedrali cura animarum non exercetur, neque fons baptismalis adest. Ex commercio Literarum cum Officiali Vilnensi habitarum scio.

Ad 6: Habet Sacrarium, sed non sufficienter instructum s. suppellectili; ad Pontificalia autem exercenda solet Metropolitanus, quoties occurrit ipsi ratio ibi adesse, secum adferre; campanile adest, et caemeterium. Causa scientiae quae supra.

Ad 7: In eadem ecclesia Cathedrali nulla sunt, prout audivi, corpora et Reliquiae Sanctorum. Scio ex publica fama, et a Procuratoribus Metropolitanis Varsaviae habitantibus.

Ad 8: Habet Domum, Palatium nuncupatum, Vilnae prope ecclesiam, Cathedralem, summa reparatione indigentem; scio ab iisdem Procuratoribus et ab Officiali Vilnensi, etiam de recenti. Habet autem commodiores Residentias Radomysliae in Palatinatu Kijoviensi, districtu Zytomiriensi, ubi continuo modernus Metropolitanus residet, et Varsaviæ, in ducatu Masoviae, magnificum Palatium cum ecclesia speciosa, de latere cocto extructa; hoc scio partim ex relatione, quoad externa; quo autem ad Varsaviensem, propriis oculis inspicio, ex quo in eodem Palatio habito.

Ad 9: Redditi Mensae Metropolitanæ annuatim ascendunt ad praesens ad centum viginti circiter millia florenorum Polonorum, provenientes ex Bonis stabilibus, qui efficiunt scuta Romanae monetae plus minus tredecim millia, ad quos proventus pensio cathedralici non intrat. Bona praefata nulla pensione sunt onerata, a Curiensibus eius didici.

Ad 10: In dicta civitate est ecclesia Parochialis una, sub titulo S. Nicolai, retinens fontem baptismalem; Monasteria autem sunt duo, unum Vironum, aliud Mulierum Ordinis S. Basilii M.; Confraternitas autem una apud PP. Basilianos, cuius tituli non memini. Curaque animarum in ecclesia S. Nicolai per Parochum exercetur; Hospitale unum penes Cathedram, sufficienter instructum, et provisum; Mons pietatis nullus adest, ex publica fama scio.

Ad 11: Dioecesis Metropolitanæ est amplissima, complectitur in se in Magno Ducatu Lithuaniae Palatinatus Vilnensem, Novogrodensem, Minsensem, et Trocensem; in Polonia autem Kijoviensem et Bracławiensem; extenditur in latus ad quadraginta, et in longum pariter ad quadraginta circiter milliaria; scio hoc ex publica et communi fama.

Ad 12: Seminarium Vilnae nullum reperitur, praeter Pontificium Alumnatum, in quo praeter Basilianos, sex clerici aluntur; adest Seminarium in Swierzno, fundationis Radziwillianaæ, ubi ad praesens nullus clericus repe-

ritur, ex quo ab aliquot annis per Fundatorum Successores pensio non persolvitur. Et Zytomiriae in Palatinatu Kijoviensi brevi inchoabitur Seminarium ex fundatione olim Rev.mi Prymowicz, antecedanei Officialis Metropolitani. Scio hoc partim ex documentis per me habitis, et lectis, partim ex publica fama.

Et tunc finito, ut supra, examine, praefatus Perillustris, Rev.mus D. Archidiaconus, Auditor Generalis et Commissarius testem licentiavit, et dimisit, iniuncto ei, ut se sua depositioni prius subscribat, quod fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego STEPHANUS LEWINSKI, Archidiaconus Leopoliensis et Cancellarius Vlodimiriensis Cathedr. (mp).

EODEM ANNO 1784. DIE 23 JULII. VARSAVIAE

Examinatus fuit per eundem Perillustrem, Rev.mum D. Archidiaconum, Auditorem Generalem et Commissarium in Camera solitae eius Residentiae, Adm. Rev.dus ac Religiosus P. ADRIANUS ANDRUSZKIEWICZ, Ordinis S. Basili Magni, Provinciae Polonae hic Varsaviae Causarum Procurator, annorum aetatis 38, prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, testis ex officio vocatus et secrete examinatus, qui delato sibi juramento de veritate dicenda, prout tactis sacrosanctis Evangelii, quae piae manibus habebat, juravit et ad oportunas Interrogationes super idoneitate, capacitate, et qualitatibus Adm. Rev.di Patris Theodosii Rostocki, Provincialis Lithuaniae Provinciae, Ordinis S. Basili Magni, respondit et depositus prout sequitur:

Ad 1: Nosco Adm. Rev.dum P. Theodosium Rostocki ab annis quatuordecim, quia eodem anno existens ego in Novitiatu in Monasterio Poczajoviensi, ipse erat pro tunc ad latus Rev.mi Generalis Secretarius eiusdem Ordinis; non sum eius consanguineus, cognatus, et affinis, nec nimis familiaris, inimicus, aemulus, nec odiosus.

Ad 2: Scio ex publica fama ipsum natum fuisse in Magno Ducatu Lithuaniae, Palatinatu Vilnensi.

Ad 3: Scio ipsum esse natum ex legitimis Parentibus, quia circa ingressum sui ad Religionem solent omnes exhibere Superioribus legitimi ortus testimonium, quod et ipse omnino id facere tenebatur; quod etiam testimonium exhibetur circa susceptionem Ordinum. Pariter ex publica fama constat mihi ipsum ex Parentibus nobilibus, et catholicis natum, et auditur, quod Frater eius possideat quoddam Officium castrense, quod officium solis Nobilibus competit.

Ad 4: Vidi ipsum ab annis 14, quo tempore canities capillorum capitis eius apparebat; non pridem autem conversatus sum cum ipso, et attendebam

ipsum excessisse annos quinquaginta et vidi ipsum eodem tempore Novitiatus mei, saepius celebrantem, cui etiam ministravi.

Ad 5: Jam supra dixi, a quo tempore ipsi celebranti saepius ministravi.

Ad 6: Finito Secretariatu octo annorum, post aliquot annos electus fuit Provincialis Provinciae Lithuaniae,<sup>19</sup> qui suam functionem exercens visus a me fuit in monasterio Zahoroviensi, Leopoliensi et hic Varsaviae. Deinde audivi communiter fere ab omnibus, quod ob negotia raro intermisserit sacrificium Missae; Hic vero Varsaviae vidi ipsum celebrantem fere quotidie devote et exemplariter. Quoties autem intermisit celebrare, audire sacrificium Missae studuit.

Ad 7: Ex publica fama, et partim de proprio visu scio ipsum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permansisse, exemplariterque se gessisse.

Ad 8: Supra dixi, quoties ipsum vidi et ab aliis audivi, toties semper esse eum praeditum innocentia vitae, bona fama, bonisque moribus, optimae conversationis et exemplaris fuisse.

Ad 9: Scio bene ipsum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem; fuit enim in Officio Generali Secretarius ultra octo annos, ex quo ob pestilentiam pro tunc grassantem Capitulum in tempore celebratum non fuit. In monasterio Vlodimirensi Rectoratum spatio quatuor annorum publicarum scholarum exercuit, tum administrationem Abbatiae Zydyczynensis sui Ordinis gessit. Postremo, per octo annos Provincialatum adusque exercuit. Has functiones propriis oculis inspiciebam. Quae munia et officia praecipua Personis idoneis committuntur.

Ad 10: An ipse sit S. Theologiae aut Juris canonici Doctor, firmiter asserere non possum; infero nihilominus mihi, ipsum esse Doctorem, quia missus ipse erat pro studiis Romam, ubi cursus scholasticos complevit. Et nostri Ordinis Religiosi ibi studia navantes, communiter laurea Doctorali insigniuntur. Ipse quoque existens Provincialis, per octo annos visitando monasteria, a pluribus Religiosis audivi, quod nedium studentes, sed etiam ipsos Professores ex omnibus scientiis strictissime examinare consueverit. Ex supra recensitis infero, quod vere ea doctrina polleat, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere.

Ad 11: Quibus muniis in Religione insignitus erat, jam supra dixi; an per se ipsum exercuerit curam animarum, nescio; audivi autem a pluribus, quod circa visitationem Monasteriorum sui Ordinis, quibus annexa erat

<sup>19</sup> Theodosius Rostockyj electus fuit Provincialis prima vice in Capitulo Provinciali Bythenensi an. 1776; secunda vero vice in Capitulo Generali/Provinciali Torokanensi 1780; cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basiliyanorum*, pag. 37-38.

cura animarum, vel maxime examinabat exercentes curam animarum, et insinuabat illis diligentiam, et exemplaritatem, ut sint etiam extraneis exempla.

Ad 12: Nunquam audivi, ut aliquod scandalum dedisset circa fidem, mores sive doctrinam, neque pariter audivi, et nunquam adverti, eum aliquo corporis aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad Metropolitanam Ecclesiam promoveri.

Ad 13: Quantum ex me, non solum ob supra deducta, verum ob eius eximios dotes, habilitatemque ad omnia, ex toto animo meo existimo eum esse dignum, ut deputetur in Coadiutorem Ill.mo Jasoni Smogorzewski, Archiepiscopo Metropolitano Kijoviensi. Insuper notum mihi est ab Officio Generali Ordinis mei totaque Provincia nostra, ipsum esse desiderabilem ab omnibus, qua ad id habilem, idoneum, et dignum.

Et tunc finito, ut supra, examine praefatus Perillustris, Rev.mus D. Archidiaconus, Auditor Generalis et Commissarius testem licentiavit, et dimisit, iniuncto ei, ut se prius suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate P. ADRIANUS ANDRUSZKIEWICZ, Ordinis S. Basili M., Procurator Causarum Provinciae Poloniae (mp).

ANNO EODEM. DIE 27 JULII. VARSAVIAE

Examinatus per eundem Perillustrem, Rev.mum D. Archidiaconum, Auditorem generalem et Commissarium deputatum altedictus Adm. Rev. dus P. PALLADIUS ZAFATAY, Ordinis S. Basilii M., Provinciae Lithuaniae Negotiorum Varsaviae incidentium Procurator (idem qui num.l. fuit examinatus) aetatis suae annorum 39, praestito corporali juramento ad S. Dei evangelia in loco ut supra ad Interrogationes super statu Ecclesiae et Dioecesis respondit, ut sequitur, videlicet:

Ad 1: Ex auditu publico scio quod Cathedralis ecclesia Metropolitana fuit Kijoviae, ad praesens subest Dominio Moschovitico; subinde Vilnam translata in Magno Ducatu Lithuaniae, est murata, et satis ampla, indigens reparatione summa tam intra, quam extra; conflatitur Domibus Ruthenorum plus minus trecentis; personae capaces Sacramentorum possunt ascendere ad numerum circiter unius mille; subest haec civitas Dominio Reipublicae Polonae; scio haec, quia ibi sex annis habitabam, et concionatorem egi.

Ad 2: Supra dixi quod ecclesia Cathedralis Vilnae est sita, et est sub titulo Assumptionis B.mae Virginis Mariae, etiam indigens summa reparatione; altaria in ea, antiqua, lignea, fere inutilia. Fui in eadem ecclesia aliquoties, et advertebam.

Ad 3. – Suffraganeos Episcopos: Polocen. Archiepiscopum, Luceorien. Exarcham, Vladimiriensem. Protothronium, Leopolien., Premyslien., Helmen.

et Pinscen. Archiepiscopatus Smolensensis ad praesens deest. Scio haec certo, quia illos nosco, praeter Leopoliensem.

Ad 4: Nec Dignitates, nec Canonicatus, neque Beneficia ecclesiastica in eadem ecclesia reperiuntur; duo, seu tres Presbyteri circa illam habitant, ad peragendas devotiones; solent ad eam accedere ex Alumnatu Pontificio Clerici. Praebenda Theologalis, et Poenitentiaria nulla est. Scio quia ibi mansi, et visitabam aliquoties eam. Fons baptismalis deest.

Ad 5: Scio quod cura animarum exercetur in alia ecclesia tit. S. Nicolai. In Cathedrali vero an exercetur cura animarum, ignoro.

Ad 6: Sacrarium quidem adest in Cathedrali, sed suppellectili plane carens. Hoc audivi ab Alumnis, quod duae tantum casulae ibi existunt, et propter illius desolationem per biennium fere occlusa stabat, quia ab aliquo annis tectum illius reparatum est; modernus Metropolitanus, pro tunc Archiepiscopus Polocensis, bis, seu ter transiens civitatem Vilnensem in nostra ecclesia celebravit; utrum Pontificalia ibi reperiantur, nescio, quia Metropolitanus tempore meae permanentiae ibi, nunquam fuerunt. Habet chorum pro Alumnis, campanile cum campanis, et caemeterium. Scio quia inspiciebam ea.

Ad 7: Ut aliqua Corpora SS. et Reliquiae essent in ea, prorsus ignoro.

Ad 8: Est Palatiolum circa Cathedram, muratum, pro Residentia Metropolitani, antiquum, in quo non fui; ab extra tamen vidi indigens reparatione. Splendidum tamen habet Palatium Varsaviae pro sui Residentia.

Ad 9: Scio fructus Mensae Metropolitanae ascendere ad centum millia florenorum Polonicalium, utpote scuta Romana efficientes ultra decem millia, idque ex Bonis stabilibus in Regno, quia ad proportionem istius summae persolvi ad Thesaurum Regni pro bullata papyro, ad quam summam preventuum nescio an intrant etiam fructus ex bonis in Magno Ducatu Lithuaniae consistentibus; nescio an aliqua pensione est gravata.

Ad 10: Scio adesse ibi unicam Parochialem ecclesiam tit. S. Nicolai, in qua est fons baptismalis, et cura animarum ibi exercetur, Monasteria sunt duo, nostrum Basilianum, et Monialium eiusdem Ordinis. Confraternitas apud nos existit S. Onuphrii; Hospitale pro pauperibus adest unum circa Cathedram, et quod bene ditatum ex publica fama habeo. Mons pietatis nullus est. Scio haec, quia ibidem mansi.

Ad 11: Ampla est satis Dioecesis Metropolitana, extendens se in Lithuania per Palatinatus Vilnensem, Minsensem, Novogrodensem et Trocensem. In Regno autem complectitur Kijoviensem et Bracławiensem Palatinatus. Scio hoc ex publica fama. Circa Cathedram nullum est Seminarium.

Ad 12: Loco Seminarii adest Alumnatus Pontificius Vilnae, in quo vide-

tur mihi ali Alumnos sexdecim, vel plus. Erat Seminarium Dioecesanum in Swierzno, fundationis Radziwilliana, sed ad praesens desit esse ob denegatam pensionem a Fundatorum Successoribus. In reliquo autem nullum Seminarium reperitur, quia ex Regno ad Vilnensem Alumnatum mittuntur Clerici. Didici hoc, manens in nostro Vilnensi monasterio.

Et tunc finito, ut supra, examine, praefatus Perillustris, Rev.mus D. Archidiaconus, Auditor Generalis et Commissarius testem licentiavit et dimisit, iniuncto ei prius, ut se suae depositioni subscribat, quod fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate, P. PALLADIUS ZAFATAY, Ordinis S. Basilii M., Procurator Provinciae Lithuaniae (mp).

Supranominatis testibus plenam fidem adhibendam esse censeo, et de promovendo in Coadiutorem bene judico.

Onuphrius Szembek, Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Auditor Generalis et Locumtenens S.ae Nuntiaturae, ad hunc Actum specialiter deputatus Commissarius (mp).

Deinde coram praelibato Perillustri, Rev.mo D. Archidiacono, Auditore Generali et Commissario, nomine praefati Adm. Rev.di P. Theodosii Rostocki, electi Coadiutoris Metropolitani, exhibita fuerunt infrascripta documenta originalia, et authentica, quorum tenor talis est, videlicet:

I. – Universis et singulis quorum interest, et quomodolibet interesse poterit, notum testatumque facio: Qualiter ego infrascriptus, sexagesimum nonum annum aetatis agens, viribus de die in diem magis debilitatus, laboribus attritus, et infirmitatibus, quas ipsa aetas fert obnoxius, immensis fere amplissimae et dissitae Archidioecesis meae, moderno praesertim tempore, curis fere oppressus; insuper perardua, et dispendiosa Bonorum Mensae Archiepiscopalis, etiam in Regni supremo Tribunal cum potentioribus adversariis vindicatione plurimum involutus, post immaturum III.mi et Rev.mi D. Gedeonis Daszkowicz-Horbacki, Episcopi Pinscensis, Coadiutoris mei, obitum, ardenter iterum cupio talem Archidioecesi meae relinquere Successorem, qui et mihi auxilio et Ecclesiae zelo, clero autem et populo bonis exemplis prodesse valeat, disciplinam denique ecclesiasticam, salutem animarum, utilitatem ac decorum Vineae Domini in corde gerat; perspectum itaque habens in Rev.mo P. D. Theodosio Rostocki, Ordinis S. Basilii Magni, moderni in Lithuania Provincialis Officium laudabiliter iterato agente, omnes eiusmodi dotes copiose reperiri, deliberatione super his mature praehabita, eundem Rev.mum P. Rostocki, utpote virum doctrina, prudentia, meritis, moribusque ac genere clarum, de catholica vero religione optime meritum, demum fidei catholicae augendae, cultus divini ampliandi, Ecclesiasticae Immunitatis manutenendae exemplariter studiosum, sub beneplacito S.ae

Sedis Apostolicae in Coadiutorem Archiepiscopatus Kijoviensis, Haliciensis, Metropolitani totius Russiae, de benigno Ser.mi Poloniarum Regis, Domini mei Clementissimi assensu, praesentibus eligo, et mihi assumo, ipsumque ad huiusmodi Coadiutoriae cum futura successione munus, suprema Sanctae Sedis Apostolicae Authoritate praedestinari humillime postulo, ac simul promitto, huiusmodi Coadiutoriam nullo tempore, aut praetextu posse unquam a me revocari. In quorum fidem etc. Datum Varsaviae, 19/30 Maji 1784.

JASON JUNOSZA SMOGORZEWSKI, Archiepiscopus Kijovien., Halicien, Metropolitanus totius Russiae (mp) (L.S.).

II. – Universis et singulis, quorum interest aut quomodolibet interesse poterit, significo: Qualiter libri metrices baptisatorum ecclesiae Praepositorialis Trabensis, sub conflagratione Residentiae Parochialis in anno 1773, die 20 Febr., consumpti sint, una cum aliis documentis eiusdem ecclesiae, prout protestatio Adm. Rev.di Matthiae Zolądkowski, Vice-Praepositi Trabensis, stante Possessione Praepositurae eiusdem Perillustris Rev.mi Gli- giotti, Canonici Varmiensis, Praepositi Trabensis, in anno eodem die 29 mensis Martii coram Actis Castrenibus Districtus Oszmianensis facta, enuntiat, adeoque metrica baptismi Adm. Rev.di ac Religiosi P. Theodosii Rostocki, Ordinis S. Basilii M., Provincialis moderni Provinciae Lithuaniae, in an. 1727 libris inscripta circa ecclesiam Praeposituralem Trabensem, ad praesens non reperitur. Quod attestatum fideliter confirmando, manu propria subscripsi, et sigillo communivi requisitus.

Datum Trabis, anno D.ni 1784, mensis 20 Julii.

Andreas Rotkiewicz, Canonicus Livoniae, S. Authoritate Apostolica Notarius, Praepositus Trabensis manu propria.

(Locus sigilli super cera rubra expressi).

III. – Joseph Schirò, Ordinis S. Basilii M. Congregationis Italiae, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Dyrrachinen., olim Vicarius Apostolicus in Epiro, nunc vero ad exercenda in Urbe Pontificalia, Ordinesque SS. Ritu Graeco conferendos specialiter deputatus. – Praesentibus notum facimus atque attestamur per solemnem ordinationem, habitam a nobis tribus diebus festivis, Nos promovisse ad SS. Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus Ordines juxta Ritum S.ae Orientalis Ecclesiae Dilectum Nobis in Christo Filium Theodosium Rostocki, Monachum Ruthenum Ordinis S. Basilii Magni, Ven. Collegii Graecorum de Urbe Alumnum, nullo canonico impedimento irretitum, ac canonicis requisitis, prout de jure, munatum. In quorum fidem has praesentes testimoniales Literas dari iussimus. Romae, die 15 Aprilis 1754-to, Pontificatus vero SS.mi in Christo Patris Benedicti Papae XIV anno XIV.

Joseph, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, manu propria.

(Locus + sigilli super hostia rubra expressi).

Georgius Valeszanovich, Prosecretarius manu propria.

Quibus omnibus et singulis, ut supra, peractis: Ex parte eiusdem Adm. Rev.di P. Theodosii Rostocki petitum fuit, ut suprapositus Processus, seu illius Copia in forma authentica extraderetur, et sigillo munita consignaretur, ad effectum eandem ad Almam Urbem transmittendi, omni etc.

Quocirca altememoratus Perillustris, Rev.mus D. Archidiaconus, Auditor Generalis et Commissarius, Processum huiusmodi in copia authentica clausum et sigillatum extradendum esse duxit, decernendo praefatis omnibus et singulis, tanquam rite et legitime gestis, ubique locorum plenam, et indubitatem fidem ab omnibus in Judicio et extra adhibendam esse. In quorum omnium et singulorum fidem praesentes manu propria, et mei infrascripti Notarii et Vice-Cancellarii subscriptas, sigillo proprio dicti Cel.mi Vicesgerentis communiri jussit.

(L.S.) Onuphrius Szembek, Canonicus Cathedr. Cracovien., Auditor Generalis et Locumtenens S.ae Nuntiaturae, ad hunc Actum specialiter deputatus Commissarius (mp).

Et quia ego Josephus Dzieszkowski, S.a Authoritate Apostolica Notarius, et Actorum Tribunalis S.ae Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae, et Magno Ducatu Lithuaniae Vice-Cancellarius memoratae inquisitioni, et testium examini per supradictum Perillustrem, Rev.mum D. Archidiaconum, Auditorem Generalem, et Commissarium habitae, et receptae personaliter interfui, nec non juramenta testium praenominatorum solemniter fieri vidi, et audivi, eorumque dicta in his scriptis fideliter redigi, ideo hoc examen, totumque hunc Inquisitionis Processum manu propria subscripsi, signoque meo solito munivi.

Varsaviae, die 31 mensis Julii, anno D.ni 1784-to.

(L.S.) Josephus Dzieszkowki, Notarius et Vice-Cancellarius idem qui supra (mp).

## V.

*Nominatio regia Rostockyj in Coadiutorem Kiovensem.*

N. 233 (sigill: aquila: 500 zlot)... N. 3 (sigill.: aquila: 60 cer. zlot.).

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater, Domine Clementissime.

Post oscula Pedum Sanctitatis Vestrae, mei Regnique ac Dominiorum meorum humillimam commendationem.

Minime dubito quin lateat Sanctitatem Vestram Admodum Reverendum in Christo Patrem Jasonem Junosza Smogorzewski, Archiepiscopum Metro-

politanum Kijoviensem totiusque Russiae, Ritus Graeco-Uniti, tot annorum lustra transiisse, ut in ulteriori vitae suae cursu gravatae aetatis senio et in Vinea Christi salutari opere fessus, hanc non immerito mereatur animadversionem, quatenus opportune idoneum, ac omni expectatione praeditum ferendis oneribus debeat postulare, ac sibi ad promovenda Divina adsciscere Coadiutorem. Cum itaque parem zelo erga utilitatem Ecclesiae, aequalem studio ad praestanda publica obsequia pariterque claritudine generis conspicuum, mihi apprime commendatum Reverendum in Christo Patrem Theodosium Rostocki, Episcopum Chelmensem Ritus Graeco-Uniti proposuerit, super eoque nominando Coadiutore Consensum meum Regium expetierit, huius igitur dotes gratia mea Regia prosequendo eundem Sanctitati Vestrae in Coadiutorem dicti Archiepiscopatus Metropolitani Kijoviensis totiusque Russiae, Ritus Graeco-Uniti, una cum Archimandria Kijovo-Pieczarensi, ea, qua par est, mente mea nominare in animum induxi, prout de jure mihi incumbenti praesentibus nomino; pro et cum eo humillime supplicans, ut is idem modo nominatus Coadiutor, post sera fata Admodum Reverendi in Christo Patris Jasonis Junosza Smogorzewski, alia amplius non indigeat Nominatione mea, nisi qua actualis Coadiutor ac Nominatus meus, ex beneplacito Sanctitatis Vestrae Bulla Pontifica super eo expediri benigne demandanda, valeat insigniri. Quod filiali expetens submissione felix ac diuturnum Sanctitati Vestrae Orbis Christiani Regimen ex animo appreco.

Dabantur Varsaviae, die II-a Mensis Augusti, anno Domini MDCCCLXXXIV, Regni vero mei XX anno.

Sanctitatis Vestrae obedientissimus Filius Stanislaus Augustus, Rex Poloniae (mp.).

(retro: *in secundo folio: sigil. majus*)

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, Domino Pio, Divina Providentia Papae eiusdem nominis VI, Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

## VI.

*Professio fidei Theodosii Rostockyj in consecratione episcopali.*

EGO THEODOSIUS ROSTOCKI O.S.B.M.,  
PROVINCIAE LITHUANAE PROVINCIALIS

Firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem Factorem Caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium... Et in Spiritum Sanctum Dominum, et Vivificantem. Qui

ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglobatur. Qui locutus est per Prophetas... Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observations, et constitutiones...

Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistrum agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo, tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque, ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integrum, et inviolatam usque ad extreimum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari quantum in me erit curaturum. EGO idem Theodosius Rostocki O.S.B.M. Prov. Lithuaniae Provincialis spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego Onuphrius Szembek, Canonicus Cathedr. Cracoviensis, Coadiutor Archidiaconus Insignis Collegiatae Varsaviensis, Ill.ris, Excel.mi et Rev.mi D.ni Christophori Hilarii a Słupow Szembek Uranopolitani et Coadiutoris Episcopi Plocensis, Ducis Sielunensis, cum Facultatibus Nuntii deputati Vices-gerentis, generalis causarum Auditor, Judex et Locumtenens ac ad praemissa delegatus Commissarius, suprapositam fidei professionem in manibus meis de verbo ad verbum a R. Patre Theodosio Rostocki, Provinciae Lithuaniae Ordinis S. Basilii Magni Provinciali emissam, juxta formam a a sa.me. Urbano VIII prae scriptam, vigore respectivae facultatis ab eodem Ill.mo, Excel.mo Domino deputato Vices-gerente mihi datae, recepi. In cuius rei fidem manu propria me subscribo.

Onuphrius Szembek, ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonicus, et Insignis Collegiatae Varsaviensis Coadiutor Archidiaconus, Auditor Generalis et Locumtenens, ac deputatus Commissarius (mp).

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Omnibus et singulis quorum interest, fidem facio, et attestor ego infra scriptus, quod anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Jesu Christi Millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, inductione Romana secunda, die vero decima tertia mensis Julii, Varsaviae constitutus personaliter Adm. Rev. Pater Theodosius Rostocki, Provinciae Lithuaniae Ordinis S. Basilii

M. Provincialis, coram Perillustri, Rev.mo Domino Onuphrio a Słupow-Szembek, T.U.D., ecclesiarum Cathedr. Cracoviensis Canonico, et Insignis Collegiatae Varsaviensis Coadiutore-Archidiacono, Curiae Cel.mi, II.mi, Excel.mi et Rev.mi D.ni Christophori Hilarii a Słupow-Szembek, Dei et Apostolicae Sedis gratia Uranopolitani, et Coadiutoris Episcopi Plocensis, Ducis Sielunensis, Ordinum Aquilae Albae, et S. Stanislai Equitis, a SS.mo D.N.ro D. Pio Papa VI, et S.ae Sedis cum facultatibus Nuntii Apostolici in Regno Poloniae etc. deputati Vices-gerentis, Generali Causarum Auditore, Judice et Locumtenente, delegato Commissario, flexis genibus et tactis sacrosanctis Evangelii, quae p[re]e manibus habebat, medio juramento retro-positam fidei professionem de verbo ad verbum, prout jacet, in manibus eiusdem Perillustris, Rev.mi D.ni Onuphrii a Słupow-Szembek, Generalis Auditoris et Commissarii emisit, et in locis ubi nomen eiusdem R.P. Theodosii Rostocki scriptum est, propria manu scripsit, praesentibus Perillustribus, Adm. Rev.dis Stephano Lewinski, Archidiacono eccl. Cathedr. Leopolien. et Palladio Zafatay, Ordinis S. Basilli M., Provinciae Lithuaniae Procuratore, testibus vocatis, habitis, et adhibitis.

Actum anno, die et loco, prout supra. Et in fidem me subscrispi, signoque Notariatus publici communivi.

Josephus Dzieszkowski, S.a Authoritate Ap.lica Notarius et Actorum Tribunalis S.ae Nuntiatura Ap.licae in Regno Poloniae Vicecancellarius (mp).

(L.S.)

## VII.

*Romae, 10. XII. 1784.*

*Propositio consistorialis Theodosii Rostockyj in episcopum et coadiutorem Kiovensem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Polonia e Ruteni*, vol. 15, fol. 500-501v; vol. 17, fol. 227-228.

Eminentissime et Reverendissime Domine.

Sanctissimus Dominus noster in proximo Consistorio proponet Coadjutoriam Metropolitanarum Ecclesiarum invicem unitarum Kijoviensem, et Haliciensem, Ecclesiarum Ritus Graeci-Rutheni, Sanctae Romanae Ecclesiae Uniti, nec non referet ipsarum Ecclesiarum statum, et qualitates R.P.D. Theodosii Rostocki, electi Episcopi Chelmensis ejusdem Ritus, ex benignitate Sanctitatis Suae deputandi in Coadjutorem cum futura successione R.D.P. Jasonis Junosza Smogorzewski, praedictarum Ecclesiarum Archiepiscopi, ob ingravescentem ejus aetatem infirmamque valetudinem, ad Pastorale munus obeundum, ea qua est diligentia, et alacritate, ope maxime indigenti, expresso consensu, juxta Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

In Russia Rubra, et Kijovien. Palatinatu, Kioviae, Haliciae vero Civitates in ipsa Rubra Russia, Russiaeque ipsiusmet Palatinatu sitae; subjacent temporali Moscorum dominio. Attamen in secundo dictae civitatis suburbio biscentum, et ultra numerantur Catholici Ritus supradicti.

Residentia propterea praefati Archiepiscopi, qui est totius Russiae dicti (f. 500v) Ritus Metropolita, Vilnam, civitatem Magni Ducatus Lithuaniae dictoque Poloniae Regi subjectam, jamdiu translata existit.

In ipsa Vilnae Civitate, trecentis fere conflata dictae Nationis Graeco-Ruthenae domibus, ac mille circiter ejusdem Ritus catholicis Incolis referta, erecta est Metropolitana ecclesia, sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, cui duo Archiepiscopi, ac sex suffragantur dicti Ritus Episcopi, et magna desideratur reparatio.

In eadem ecclesia exercet praefatus Metropolita Pontificalia munia, ab aliquibus Presbyteris, et Clericis dicti Ritus coadjuvatus, cum in ea neque sint Dignitates, neque Canonici.

Non exercetur animarum cura, nec in ea Fons reperitur Baptismalis; sed exercetur in proxima illi Parochiali ecclesia, Deo dicata in honorem S. Nicolai, in qua Fons etiam existit Baptismalis.

Pro Divinis peragendis non satis ornatum est Sacrarium relatae Metropolitanae. Pro Pontificalibus vero exercendis, Archiepiscopus pro tempore necessaria supellectilia secum deferre consuevit.

Nullae sunt in nominata ecclesia Sanctorum Reliquiae, nec Chorus, neque Organum, sed Campanile tantummodo, et Caemeterium.

Magna indigent reparatione Archiepiscopales aedes, prope eamdem ecclesiam constitutae; ultra quas habet Metropolita commodam domum Radomisliae, in Palatinatu Kijoviensi, Varsaviae vero magnificentum Palatium cum ecclesia speciosa.

Fructus minime taxati sunt in libris Camerae, et ascendunt ad tredecim millia, et ultra scutorum monetae Romanae.

Ultra memoratas Ecclesias habentur in Civitate Vilnensi praefata unum (f. 501) Mulierum Monasterium, ac Virorum alterum Ordinis S. Basilij Magni, una laicorum Confraternitas, Pontificium Collegium, Seminarium absque Alumnis, et Hospitale.

Ampla est Dioecesis, atque extenditur tam in longum, quam in latum ad quadraginta milliaria, in quibus plura loca connumerantur.

Deputandus in Coadjutorem hujusmodi est praefatus Theodosius, Monachus Ordinis S. Basilij Magni expresse professus, ex catholicis, nobilibus, ac legitimis Parentibus in Dioecesi Vilnensi procreatus, in quinquagesimo septimo sua aetatis, et a vigintiquatuor et ultra in Sacro Presbyteratus Ordine constitutus, et Sacrae Theologiae Magister, qui in diversis Monasterijs praefati Ordinis, ejusdem Theologiae Lectoris, Confessoris, Secretarij, Rec-

toris, Administratoris, Visitatoris, et ab octennio usque ad praesens Provincialis munia, cum probitate, ac doctrina explevit; nec non in praesentiarum Ecclesiae Chelmensis dicti Ritus in Episcopum delectus fuit; Vir gravitate, prudentia, doctrina, optimis moribus, rerumque experientia praeditus, et in ecclesiasticis functionibus recte versatus; quamobrem reputatur dignus, ut Coadjutor cum futura successione, ut supra, deputetur.

Emisit professionem fidei in manibus R.D. Honuphrij Szembek, Canonicus Cracoviensis, Auditoris generalis, et Iudicis, Nuntiaturae Regni Poloniae Locumtenentis ex commissione R.P.D. Christophori Hilarij Szembek, Episcopi Plocensis, ut ab eadem Sanctitate, in absentia R.P.D. Apostolici Poloniae Nuncij, in eodem Poloniae Regno Vicesgerentis deputati.

Praemissa constant ex Processu coram supradicto Canonico, de mandato et commissione memorati Episcopi Plocensis confecto.

Supplicatur pro expeditione, cum deputatione Coadjutoris, ut supra, cum futura successione, etiam in Archimandritatu Kiovo-Pczarensi, praefatis Metropolitanis perpetuo unito, ac per supradictum Jasonem Archi-Episcopum obtento, et cum retentione praefatae Chelmensis Ecclesiae, durante Coadjutoria hujusmodi, juxta relatum Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, nec non cum clausulis necessarijs atque opportunis.

(f. 501v) PROPOSITIO – Coadjutoriae Ecclesiarum Kiovienis, et Haliciensis.

## VIII.

*Romae, 11. IV. 1785.*

*Provisio Coadiutoriae Kiovienis in persona Ep.pi Chelmensis, Theodosii Rostockyj, in Consistorio secreto facta.*

ASV, *Arch. Congr. Consist.: Acta Camerarii*, v. 40, fol. 28v-29; *Acta Miscell.*, v. 90 n.n., fasc. 15.

An. MDCCCLXXXV. – Kiovien. et Halicien. Unitorum Coadiutoria.

Romae. In Palatio Apostolico Vaticano, feria II-a, die XI Aprilis MDCCCLXXXV, fuit Consistorium secretum, in quo SS.mus Dominus Noster...

Sanctitate Sua proponente, R.P. Jasoni Junosza Smogorzewski, Archiepiscopo Metropolitanarum Ecclesiarum invicem unitarum Kiovien. et Halicien. Ritus Graeci-Rutheni S.R.E. Uniti, ob ingravescentem eius aetatem adversamque valetudinem ad Pastorale munus, ea qua par est sedulitate atque alacritate obeundum, ope aliqua maxime indigenti, accidente Ser.mi Regis Poloniae dictique Archiepiscopi expresso consensu, deputavit R.P. Theodosium Rostocki, electum Episcopum Kelmen., praefati Ritus, fidem etc. professum, omniaque etc. habentem, Coadiutorem cum futura successione in regimine et administratione Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. pree-

dictarum, atque Archimandritatus Kiovo-Peczaren. eisdem uniti, cum retentione Chelmen. Ecclesiae praedictae, durante Coadiutoria huiusmodi, iuxta decretum Sacrae Congregationis de Prop. Fide, et insuper cum decreto, quod ipsa Coadiutoria cessante, et successioni loco facto, praefata Chelmen. Ecclesia vacet ipso facto, quodque Domus Archiepiscopalnis reparacioni pro viribus incumbat, Sacrarium supellectili sacra ad Divina peragenda et ad Pontificalia exercenda sufficienter instruat, ac Seminario provideat pro alendis Alumnis, eius conscientiam super his onerando. Absolvens etc. cum clausulis, etc.

Kiovien. et Halicien. Unitorum Coadiutoria.

Non taxat fructus m. 13 scutorum et ultra monetae Romanae.

## IX.

*Romae, 11. IV. 1785.*

*Bulla provisionis Coadiutoriae Kioviensis in persona Theodosii Rostockyj,  
Episcopi Chelmensis.*

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4377, fol. 153-160v.

APP, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 15, fol. 495-499v.

A.G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, pag. 472, nr. 844.

Pius Episcopus... Romanus Pontifex...



**EPISTOLAE THEODOSII ROSTOCKYJ**  
**Metropolitae Kioviensis**  
**(1788-1805)**

---

1.

*Radomysliae, 7. VI. 1785.*

*Ut videtur, Secretario de Prop. Fide Stephano Borgia gratias agit de nominatione in Episcopum Chelmensem et Coadiutorem Kiovensem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia, Ruteni*, vol. 15, fol. 551-2.

Ill.me, Excellentissime et Rev.me Domine, Domine Patrone Singularissime.

Gratias S. Sedis Apostolicae, quas mihi clementissime concedere dignata est, occasione electionis meae in Coadiutorem Ill.mi, Ex.mi totius Russiae Metropolitae, simulque nominationis in Episcopum Chelmensem, acceptas referre debo illi Exc.tiae Vestrae Ill.mae benevolentiae, qua iam dudum nostrum Basilianum Ordinem prosequitur;<sup>20</sup> quid enim est huius Ordinis alumnū minime cognitum et nullo merito sibi commendatum amplissimis exornare beneficiis, quam (fol. 551v) eidem Ordini propensi animi exhibere testimonium.

Quemadmodum itaque Religio Basiliana nomini Exl.ntiae Vestrae Ill.mae semper obligatissima nova haec beneficia grato colit animo, ita ego, cui vel maxime praestita sunt, non possum non pleno gratitudinis sensu semper revolvere. Semper me gratum exhibere volo, semperque memorem tanti in me beneficii esse et semper omnibus obsequiis ulteriores mihi E.V. Ill.mae emereri gratias, (fol. 352r) Sanctae autem Apostolicae Sedi, quam colere et revereri honori mihi et perpetuae obligationi constanter duxi, fidelem obedientiam, reverentiam et obsequiosam subiectionem, ex animo servare et profiteri. Haec, debita cum reverentia, dum polliceor in profundissimo cultu esse et permanere volo.

Ill.mae Ex.tiae et R.mae D.nis Vestrae, D.ni Patroni singularissimi humillimus et obsequiosissimus servus.

Radomysliae, 7 Junii 1785.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Nominatus.

---

<sup>20</sup> Stephanus Borgia, Secretarius de Prop. Fide (1770-1789). Hic Ordini Basiliano vere favebat his difficillimis temporibus. Ann. 1800-1804 Praefectus Congr. Prop. Fide.

## 2.

*Cholm, 11. XI. 1785.*

*Theodosius Rostockyj Cardinalibus de Prop. Fide gratias agit de sua promotione in Episcopum Chelmensem et Coadiutorem Kiovensem.*

APF, *Scritt. rif. nei Congr.: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 15, f. 654v.

Eminentissimi Principes, Domini Patroni Singularissimi.

Post acceptam possessionem pauperrimi Episcopatus mei, et fere ad nihil redacti, quam non tam multo abhinc tempore inire mihi licuit, primum et potissimum fuit, ut EE.ntiis Vestris, submissionis et observantiae meae perpetuum exhiberem testimonium, debitasque gratias facerem, pro collatis mihi eorum beneficiis, quae longe maxima in negotio Coadiutoriae acceperam, eo vero magis ad id praestandum me obligatum esse sentio, quod EE.ntiae Vestrae officiosissimis litteris suis me honorare, et bonae existimationis testimonium transmittere benignissime dignati sunt.

Nihil in me est, quod aut huius benevolentiae dignum esse possit aut illi, quam EE.ntiae Vestrae liberaliter faciunt, existimationi respondeat, in eo unice gloriari licet, per tractum temporis, quo demandata Religionis Basilianae Officia sustinui, ardenter me semper studuisse, ut S. Matri Romanae Ecclesiae constantem *semper* obedientiam exhiberem, et Sacro EE.rum Vestrarum Senatui obsequiosam voluntatem in omnibus offerre possem. Toto etiam (f. 654v) reliquo vitae tempore, non in aliud magis mihi incumbendum propono, quam ut hanc S. Sedi Apostolicae subiectionem, et obedientiam omnibus argumentis comprobare pergam, EE.ntiis autem Vestris pro singularibus in me beneficiis, maxima, qua potero, gratitudine respondeam, et in omnibus, quae sese offerent occasionibus, impense me commendari faciam, atque profundissima venerationis, submissionis, et distinctissimi cultus debita documenta semper praebeam semperque existam.

Eminentiarum Vestrarum humillimus et devotissimus Servus ac Exorator.

THEODOSIUS, Episcopus Chelmensis. et M. Coadiutor  
Chelmae, 11. 9bris 1785.

## 3.

*Cholm, 15. XII. 1786.*

*De situatione oeconomica et paupertate eparchiae Chelmensis, amissis fundis Mensae per interferentias Imperii Austriaci, cui eparchia haec adscripta fuit ex divisione Regni Poloniae peracta.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 426-427rv.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, D.ne Patrone Singularissime.

Post adempta bona a S. Caesarea Maiestate, quae fundum constituebant Episcopatus Chelmensis, ad ultimam miseriam eundem Episcopatum redactum fuisse, nemo est in Terra Chelmensi, qui ignoret. In sola villula circa civitatem existente, quae Episcopis ad functiones Sacras peragendas venientibus pro reclinatorio duntaxat fuit, et quae vix iis, qui illi attendere debent, sustentandis sufficit, totus Episcoporum Chelmensium ad praesens subsistendi modus consistit: eius quoque licet admodum pauci in pecunia redditus, quanti sunt, in publicas contributiones reddi debent; hae enim eadem remanserunt, quae tunc erant, cum (fol. 426v) integras possessiones suas idem Chelmensis Episcopatus retinuit. Non superest quare Episcopis Chelmensibus, quam ex solo cathedralico victitare, quemadmodum victitasse legimus Hartuinum Archiepiscopum Bremensem, cum deduceretur ad inopiam, si hoc pensum, quod in signum subjectionis, et in honorem Cathedrae, ad episcopalnis scilicet officii onera subeunda, dari solet, his et simul Episcopi Chelmenses indigentiis, atque pro fabrica cathedralis ecclesiae, quae multis altaribus et tecto eget, sufficeret; quia vero minime sufficit, integra Belzensi Dioecesi et Chelmensi ecclesiis bene multis, per Sacram Caesaream Majestatem, deoccupatis reliquum est, ut per Sanctae Sedis Apostolicae intercessionem (fol. 427), quando sese offert subveniendi occasio, subsidia opportuna, a S. Regia Majestate, tanquam suo Patrono, et Statibus Reipublicae quaerant. Cum itaque sicut et publicis testimoniis accepimus, sortes illorum, qui per S. Caesaream Majestatem in suis redditibus, qui in eius ad praesens Regnis remanserant, iniuriati sunt, repositae sint per Status Reipublicae in manibus Celsissimi Principis Regni, peropportunum judico supplicandi E.V. Ill.mae, ut per suam singulariem gratiam, pro Episcopatu Chelmensi, qui majorem caeteris omnibus iniuriam tulit, quia totum suum fundum amisit, apud eundem Celsissimum Principem intercedere velit. Antiquissimus in (fol. 427v) Russia est, et ob publicatam S. Unionem post Florentinum Concilium a Cardinali Isidoro in Chelmensi cathedrali, atque ob constantem semper Episcoporum Chelmensium cum Sancta Romana Ecclesia Unionem, etiam infelicissimis temporibus, cum ali ab hac descivissent, memorabilis. Meretur quare in his suis angustiis Sanctae Sedis Apostolicae gratiam et patrocinium, pro quibus consequendis, dum ardentissimis precibus insto, cum devotissimo cultu, reverentia et profundissima veneratione, esse et profiteri volo.

Illustrissimae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae,  
Domini Patroni singularissimi humillimus et obsequiosissimus Servus

Chelmae, 15. X-bris 1786.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Episcopus Chelman.

## 4.

*Cholm, 4. II. 1787.*

*Gratias agit Nuntio Apostolico de beneficiis factis in recuperandis bonis eparchiae Chelmensis, de sac. Theodoro Romanowski et de obiectionibus contra ipsum etc.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 428-429r.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, D.ne Patrone Singularissime.

Gratiae summae Excellentiae V. Ill.mae sunt a me referenda, quod pro Ecclesia mea, bonis suis spoliata, officia sua interponere dignata fuerit, quas itaque possum maximas fero, et ulteriori protectioni hoc idem negotium commendari cupio; inter permagna Ecclesiae Chelmensi praestita beneficia semper habiturus, si quod potentia Augusti Caesaris amisit, gratia et patrocinio Exc. Vestrae Ill.mae restitui sibi obtinuerit. Quod attinet Rev.dum Theodorum Romanowski, parochum Orocensem, illius causa in prima Consistorii Chelmensis instantia nondum terminata fuit; a prima enim sui excusatione, per (fol. 428v) integrum annum variis semper diffugiis laboravit, cum interea novae vel ab ipso, vel contra ipsum accusationes, novas semper inquietudines exposcebant. Postulatio quare mea enixa est, ut Excellentia V. Ill.ma causam eius ad primam Consistorii Chelmensis instantiam remittere velit, si vero quod gravamen ab eodem Consistorio sibi illatum existimaverit, liberum ipsi erit recurrere ad Tribunal Excellentiae V. Ill.ae. Res quae est contra ipsum, non parvi ponderis esse videtur, praeter enim alia bene multa, obiicitur eidem sacrilegium et communicatio cum disunitis, quae in prima instantia, ubi omnes, qui in causam intrant, (fol. 429) praesentes erunt, commodius examinari possunt; aliunde primam instantiam praeteriri non facile patietur Excellentia V. Ill.ma, ne cuique integrum esset autoritatem eiusdem instantiae, postponere, vel subterfugere, per consequens facere, quidquid libuerit. Id cum ab Excellentia V. Ill.ma humillime postulo, cum profundissima veneratione esse et profiteri volo.

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Singularissimi humillimus et obsequiosissimus Servus

4 Febr. 1787.

THEODOSIUS, Episcopus Chelmensis.

(fol. 428, *alia manu*): Ric. 20 Febr. 1787.

## 5.

*Cholm, 17. IV. 1787.*

*Eidem de visitatione Lithuaniae, de quodam libello contra Pontificem Romanum, de quibus certiorabit eparchiam et fideles.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 430-431r.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, Patrone Singularissime.

Cum redirem ex Lituania, ubi ex commissione Ill.mi, Exc.mi D.ni Metropolitanus visitatorem egi ecclesiarum, quae transacta hyeme visitari non poterant, accepi Excellentiae V. Ill.mae litteras proscriptionem libelli continentis, quem impudentissimus Eybel de Summo Pontifice vulgaverat, ut hanc eandem condemnationem ad omnium notitiam in Dioecesi mea deducerem et pro iustissime condemnato, curae meae subiectis, Pastoribus aequae ac ovibus, significarem.

Libenter (fol. 430v) ex animo non modo in Congressibus Dioecesanis, qui mihi nunc tenendi erunt, verum etiam per circularem epistolam, ne incaute homines veneno inficiantur, prohibitionem praeexpressam Dioecesi meae communicabo, et ut a legendō hoc libro fideles abstineant, admonebo, in omnibus debitam erga S. Sedem Apostolicam oboedientiam et promptam mandatorum Excellentiae Vestrae Illustrissimae observantiam profiteri volunt, simulque testari cupiens me (fol. 431) semper futurum in profundissima veneratione

Illustrissimae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Singularissimi, humillimum Servum et Exoratorem

Chelmae, Aº 1787, die 17 Aprilis.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Ep.pus Chelm.

(*fol. 430, alia manu*): Non s'è risposto.

## 6.

*Cholm, 7. V. 1787.*

*Iterum movetur causa de Decimis Chelmensibus a Clero latino.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 432-433rv.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, Patrone Singularissime.

Ius percipiendi decimas a suis eiusdem Ritus parochianis disputavit olim Clerus Chelmensis latinus, Clero Dioecesis meae, sed et Decretis S. Apostolicae Nuntiaturae et cum causa per appellationem devolveretur Romam, Decretis etiam ipsius S. Sedis Apostolicae, favore Cleri Rutheni decisum fuit et definitum; ventum quare in anno 1668 ad solemnem compositionem inter Ill.mum Susza, tunc Episcopum Chelmensem,<sup>21</sup> nomine sui et nomine Cleri Rutheni agentem ex una et Ill.mum Swirski, tunc Suffraganeum (fol.

<sup>21</sup> Episcopus Chelmensis Jacobus Susza (1652-1687); cfr. SLAWOMIR GLÓDZ, *Testamentum Jacobi Susza* (1687), in «Analecta OSBM», vol. X (1979), pag. 213-220. Cfr. etiam in vol. VII (1971) opus I. Nazarko, OSBM, in lingua ucraina, pp. 22-84.

432v) et Vicarium Generalem,<sup>22</sup> atque Capitulum latinum Chelmense, nomine Cleri totius respectivi componentibus, parte ex altera, qua non modo ius illud, quod per omnes aequitatis regulas debebatur Clero nostro firmatum fuit, verum etiam in possessionem decimarum hic idem Clerus noster introductus erat, ubi in ante, ab iis percipiendis arcebatur. Ita vero inter unum et alterum Clerum rem compositam, nonnulli ex latino Clero nunc rursus excitare adnituntur, in judiciis Referendariae Regni contendentes, ut communitates Ruthenae, (fol. 433) quae a parochis eiusdem Ritus obsequia spiritualia obtinent, non suis pastoribus, sed Parochis latinis decimas manipulares reddant, aut pro iis certam pecuniam exsolvant, contra quos cum Clero nostro jus suum defendere incumbat, rogando venit E.V. Ill.ma, quantum eandem Cleri nostri causam protegere benigne velit et officiis suis apud iudices efficere, ut decreta Apostolica, solemni etiam compositione confirmata in Tribunalibus quoque Regni nostri, robur suum et firmitatem accipient, (fol. 433v) maxime quod evidentem et ex Jure naturae descendentem iustitiam contineant. Hanc ego gratiam, dum ab E.V. Ill.ma, vices Sanctae Sedis Apostolicae in Regno nostro obtinente, vehementer posco, cum profundissima veneratione esse et profiteri volo

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Singularissimi, humillimus et obsequiosissimus Servus

7 maii 1787, Chelmae.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Ep.pus Chelmen.

## 7.

*Cholm, 20. VI. 1787.*

*De Sancta Unione Berestensi et Leopoliensi, de non monachis ad Sedes episcopales promovendis, de more Orientis etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 16, fol. 168-169.

Eminentissimi Domini, Domini, Patroni Singularissimi.

Quantas Russia nostra in promovenda Sacra Unione passa fuit difficultates, cum saeculares ctiam interdum viri ad Episcopatus dignitatem ascenderent, quamvis habitu S. Basillii induerentur, et per aliquod breve tempus vitae religiosae experimentum facerent, optime cognitum est Eminentibus

<sup>22</sup> Ill.mus Nicolaus Swirski; historicus et poeta, Custos Gnesnensis, Suffraganeus et Parochus Chelmensis, Episcopus Cyrensis et Administrator dioecesis Chelmensis; Benefactor « Bonorum Fratrum » in Lublin, Zamostiae et in Orchowek. Obiit anno 1673. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 24, pag. 415.

Vestrīs. Postquam vero Velaminus Rutscius,<sup>23</sup> nunquam satis laudandus Metropolita, qui Athlas Unionis, et Russiae Athanasius ab Urbano VIII appellari meruit, melius ordinatum esse voluit institutum S. Basiliī Monachorum, et ex his, juxta praxim Orientalis Ecclesiae, assumendos ad Praelaturas Viros, a juventute in obedientia S. Sedis Apostolicae exerceri, idque ipsum privilegijs etiam SS. morum Poloniae Regum cavit, et confirmavit, adeo feliciter cessit S. Unionis negotium, ut non obstantibus, licet longe maximis, Disunitorum conatibus, quibus eradicare eandem S. Unionem vi, et armis adnivebantur (f. 168v) integrae etiam Dioeceses, Praemyslien. scilicet, Luceorien. et Leopolien<sup>24</sup>. Sanctae Unioni nomen suum dedere; hac quippe oeconomia factum est, ut Unita Ecclesia, et semper a juventute cognitis committeretur Praelatis et semper bene probatos in S. Sedis obedientia nomineretur Pastores. Cardines hi nutare incipiunt cum exteri, qui Institutum S. Basilij professi non sunt, ad Pastorum dignitatem in Russia elevari contendunt, et jus eidem Instituto ex antiquissima in Graecia consuetudine quaesitum, ab ipsa vero conversione ad fidem Christi in Russia confirmatum, subvertere admittuntur. Verendum ne cum tempore id quoque in Russia nostra accidat, quo vel pietas erga Sanctam Sedem Apostolicam refrigerescat, vel obedientia, quae sanguine etiam stabilita fuit, quodammodo imminuatur; ubi enim cardines longa consuetudine positi submoventur, vix fieri potest, ut ipsum quoque aedificium non nutet et moveatur. Quare cum principijs obstandum sit (f. 169) et eo, quo nos omnes in Russia flagrare oportet S. Unionis studio, rogandae veniunt Eminentiae Vestrae, quatenus hoc jus antiquum Ordinis Basiliani manutenere velint, nec aliter promotiones in Russia fieri patientur, quam ex Ordine S. Basilij, qui singularis erga S. Sedem Apostolicam devotionis et obedientiae, plusquam ab annis centum quinquaginta, nec non zeli et constantiae in Sancta Unione promovenda, magna semper argumenta dedit.

Non est inusitatum in ipsa etiam Occidentali Ecclesia aliquas Ecclesias solis Monachis stabiliter regendas committi; novem enim ejusmodi Cathedrales Ecclesias fuisse in Anglia referunt Scriptores, et ipse testatur Benedictus XIV, ex Litteris Apostolicis Urbani Papae VIII, incipientibus: Plantata in Agro Dominico. Similia narrant alii de Aragonensibus et Pompelonensis Episcopis in Hispania, alii vero fidem faciunt sanctitate conspicuos Viros cum ad Ecclesias privilegio Monachorum obnoxias promoverentur,

<sup>23</sup> Metropolia Kiovensis Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637). Obiit die 5 Februarii 1637. Cfr. *Epistolae Metropolitarum catholicorum: Josephi Velamin Rutskyj*, Romae 1956.

<sup>24</sup> Unio eparchiae Leopoliensis an. 1700, Luceoriensis anno 1702, Peremysliensis anno 1692.

habitum et (f. 169v) regulam monastici Ordinis primum suscipisse, et deinde oblatas sibi Episcopales Sedes obtinuisse, quemadmodum legitur in vita S. Thomae, Canthuariensis Archiepiscopi, et in alio sentore de Odone Vilconiensi. Horum ergo SS. Virorum vestigiis incedere deberent, qui ad Pastoratum in Russia promoveri curant, cum tamen ex horum caetu non sint, ex quo Orientalis Ecclesia jam dudum suos deligere solet Praelatos. Id quippe poscit Unitae Russiae bonum, id consuetudo ab ipso tempore suscepti per Ruthenos Baptismi, id Patriae leges, id nationales Synodi, quae a S. Sede Apostolica approbationis robur acceperunt.

Id et ego dum ab Eminentibus Vestris ad pacem in Russia nostra conservandam, et Unionis negotium in tuto collocandum, dum humillimis precibus efflagitem, cum profundissima aequa, ac devotissima veneratione esse et profiteri volo.

Chelmae, 20 Junii, 1787.

Eminentiarum Vestrarum humillimus, devotissimus et obseq. mus Servus  
THEODOSIUS ROSTOCKI, Episcopus Chelmen.

Monsignor Rostocki, Vescovo Chelmense, espone quanto è utile e inverato costume, che i Vescovi Ruteni si desumano dal corpo monastico, e quanto pericoloso sarebbe di promuovere alle Prelature i Secolari. Onde supplica, perche si mantenga nell'Ordine Basiliano l'antico diritto, contro i sforzi de' Secolari, che tentano di occupare le loro Chiese, etc. etc.

R. - 11 Agosto 1787.

## 8.

*Cholm, 26. V. 1788.*

*De Decimis Chelmensibus, de decretis et privilegiis restituendis etc.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 438rv-439r.

Illusterrime, Excellentissime et Rev.me Domine, Patrone Singularissime.

Causam de decimis iuxta antiquissimam consuetudinem et S. Sedis Apostolicae decreta, a fidelibus nostri Ritus, Parochis eiusdem Ritus praestans, quemadmodum anno praeterito commendare necessum habui E.V. Ill.mae, ita et hoc tempore, quo fortassis examinanda venit, preces meas humillimas porrigere cogor, ut eidem validissimum suum patrocinium benigne offerre velit.

Jus naturale et ecclesiasticum, ex quibus iuxta communem Theologorum et Canonistarum sententiam, fideles ad decimas praestandas obligantur respectu Ritus nostri fidelium eiusdem Ritus Parochis suffragatur; populo enim illi sua spiritualia obsequia praestant, illi eiusdem salutem curant et Sacramentorum sunt administri; illis quare a praexpresso populo necessaria

victus ministrari ratio naturalis suadet. Summi quoque Pontifices, ubi quaestio exorta fuit, de iure percipiendi decimas pro Parochis semper resolverunt, a quibus populus et Sacraenta in vita et visitationem in infirmitate et sepulturam in morte consequitur. Similiter in hac specie causae, quae in Tribunali Regni inter aliquos e latino Clero et Parochos Ritus nostri excitata est, S. Apost. Nuntiaturae Tribunal et plura S. Rotae decreta iussu trium Summorum Pontificum declararunt.

Aequissimam proinde causam et quae non semel a S. Sede Apostolica decisa fuit, commendandam suscipio, ut eiusdem S. Sedis Apostolicae Decreta, quae Spirituales inter et Spirituales prolata sunt, quemadmodum ubique gentium in Orbe Christiano reverenter suscipiuntur, ita in (fol. 439) hoc Tribunali Regni nostri vim et robur suum obtineant, pro gratia singulari habiturus, quidquid Excellentia Vestra Ill.ma ad Sedis Apostolicae Decreta manutenenda et iustitiam Clero Dioecesis meae reddendam officiis suis praestare dignata fuerit, pro qua gratia, dum reverentissime insto, in profundissima veneratione esse et profiteri volo.

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Singularissimi, humillimus et obsequiosissimus Servus

Chelmae, 26 maii 1788.

THEODOSIUS, Episcopus Chelmen.

## 9.

*Cholm, 6. XI. 1788.*

*Iterata professio fidei Theodosii Rostockyj et explicationes de non recepta prima ex anno 1785.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 16, fol. 280rv.

Anno Domini 1788. Indictione Romana VI. Pontificatus SS.mi Domini nostri Pii ejus nominis VI, feliciter Ecclesiam moderantis anno XIV, die vero sexta Novembris, coram actis Consistorii Chelmen. R.G.U., in mei Actuarii testiumque infra scriptorum praesentia, constitutus personaliter Ill.mus, R.ndmus Dominus Theodosius Rostocki, adusque Episcopus Chelmen. et per S. Sedem Apostolicam datus Metropoliae totius Russiae cum futura successione Coadjutor; prospiciendo indemnitati jurium suorum protestatus est de, et super eo, quod post sui Consecrationem in Episcopum Chelmen., die 19 mensis Junii in anno 1785 subsecutam, intercedentibus aliquot a consecratione septimanis, morem gerendo ordinationi Sanctae Sedis Apostolicae in Bulla Coadjutoriae expressae, juramentum fidelitatis eidem S. Sedi, quod pro Coadjutoribus Metropolitanis totius Russiae praedicta Bulla praescri-

bitur, in manibus Ill.mi, Excellentissimi, R.mi Domini Jasonis Junosza Smogorzewski, olim Metropolitani totius Russiae, in assistentia vero tum M. Joannis Lewicki, Notarii Apostolici, et in Curia ejusdem Ill.mi, Excellentissimi Metropolitae eo tunc Actuarii, tum R.mi Patris Parthenii Terlecki, Abbatis Coadjutoris Bracławien. et Congregationis Ruthenorum Consultoris aliorumque multorum de Aula suprafati Ill.mi, Excl.mi Domini Metropolitae praesentium, in cubiculo, ubi infirmus Divina peragere, et etiam Sacras Ordinationes conferre solebat, flexis genibus expleverit; hocque juramentum manu propria subscriptum, et sigillo munitum in Cancellaria ejusdem Illustrissimi, Excellentissimi, transmittendum Romam, juxta obloquentiam preeexpressae Bullae reliquerit. Quia vero hoc idem Juramentum cum in Actis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide per Reverendissimum Vincentium Zielonka<sup>25</sup>, Procuratorem Congregationis Ruthenorum in Urbe commorantem, hoc currente anno perquireretur, ad eadem Acta Sacrae Congregationis remissum, inventum non est; proindeque negligentia in transmittendo ejusmodi Juramento, aut etiam fraus aliqua intercessisse comperta fuit; idem qui supra Manifestans, alienum se ostendere volens ab omni nota, quae ejus pariter negligentiam aut aliquam mandatorum Apostolicorum transgressionem argueret, omnibus quorum interest testatum his in Actis esse voluit, se omnia et singula, quae in Bulla Coadiutoriae de anno Incarnationis Dominicæ 1785, tertio Idus Aprilis, praescribuntur, fideliter adimplevisse et executum (f. 280v) esse. Imo, ad majorem erga Sanctam Sedem Apostolicam contestandum reverentiam, etiam in hoc, qui ad praesens est, secutae successionis casu, antequam Regimen et Administrationem Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. suscipiet, fidelitatem erga eandem Sanctam Sedem Apostolicam juramento confirmare, et eidem Sanctae Sedi se obstringere spopondit ac pollicitus est, diligentiamque suam Actis praesentibus inscribi petiit quemadmodum et obtinuit.

Theodosius Rostocki, Episcopus Chelmen. etc.

Franciscus Okędzki, Episcopus Cambisopolitan. (manu pr.).

Josaphat Weresczaka, O.S. Basilii M. Superior Chelm. (mp).

Adrianus Holownia, O.S. Basilii M. (mp).

Casimirus Dzierzanowski, Vice Regens Terrestris Chelmensis Juratus (mpp). Cajetanus Kucharski (mp).

Inductum in Acta Const. Generalis Chelmen. Anno, Mense, Die ut supra Gregorius Zdanowicz, Const. Generalis Chelm. Actuarius (mp).

<sup>25</sup> Vincentius Zielonka, Procurator Generalis in Urbe (1780-1789).

## 10.

*Cholm, 6. XI. 1788.**Iuramentum fidelitatis Coadiutoris Metropolitae Kiovensis, Th. Rostockyj.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 16, fol. 282-283v.

Ego Theodosius Rostocki, Episcopus Chelmensis Ritus Graeci Rutheni, Coadjutor cum futura successione, datus per Sanctam Sedem Apostolicam Ill.mo, Excell.mo, R.mo Domino Jasoni Junosza Smogorzewski, Archiepiscopo Kiovien. et Halicien. Ritus Rutheni, in Regimine et Administratione Ecclesiarum Kiovien. et Halicien., facto vero loco successioni post dolenda fatali ejusdem Ill.mi, Excell.mi, R.mi Domini Jasonis Junosza Smogorzewski, actualis dictarum Ecclesiarum Archiepiscopus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, et Domino nostro, Domino Pio PP. Sexto, ejusque Successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, consensu, tractatu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, vel in eos violenter manus quomodolibet inferantur vel injuriae aliquae ingerantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt aut per se aut Nuntios seu Litteras, ad eorum damnum, me sciente nemini pandam, Papatum Romanum et Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatos Apostolicae Sedis ineundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo; jura, honores, privilegia, et authoritatem Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et Successorum praefectorum conservare et defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praejudicia Personae, Juris, Honoris, Status et Potestatis eorum machinentur, et si talia a quibusvis procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocius comode potero significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, sententias, Dispositiones, Reservationes, Provisiones, et Mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos, et qui alicui et Domino nostro et Successoribus praefatis rebelles fuerint pro viribus persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodus veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditio. Apostolorum limina singulis quadrienniis personaliter, et per me ipsum visitabo, et Domino nostro et Successoribus praefatis rationem reddam de toto meo Pastorali Officio, deque rebus omnibus ad Ecclesiarum mearum statum, ad Cleri et Populi disciplinam animarumque denique meae fidei creditarum salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim Mandata Apostolica praedicta humiliter recipiam, et

quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per proprium Nuntium (f. 282v), ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio Capituli mei, aut alium in Dignitate ecclesiastica constitutum seu alias Personatum habentem, seu his mihi deficientibus per dioecesanum Sacerdotem, et Clero deficiente, omnino per aliquem alium Presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supra dictis omnibus plene instructum; de hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes, ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem proponentem in Sacra Congregatione Sacri Concilii Tridentini, per supra scriptum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad Mensas meas pertinentes non vendam neque donabo, alienabo, neque impingorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu Capituli Ecclesiarum mearum, inconsulto Romano Pontifice et Constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum Jurisdictionalium de anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo, sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ita promisi et spondi ego Theodosius Rostocki, adusque Episcopus Chelmensis, et datus per Sanctam Sedem Apostolicam Metropoliae totius Russiae Coadjutor cum futura successione (mp).

Franciscus Okiędzki, Dei et Apost. Sedis gratia Episcopus Cambizopolitanensis, a Sede Apostolica Commissarius delegatus, universis, et singulis quorum interest notum facimus: Illustrissimum, Reverendissimum Dominum Theodosium Rostocki, adusque Episcopum Chelmensem, produxisse coram nobis Litteras Apostolicas, in forma transumpti more Curiae Romanae expeditas sub dat. Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicanae Millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, tertio Idus Aprilis, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Pii VI, Pontificis, anno ejus undecimo, super deputatione praelibati Illustrissimi, Reverendissimi Domini, Theodosii Rostockj, Episcopi Chelmensis (f. 283) in Coadjutorem perpetuum, et irrevocabilem, Illustrissimo, Excellentissimo, et Revere ndissimo Jasoni Junosza Smogorzewski, Archiepiscopo Kiovensi, et Haliciensi, Ritus Graeci-Rutheni Sanctae Romanae Ecclesiae Uniti, constitutum, emanatas, receptionem Juramenti, juxta formam, in dictis Litteris Apostolicis extensem, cuicunque Antistiti Catholico, gratiam et communionem Sanctae Sedis Apostolicae habenti, comissam et demandatam in se continentes ac tenori Literarum ejusmodi Apostolicarum inhaerendo, supradescriptum, iuramentum, de verbo ad verbum, prout jacet, ab altedicto Illustrissimo, Reverendissimo Domino Theodosio Rostocki iterato, ut manifestatio obloquitur, sub hac hodierna die facta in manibus nostris, praesentibus Reverendo Patre

Josaphat Wereszczaka, Ordinis Sancti Basilii Magni, Superiore Chelmensi, Patre Adriano Holownia, Ordinis S. Basili Magni, Magnifico Domino Casimiro Dzierzanowski, Vice-Regente Terrestri Chelmensi Jurato, Domino Cajetano Kucharski, Domino Gregorio Zdanowicz, Actuario Consistorii Chelmensis R. uniti, praestitum, per Nos vero vigore Commissionis a Sancta Sede Apostolica, ut praefertur, factae receptum esse attestamur. In quorum fidem penes positionem gentilitii Sigilli manu nostra subscribimus.

Datum Chelmae, die sexta Novembris, Anno Domini Millesimo septingentesimo octuagesimo octavo.

Franciscus Okędzki, Episcopus Cambizopolitanensis (mpp).

\* \* \*

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Omnibus quorum interest. Ego infrascriptus notum facio et attestor, qualiter Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, Indictione Romana VI, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Pii Divina Providentia Papae ejus nominis VI, Anno XIV, in oppido Chelm., Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Theodosius Rostocki, adusque Episcopus Helmensis, coram Illustrissimo et Reverendissimo Domino Francisco Okędzki, Episcopo Cambizopolitanensi, propositis tactisque Sacris Evangelij ac tacta Cruce pastorali superius positum, ac de tenore suo insertum fidelitatis juramentum de verbo ad verbum prout supra in manibus praelibati Ill.mi Domini Francisci Okędzki, Episcopi Cambizopolitanensis praestitit, illudque sicuti memoratus Ill.mus Dominus Theodosius Rostocki, Episcopus Kelmensis, manu sua subscrispsit, ita et testimonium recepti taliter Juramenti saepedictus Ill.mus Dominus Franciscus Okędzki, Episcopus Cambizopolitanensis, manus suaee subscriptione munivit, sigillaque illorum apposita propria manu, ut et subscriptiones praemissas identicas et veras esse fide publica attestor. In quorum robur signum Notariatus mei quo in talibus utor cum subscriptione manus meae apposui. Datum Kumoviae, in Residentia mea Praepositurali, anno, die, indictione etc. quibus supra.

Antonius Woloszynski, Un. P. Doctor, ecclesiarum Cathedralis Kelmensis Canonicus, Parochialis Kumoviensis Praepositus, Publicus S. Authoritate Apostolica Notarius (mp).

11.

*Cholm, 11. XI. 1788.*

*Rostockyj, Coadiutor, certiorat de morte Jasonis Smogorzewskyj, de sua successione ratione Coadiutoriae, de secunda professione fidei etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Polonia e Ruteni*, vol. 16, fol. 284, 285v.

Eminentissimi Patres, Patroni Singularissimi.

Nunquam satis dolenda morte Ill.mi, Excellentissimi olim Jasonis Junosza Smogorzewski, Metropolitae totius Russiae, prima die praesentis mensis subsecuta, ut indubitatus, retulit nuncius, cum mihi, qui Coadiutor eidem per S. Sedem Apostolicam cum successione datus fui, regimen Kioviensis Dioecesis obveniat, expetenda est singularis gratia EE.VV., ut iis defunctum Metropolitanum prosecuti sunt favoribus, me quoque prosequi, et in iis omnibus, quae sive Pastoralem sollicitudinem, sive multorum negotiorum cum non Unitis prosperitatem requirent, opem ferre, et adiuvare non dedignentur. Primum autem, quod ab EE.VV.ris exposcere mihi necesse est, illud rogandum venit, ut facultates Metropolitanis Russiae concedi solitas, ex gratia EE.VV.rarum obtineam, quibus fidelium indigentias occurrere, et eorum spiritualibus necessitatibus providere opportune possim, et valeam.

Alterum res ipsa postulare videtur, ut Episcopatus Chelmensis, quem in titulum eousque obtinebam, a me retineatur, donec vel a congregatis nunc Reipublicae Ordinibus, vel alia, quae (f. 284v) occurrere potest ratione, eidem provisum non fuerit; post adempta enim huic Episcopatui a S. Caesarea Majestate bona, paucissimi eidem remansere redditus, quibus Pastores suos sustinere non potest. Pro his mihi et Episcopatui Chelmensi praestandis gratiis, dum preces obsequij et reverentiae plenas expono, in argumentum submissionis S. Sedi Apostolicae, antequam Ecclesiam Kioviensem regere incipiam, juramentum fidelitatis iterato a me praestitum remittam, ut ita occurram fraudi vel negligentiae eorum, quorum fuit eandem S. Sedi Apostolicae fidelitatem jurejurando promissam in manibus Ill.mi, Excell.mi olim Metropolitae, idque non multis a Consecratione mea in Episcopum Chelmensem septimanis, ad Archivum EE.VV.rarum remittere, non tamen remiserunt, ut me docuerunt litterae ex Urbe, de non remisso ejusmodi fidelitatis juramento semel, atque iterum deferentes, hanc vero perpetuam erga S. Sedem Apostolicam subiectionem, ita contestari volo, ut simul cupiam esse et profiteri cum profundissima veneratione.

Eminentiarum Vestrarum devotissimos et obsequiosissimus Servus  
ROSTOCKI

(f. 285v) 11 Novembre, 1788.

Monsignor Rostocki, nuovo Metropolitanano, partecipa la morte del suo Coadiuto e supplica di poter ritenere la Chiesa di Chelma. – R. -20.Xbre 1788.

## 12.

*Radomyslia, 7. I. 1789, S.N.*

*Nuntio Varsaviensi de morte Smogorzewskyj, de sua successione, de retentione eparchiae Chelmensis, de sollicitatione Cleri latini Ruthenorum, ut transeant ad Ritum suum.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 176-177rv.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me D.ne, Patrone Collendissime.

Post nunquam dolenda fata Excellentissimi olim Jasonis Junosza Smogorzewski, totius Russiae Metropolitae, mei autem, dum viveret, Coadjuti, a quo in orbatam Archidioecesim veni, et ejus regendae onus ad me devolutum suscepi, immensa negotiorum mole obruto mihi, non licuit prompta semper obsequia ad omnia Excellentiae Vestrae Illustrissimae mandata offerre, ejusdemque me gratiae impensisime commendare; et quamvis hactenus quoque urgent me multa et gravia negotia, quae meam poscunt attentionem et vigilantiam, haud tamen differendam putavi mei ipsius et commissae mihi Ecclesiae commendationem favoribus Excellentiae Vestrae Ill.mae, utpote dignissimi Sanctae Sedis in hoc Regno nostro Ministri,<sup>26</sup> a quo studia nostra et conatus in promovenda Ecclesiarum utilitate, juvamen et patrocinium polliceri sibi ac expectare debent.

(fol. 176v) Perspectum est Excellentiae Vestrae Ill.mae me creatum fuisse Coadjutorem cum successione Archiepiscopatus Metropolitani totius Russiae, simulque obtinuisse Episcopatum Chelmensem, cum beneplacito Sanctae Sedis Apostolicae retinendum, quoque successionis ad sedem Metropolitanam locus aperiatur; hic tandem apertus solvere quidem me deberet onere regiminis illius Ecclesiae; quia tamen comperta mihi est tenuitas ejus haud sufficiens congruam Episcopo sustentationem providere, ideo in animum induxi Ss.mo Domino supplicare, ut donec aliquid de sublevando eiusdem Cathedrae statu per Status Reipublicae, vel alia cum consilio meorum Suffraganeorum ratione constitutum fuerit, non mei, cuiuscunque commodi, sed ipsius Ecclesiae gratia, illum retinere valeam. Nunc autem audio haud paucos dari candidatos, quos Magnates saeculares, nihil de statu Ecclesiae scientes, et minus de eiusdem utilitate (fol. 177) solliciti, promovere conantur. Si probi fuerint et episcopali onere digni, aliunde vero habeant, quo se in hoc Episcopatu sustentent, lubens audiam promotum aliquem per Suam Regiam Maiestatem ad hanc Chelmensem cathedram et Dioecesim, sin minus, potius retinendum eiusdem Episcopatum optarem, quoque modus sustentandi ibidem Episcopi adinventus non fuerit, quod et ab Excellentia Vestra Ill.mta humillime posco, ut scilicet interpositione sua apud Suam Regiam Maiestatem nominationm episcopi Chelmensis contineat, donec aliqua ratio inveniatur, qua sustentationi promovendi consultum sit.

Frequentes suasiones sacerdotum Ritus Latini, praesertim in Lituania ut homines nostri Ritum suum, in quo nati sunt, deserant, cogunt me quoque, ut Excellentiam Vestram Ill.mam enixissime efflagitem, quatenus id sibi inhibitum habeant; qui vero hinc ad Tribunal Excellentiae Vestrae Ill.mae

---

<sup>26</sup> Nuntius Varsaviensis Ferdinandus Maria Saluzzo (1784-1794).

ad citati sunt, animadvertantur et cognoscent (fol. 177v) minime sibi licere, ut in lege ecclesiastica dispensent, inter Ritus Catholicos zizania seminent, et jurisdictionem legitimorum Pastorum subvertant. Gratiam hanc obligatissimo animo Unita Russia accipiet universa. Ego autem semper curabo me gratum fore praestitorum eidem Russiae beneficiorum et circa contestationem meorum obsequiorum plenissimo venerationis sensu semper esse atque manere.

Excellentiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae, Patroni collendissimi, humilimus et obsequiosissimus Servus

Radomysliae, 7 Jan., S.N., 1789.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita

### 13.

*Radomyslia, 11. II. 1789.*

*Ut videtur Nuntio Varsaviensi de Nepotibus Smogorzewskyj, de actione orthodoxorum ad pertrahendos Unidos ad suas partes, et ut Status congregati Reipublicae provideant.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 178-179rv.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, D.ne Patrone Singularissime.

Benevolentiam, quam E.V. Ill.ma erga me conservare dignatur, humanissimis vero litteris de die 29 praeteriti mensis Januarii scriptis contestari voluit, eo maiori accepi cum reverentia quo magis perspectum habeo hanc me emereri non potuisse, aut E.V. Ill.mae aliquibus meritis commendari.

Negotium successionis cum DD. Nepotibus Ill.mi Excellentissimi olim Metropolitani, Praedecessoris mei, ut absque juris strepitu terminetur, et componatur, per viros ab utraque parte eligendos, postquam omnia descripta, taxata et bene perpensa extiterint, totis viribus eousque contendi (fol. 178v) et in finem hanc eandem voluntatem servabo, nisi iidem DD. Nepotes alienos se esse a tali compositione contestati fuerint; tunc enim invito licet convenientes defensiones arripere res taliter non composita necessitatem imponet et ad causam prosequendam obligabit.

Quamvis nondum bene perspectas habeam res commissae mihi Archidioecesis, illud tamen iam mihi constat, saeculares Presbyteros non unitos, monachosque eiusdem confessionis, qui aut in villis Dominorum aut(?) plebeos manent et censum pro possessione illius loci, in quo habitant, solvunt, aut in sylvis circa sua apisteria morantur, praecipuum et potissimum (fol. 179) fontem esse apostasiae hominum a Catholica fide, aut vacillationis in eadem, id quippe familiaritate, aut sanguinis connexione cum iisdem rusticis efficiunt, ut domos eorum frequentent, falsas doctrinas audient, et etiam ceremoniis eorum, quas in privatis domibus perperam exercent, assistant. Cu-

randum quare esset apud congregatos Status Reipublicae, ut monachos ad monasteria, saeculares presbyteros ad suas respective ecclesias, revocare demandent, nullique seorsim inter plebeos aut in sylvis habitare permittant, omnibus vero nundinas adire, et inter rusticos congregatos versari, multo vero magis eos seducere, interdicant, quod et ipsius Reipublicae (fol. 179v) his in oris tranquillitas exposcit, ne id eveniat, quod utinam falso rumore pertimescit. Unde roganda venit enixissime E.V. Ill.ma, ut pro suo erga Catholicam fidem zelo, id a congregatis Reipublicae Statibus obtinere singulariter velit, quidem et nos defendere ab iis, qui bonis Spiritualium personarum, onera, quae non facile ferri possunt, imponere contendunt; meum autem erit D.O.M. exorari, ut eandem sospitem et incolumem diu conservet, atque in profundissima veneratione testari, quod sim esseque inde sinenter velim.

Ill.mae, Excellentissimae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni singularissimi humillimus et obsequiosissimus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Archiep. Metr.

#### 14.

*Radomyslia, 2. IV. 1789.*

*De comparanda ecclesia S. Casimiri Vilnae post-iesuitica, ad cathedram Ruthe-norum construendam, de Archimandrita Dorohobuscensi etc.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 180rv-181r.

Ill.me et Excellentissime Domine, Patrone Singularissime.

Exoptatum a me re ipsa fuit, ut ecclesia, quae sub titulo S.ti Casimiri, post suppressam Societatem, in civitate Vilnensi reperitur, constituendo etiam aliquo pretio, obtineri possit, et pro cathedrali a Metropolitanis habeatur; domus vero eidem ecclesiae annexa alumnos pontificios excipiat et eorum commodo inserviat; quae autem ecclesia in eadem praedicta civitate, a centum quinquaginta et amplius annis nomen Cathedralis obtinet, in ecclesiam parochiale convertatur et cum officinis suis, officio in eadem civitate iurisdictionem exercenti cedat. Sed non satis adhuc perspectum mihi est, cum quo hanc rem tractare oporteat, quodque pretium pro expressa ecclesia PP. olim Societatis desiderabitur, nec facultates meae nunc sinunt pretium aliquod pro eiusmodi domo et ecclesia offerre; feliciori quare tempori pertractandum hoc negotium reservare (fol. 180v) visum mihi est, quia divisis nunc redditibus cum successoribus p.f. Ill.mi olim Metropolitani et ex iis, qui mihi obvenient, comparatis his, quae sive ad aliqualem domus decorem, sive ad sustentationem, sive ad rem oeconomicam, necessaria sunt, nihil mihi superfuturum spero, imo debitor persolvendarum aliquarum summarum iisdem successo-

ribus fortassis evadam. Roganda tamen interea venit Excellentia Vestra, Ill.ma, ut inhibere dignaretur PP. qui divisiones Episcopatum meditantur et sensus suos, quin de iis deliberarent, congregatis Statibus insinuant, quatenus a propositis imprudenter hac tempestate abstineant, quia et salutaria de ecclesiis cogitata impediunt et pacem atque tranquillitatem Ecclesiarum perturbant.

Quod attinet negotium Rev.mi Abbatis Dorohobusensis,<sup>27</sup> transferri (fol. 181) ad Abbatiam Dermanensem cupientis, eidem cum R.mo Protoarchimandrita<sup>28</sup> primo agendum esset, quia et penes Religionem adhuc manet libertas causam electionis in Sacra Congregatione reponendi, idque ex Decreto eiusdem Sacrae Congregationis et R.mus praedictus Abbas obnoxius est quibusdam objectionibus, verificandis in Officio Generali; et ad id Officium Generale pertinet designandi personas ad processum necessarias; postquam autem rem suam cum eodem Officio composuerit, facilem me inveniet ad praestanda ea, quae de lege et consuetudine reliqua sunt. Haec ad humanissimas Excellentiae Vestrae Ill.mae 3 Mart. scriptas, dum respondeo, commendari me eiusdem benevolentiae constanter cupio, ac cum profundissima veneratione esse et profiteri volo.

Excellentiae Vestrae Ill.mae, Patroni Singularissimi, humillimus et obsequiosissimus Servus

Radomysliae. 2 Aprilis 1789.

THEODOSIUS, Metropolita.

## 15.

*Radomyslia, 16. V. 1789.*

*De Synodo eparchiali eiusque statutis: de visitationibus decanalibus, de conscribendo numero populi, de Synodo Zamosciana fidelius observanda, de instructione populi ex parte parochorum, de theologia morali et casibus addiscendis, de examinibus parochorum, de poenitentiariis, de negligentia in administratione Sacramentorum, de querelis contra Decanos, de uniformitate in Missis, casus reservati, aspirantes ad Ordines, etc.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 128rv-129rv.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita totius Russiae etc., etc.  
Omnibus et singulis, quorum interest, notum facimus. Nos cum Eccle-

<sup>27</sup> Archimandrita Dorohobuscensis Hieronymus Skapski (1783-?).

<sup>28</sup> Archimandrita Dermanensis erat ab anno 1785 Theodosius Rostockyj, Coadiutor Metropoliae Kiovensis, qui succedendo in Sede Metropolitana forsan illam Archimandriam abdicare debuit. Protoarchimandrita erat p. Porphyrius Wažynskyj (1788-1790).

siasticis regimini Nostro subordinatis, in Synodus congregatis Dioecesalem, subrogatis, Synodalibus Judicibus, examineritoribus, paenitentiariis, censoribus, bedellis et instigatoribus sequentia statuta recommendasse:

1º. – Quoniam hucusque non fuit more recepta comportatio Visitationum Decanalium quoad litteram, prout adnotari solent, sed dumtaxat tabellae deferebantur, ideo in posterum Visitationes per extensum, propter notitiam status parochiarum, integritatis mobilium ecclesiasticorum, possessionis terrarum, necnon pratorum RR. Decani una cum tabellis afferre ad Synodos tenebuntur, iuncto suo iudicio de capacitate parochorum, et num habeant vicarios vel ubi deficiant parochi, si sint administratores aut commendatarii; quin imo, de instructione parochianorum, una cum numero eorundem, in specie sexus supra et infra quindecim annorum, quibus tabellae sunt constructae. Qua notitia, quia modo a Statibus Reipublicae Comitantibus est requisita,<sup>29</sup> ideo R.di Decani, Parochis ad congregationem convocatis, strictissime commendabunt, quatenus indilata relationem supra adamussim expressam ad suos respectivos Decanos transmittant, Decani ad sua consistoria reffrant, Consistoria vero pro mense Augusto in Nostram Cancellarium comportent.

2º. – Non modo vero Unitorum, sed etiam non Unitorum, non modo proxime sequenti mense Augusto, sed etiam in posterum tenebuntur RR. Decani conscribere numerum populi sui Ritus, requirendo ab Aulis, sub quibus degunt, aut ex taryphis depromendo Castrorum, ad quae pertinent, comportatis aut alio quovis modo quem circumstantiae et necessitas subministrabunt expiscando, non modo ut satisfiat postulatis Statuum Comitantium, sed etiam cuivis opportunitati occurrenti, si pree manibus eiusmodi notitia numeri etiam presbyterorum non Unitorum in mellificiis latitantium, necnon per villas pro censu terras occupantium, prout et meliori ordini Regni et negotio promovendae S. Unionis profutura habeatur.

3º. – Synodi nationalis Zamoscensis statuta,<sup>30</sup> inculcantia honestatem vitae et morum sacerdotibus, instructionem populi, obsequia animabus Sanguine Christi redemptis et administrationem Sacramentorum necnon ecclesiarum Dei curam, quam strictissime in hac Archidioecesi observentur. Quia vero eiusmodi statuta non omnibus sunt nota, antequam detur copia eadem conducendi aut typis reimprimendi, interea magis necessaria ex eadem

<sup>29</sup> Agitur, ut videtur, de s.d. Diaeta quattuor annorum (1788-1791); initium habuit 6.X.1788.

<sup>30</sup> Synodus Zamosciana an. 1720, mensibus Augusto-Septembri, approbata a Sede Apost. 1724, a PP. Benedicto XIII; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, Romae 1954, pag. 49-50, nr. 660, die 19.VII.1724.

Synodo excerpta per Decanatus divulgantur, ne ulla ignorantia suffragetur in eo, quod haec Synodus observandum presbyteris commendat.

4º. – RR. Parochi obligationes a Christo Domino sibi iniunctas instruendi populi, praecipue, quae credenda, quaeque agenda quivis christianus tenet, exequantur, tradendo diebus Dominicis et festivis doctrinam christianam populo, sub poenis a Synodo Zamoscena comminatis et statutis. Quia vero diebus Dominicis (fol. 128v) et festivis irrepit consuetudo venundiarum et nundinarum, quibus populus distrahitur ab excipiendis necessariis doctrinis, ideo promisimus Statibus Reipublicae supplicare, ut eiusmodi consuetudo introducta nundinandi diebus festivis supprimatur.

5º. – Ut etiam ipsi RR. Parochi reddantur capaciores ad instruenda sufficientius populum officia, quivis eorum tenetur habere Theologiam Moralem, ex qua ipsem perfector fieret et Evangelii expositionem, nec non Catechismum, quo institueret populum ad Synodi Zamoscensis praescripta. Qui vero eisdem careret, spatio unius mensis eosdem libros, sibi optime accommodatos, comparare obligatur, idque sub poena octoduarum recollectionum, a suo Decano iniungendarum, etiam sub poenis criminalibus, ad effectum comparandorum eorundem librorum destinandis, nisi prima monitio aut poena medicinalis sufficeret. Quinimo non modo Theologiam Moralem dictam *Casus*, sed etiam alias libros, si conducantur comparare quivis Parochorum tenetur, ex quibus, quam plurimos hauriret fontes, ad sui perfectionem et informationem, ad obsequia animabus, sibi concreditis. Ubi vero reperiretur Parochus adeo ignarus, ut neque Doctrinam, neque Catechismum tradere possit, eius generis personas RR. Decani ad officium deferre tenebuntur, interea propiorem et capaciorem Parochum designabunt, cuius munerus erit, quibusvis binis hebdomadibus ad locum descendere, ad effectum instruendi Doctrina Christiana populum, sine detrimento tamen suaे Parochiae, cuius laborem ignarus Parochus compensabit. Notandum etiam, quod iuxta Synodi statuta Parochi tenentur in suis Parochiis manere semper, minimeque ab iis discedere; in casu autem urgentis exigentiae pro tempore longiori non aliter descendant, nisi Nos aequitate agnita necessitatis scripto facultatem imperiemur, providemusque commodo Parochianorum tantisper derelinquendorum.

6º. – Insuper sciant RR. Parochi, quod iuxta suprafatam Synodus Zamoscensem, *titt. 11*, quater ad annum coram designatis a nobis examinatoribus reddere tenentur rationem applicationis et exercitii sui, necnon, quod incurrit poenam si parvipendere videbuntur ea, quae eadem Synodus commendat: ut vero adiuventur hebetiores in rebus non facilis negotio sine expositione intelligendis, RR. Decani formabunt projectum tenendarum moralium conferentiarum inter tres, quatuor, aut plures personas non distantes, quae quovis mense necessarium propagarent lumen.

70. – Antiqua consuetudine laudata in quovis Decanatu designandorum Poenitentiariorum, quibus Presbyteri, si non saepius, saltem semel spatio cuiusvis mensis conscientias suas apperirent, RR. Decanis injunximus designare eiusmodi Poenitentarios, qui a nobis confirmarentur. Neque minus obligavimus designatos et confirmatos Poenitentarios, ut de frequentatione Presbyterorum aut eorundem negligentia confessionum denuntient Decanis, RR. vero Decani respectivis Consistoriis, Consistoria vero nobis deferant.

80. – Cum pluribus ex locis deferantur querelae contra RR. Parochos, alios, quod semel, aut iterum moniti, moribundis assistentiam denegent; alios quod pro administratione Sacramentorum et sepulturis extraordinarias exigant solutiones; alios, quod exemplo suo non aedificant, quin immo scandalizant; ideo statuimus, ut Parochus, cuius iniuria multo plus expressa denegatione obsequiis deduceretur, aut sine Confessione, aut sine Baptismate aliquem decessisse, eundem plectendum esse trimestrium interruptim per hebdomada recollectionum absolutione; qui vero non iuxta Synodus Zamoscianam, prohibentem cunctas extorsiones, se gereret, in administratione Sacramentorum, quemadmodum (fol. 129) etiam monitorium(!) scandalosum, corripiendos esse poenis, a tot nominata Synodo praescriptis; quorum vero facinorum eadem Synodus non meminit, eadem poenis ab arbitrio iudicium infligendis arcenda et castiganda esse.

90. – Querelas Parochorum contra RR. Decanos et viceversa RR. Decanorum contra Parochos ita compositimus, ut abhinc RR. Decanis liceat inobedientes et excessivos poenis medicinalibus corripere; si vero ab earum acceptatione pars adversa ad aliquod iudicium appellaret, idem iudicium ante omnia pro non exequutione poenarum inflictarum, easdem duplicabit et exequutioni demandabit, deinde autem causam discutiet. Pro inobedientia vero se sistendi ad examina et Decanales Congregationes, necnon alias improvisas exigentias, praemissa trina monitione aut adhibita loco trinae una, prout oportuerit, adscitis ex Clero duobus ad examinandam et recognoscendam inobedientiam. RR. Decani etiam suspendere valebunt, minime tamen iisdem licebit, sub ullo praetextu, ullas a Clero exigere dationes, neque solitas et usitatas accrescere aut a quietationibus quidquam repeteret, aut quovis alio modo a Clero extorquere, sed satis habebunt a quovis presbytero florenos tres; ab examine Cantoris, si sit morigerus et non suspectus de fide, florenum unum; circa visitationem cuiusvis ecclesiæ a toto populo florenos duos; in aliis vero omnibus casibus, quemadmodum benedicendi matrimonia filiarum presbyteralium, sepulturae defuncti Sacerdotis, consecrationis ecclesiae servent moderamen, nec non statuta Synodi Zamosensis circa administrationem Sacramentorum. Insuper RR. Decani congregatiunculas tenebuntur pro commodo Cleri, componere in meditulliis sui Decanatus. Quod vero attinet Instigatorem Decanalem, eum Clerus deligat, perque unum Florenum,

prout sponte sua obtulit contribuat, quem instrumento suo Consistorium approbabit, ut tutius vices-Delatoris agere possit, ad Decanum aliaque officia, quidquid inhonesti et ex-legis observaverit, quodque emendari debeat. Insuper RR. Parochi publicas litteras innotescentiales ad se delatas, indilate solita cursoria transmittant. Qui vero neglexerint, per Decanales Instigatores litentur et in proprio Consistorio puniatur.

10<sup>o</sup>. – Ut in Missis cantandis et legendis, ab omnibus uniformitas stricissime servetur, nimirum in Missis cantandis praescriptum Missalis Unioviensis pro norma teneatur; in legendis vero prout praescriptum ex communi usu desumptum in praesenti Synodo a nobis traditum manuducit.

11<sup>o</sup>. – Libri metrices, Baptisatorum, Matrimonialium et Sepultorum eo ordine et iis terminis conscribantur, quos libri a nobis pro exemplo confecti praeseferunt.

12<sup>o</sup>. – Quia reservatio Casuum minus utilis videtur esse populo nostro, qui semel dntaxat ad annum solet ad Confessionem accedere, ideo eandem posteriori tempori reliquimus.

13<sup>o</sup>. – Aspirantes ad Statum Ecclesiasticum, eos praecipue excipere in animum induximus, qui studiis latinis sufficienter sunt imbuti; aliorum vero receptio ab arbitrio Nostro pendebit. Praeterea monuimus, ut a Nobis ita recepti omnino primi 7-bris huc convenient, ad se exercendum spatio totius anni (fol. 129v) non interrumptim in litteris vocationi suaee necessariis; qui vero huic dispositioni Nostrae controvenerint, sciant se numero aspirantium excludendos fore.

14<sup>o</sup>. – Ut a Clero Nostro omnis etiam suspicio complicitatis cum fovenibus rebellionem necnon revolutionem, penitus amoveatur, omnes et singuli Serenissimis Regi et Reipublicae iuramentum fidelitatis praestabunt, prout etiam quod non se ingesserint hucusque in coniurationem rebellium et quod etiam abhinc non se ingerent; quin immo, quod populum doctrina a tanto facinore curabunt avertere. Ideo RR. Decani, praestito hoc iuramento in tractu praesentis Synodi, ad idem praestandum tempore futurae Decanalnis Congregationis caeteros Presbyteros obligabunt, de quo certiores Nos reddent. Praeterea, si qui evenerint Casus in praesenti rerum providentia, quovis mense per rapporta Nobis deferre tenebuntur.

15<sup>o</sup>. – Quoniam R. Georgius Trochinski, Scholasticus Cathedralis Camecensis, hucusque Lector Domus Missionis Ruthenae Zytomiriensis, obsequens voluntati Nostrae et exigentiae eiusdem Domus ulterius munere Rectoratus fungi non recusavit, ideo eundem cum salario octingentorum Florenorum Pol. antea ipsi destinatorum, confirmavimus ad excipiendas vero rationes eiusdem Missionis Domus eundem R. Rectorem eiusque substitutos

RR. Andream Ilnicki Chodorkowscenum et Jacobum Sochodolski Zytomi-  
rienses Decanos roboravimus.

16º. – Supplicationes Decanatum Archidioeceseos Nostrae tempore  
Synodi exhibitas, resolvimus, eiusque generis resolutiones pro pleniori cuiusvis  
commoda notitia, distincto Disticho Curiae Nostrae Primatiali extradendas  
commisimus.

Ad finem deducta hac Dioecesali Synodo, exceptisque ab Ecclesiasticis  
solita professione Fidei et iuramento Fidelitatis debitae Serenissimis Regi  
et Reipublicae, Congressum solvimus, munitosque Benedictione Nostra in  
propria dimisimus, haecque Statuta manu propria subscripta, sigillo Nostro  
communiri iussimus.

THEODOSIUS METROPOLITANUS (L.S.)

Basilius Jaworowski, Decanus

Comargroden., Actor. Sinodal. Notarius, m. pr.

Datum Radomysliae, die 16 Maii, V.S., 1789.

## 16.

*Radomyslia, 4. VI. 1789.*

*De damnis Unionis, de protectione apud Status Reipublicae, de restitutione  
apostatorum etc.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 126rv-127r.

Ill.me, Excellentissime et R.me Domine, D.ne Patronne Singularissime.

Longum esset recensere oppressiones et iniurias, quas S. Unio in his oris  
perpessa est ab anno 1768, quo scilicet commotus populus multas clades,  
caedes et violentias Dominis suis et eorum possessionibus intulit. Exercitus  
autem Rossiacus, qui tumultus hos licet magna ex partes sedavit, contulit  
plurimum ad rem Disunitorum ampliandam, fovendam et stabiendum.  
Satis est referre ecclesias 190, quae in possessione Unitorum erant, Sanctae  
Unioni fuisse ereptas, Rectores harum ecclesiarum fuisse sedibus pulsos et  
multos, melius in fide fundatos, in Fortalicio Berdyczoviensi detentos, ac  
pro S. Unione captivos factos, multos autem, magis addictos temporalibus,  
quam spiritualia aestimantes, a S. Unione defecisse et Disunitis subscrip-  
sisse; multos quoque iam monachos, iam simplices presbyteros in villas,  
quas unitus populus inhabitat, aut prope easdem villas ad apisteria intro-  
ductos fuisse, ut vel sanguinis connexione cum eodem populo, vel amicitia,  
vel aliis artibus eundem populum seducerent et a S. Unione avocarent, com-  
moverent, ac pecuniis etiam in gratiam respectivorum haeredum sese insi-  
nuarent; unde factum est, quod post sopitos etiam in 1773 tumultus, plures  
ecclesiae cum suis respectivis populis, faventibus, ac etiam influentibus illarum

villarum haeredibus, Sanctam Unionem deseruere et ad Disunitos transiere. Cui malo Praedecessor meus, non ita pridem Metropolitanus, licet omnibus nervis sese opponeret, nihil tamen contra favores aliquorum haeredum et contra conatus Disunitorum ab extera potentia protectos, se profecisse doluit, expectavitque tempus illud, quo Respublica ipsa intime cognosceret favores hos, qui non Unitis praestabantur, Statibus eiusdem Reipublicae praeiudicatos aliquando futuros et etiam ipsis haeredibus perniciosos; quod cum iam Nobilitas Polona sentire, Congregati (fol. 126v) vero Reipublicae Status experiri incipient, non aliud opportunius tempus exponendi has Sanctae Unioni illatas iniurias et a Congregatis Reipublicae Statibus opem et adiutorium exposcendi futurum arbitror, quam praesens, quo ex iis, quae contingere possunt, facile cuique sese offert, contemplanda immago infelicitatum, quae ex praestitis favoribus manentibus in Regno nostro non Unitis fluunt, et infelici contingentia deducuntur.

Cum vero facilius me omnia obtenturum sperem, si Excellentia Vestra Illustrissima valido suo Patrocinio rem Unionis iuvare, promovere et apud Congregatos Reipublicae Status protegere dignata fuerit, humillimis id praecibus ab Excellentia Vestra Illustrissima exorare mihi reliquum est. Nullibi gentium licet, ubi Catholica dominatur Religio, suam nativo-catholicam Religionem relinquere, a fortiori nefas est Dissidentibus in fide, a Catholicis ecclesias impune recipere, Ecclesiasticos suis beneficiis spoliari, populum commovere, per dispersas inter homines fideles personas, nullas fundationes habentes, sed censem pensitantes, vel apisteria curantes, aut temporanea mansione in domo privata commorantes, eundem populum seducere, quasdam devotiones exercere, mentibus rudis populi quaeque perniciosa imprimere et a Catholica Religione, qua artibus excogitatis, qua amicitia contracta, qua intima cum eodem conversatione, avocare. Unde curandum est, ut Congregati Reipublicae Status, si praesentes circumstantiae omnia concesserint, ecclesias per vim erectas Unitis restituere, populum seductum, qui a Catholica Fide defecit, ad eandem Catholicam Fidem tenendam compellere, pseudo-apostolos ex locis, in quibus ad (fol. 127r) praesens manent, pellendos decernere, apostatas a Fide Catholica presbyteros, vel eidem Catholicae Fidei restituere, vel a Statibus Reipublicae removere, Disunitos presbyteros ad onera eadem sustinenda, quibus tenentur Catholici presbyteri – obligare, Dominis temporalibus potestatem introducendi Schismatis, aut illius fovendi, consequenter Disunitos ecclesiasticos, qui intra Regnum manent, multo vero magis extra Regnum existentes ad suas villas introducendi prohibere et poenis in transgressores animadvertere dignarentur. Haec omnia cum gratia Ex.tiae V. Ill.mae et cum eius valido Patrocinio in praesentiarum obtainienda spero, cum id statuendum ipsius quoque Reipublicae Status et ratio exposcant. Enixissime quare rogare pergo, ut potenti sua ope, labe-

factatam rem Unionis erigere ad Catholicae Ecclesiae incrementum benignissime velit ac circa profundissimam venerationem esse et constanter permanere volo.

Ill.mae ac Ex.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Patroni gratissimi, humilis et obsequiosissimus Servus.

Radomysliae, 4 Junii 1789 Anno.

THEODOSIUS, Metropolita.

(fol. 126, alia manu): Resp. 3 Luglio 1789.

## 17.

*Varsavia, 17. IX. 1790.*

*Metropolita Rostockyj cum episcopis Varsaviae congressum faciunt de rebus Unionis, tempore sic dictae Diaetae quadriennalis: de Seminariis, de scholis, xenodochiis etc., de Archidioecesi Polocensi, de episcopatu Albae Russiae, de negotiis spiritualibus, de festis, de Calendario, de observantia Synodi Zamoscianae, de typographiis, de uniformitate liturgica, de ep. Stadnicki, de cura animarum Varsaviae, de protectione Ordinis Basiliani, de Seminariis, de divisione eparchiarum, de festis et Calendario reformando, de taxa eparchiali, etc.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 106, fol. 189-192v.

Actum Varsaviae, die 17-ma Septembbris secundum vetus Calendarium Anno Domini 1790, in Palatio residentiali Metropolitano et Praesidente Ill.mo, Ex.mo ac R.mo D.no Theodosio Rostocki, Archiep.po Metropolitano totius Russiae ac praesentibus Ill.mis ac Rev.mis D.nis Simone Mlocki,<sup>31</sup> Prothotronio Metropoliae totius Russiae, Vlodimirensi et Brestensi Lithuaniae, Porphyrio Skarbek Ważynski,<sup>32</sup> Chelmensi et Belzensi, Stephano Lewinski cum futura successione coadiutore et generali Administratore Luceoriensi et Ostrogensi,<sup>33</sup> Josaphato Bulhak<sup>34</sup> Turoviensi et coadjutore Pinscensi Episcopis, in expositis ad deliberandum per Ill.mum, Ex.mum ac Rev.mum D.num Praesidem punctis, dispositum ac statutum.

<sup>31</sup> Symeon Mlocki, Episcopus Prothotronius Volodimiriensis (1778-1804).

<sup>32</sup> Porphyrius Skarbek Ważynskyj, Protoarchimandrita Basilianorum (1772-1780; 1788-1790), dein Episcopus Chelmensis (1790-1804).

<sup>33</sup> Stephanus Levynskyj, Canonicus Leopoliensis, Ep. tit. Thegeanus (1784) et Coadiutor et Administrator Luceoriensis (1785-1795), et dein Episcopus Luceoriensis (1798-1807).

<sup>34</sup> Josaphat Bulhak, Coadiutor Pinscensis cum tit. Turoviensis (1788-1798), Ep. Berestensis (1798-1838), Metropolita Unitorum in Russia (seu Administrator) ab anno 1817; Archiepiscopus Polocensis ab anno 1834.

1º. – Adimplendo dispositionem et commisſum per Serenissimos Reipublicae Status, ut Seminaria in Dioecesibus Ritus nostri pro clericis alendis et educandis et eorum fundationes, iisdem Reipublicae Statibus exponantur, conscripta sunt ab omnibus eadem Seminaria cum suis fundationibus et seorsive scriptotenus Ill.mo Praesidenti ad communicandum Serenissimis Reipublicae Statibus porrecta.

2º. – Cum iisdem Serenissimi Status Reipublicae requisiverint, ut notitia quoque Xenodochiorum, eorumque fundationum in dioecesibus nostris iisdem Statibus exponatur, quoniam ex Archidioecesi Kiovensi Metropolitana scriptum fuit, nulla ibidem haberi Xenodochia, nullasque ibidem fundationes, ex Dioecesi vero Vlodimirensi, Brestensi et Chelmensi aliquot tantum inveniri, ex aliis autem Dioecesibus nondum informationes transmissae sunt, idcirco Ill.mus et Ex.mus Praeses promisit, in tempore vel per se ipsum, vel per commissiones villice-civiles, quibus aequo id a Statibus est commendatum informare eosdem Reipublicae Status.

3º. – Requirebant etiam Serenissimi R. Publicae Status, ut Dioeceses omnes et quae seiuncta est ab Archi-Episcopatu Polocensi, Ill.mi Episcopi, qui nunc sunt, aequaliter inter se dividerent, idque ad satisfaciendum muneri episcopali, quod plures Episcopos ex necessitate postulare videtur. Post longam deliberationem congregati Ill.mi Episcopi statuerunt ad Serenissimos R. Publicae Status porrigendum memoriale, *imprimis* exponendo necessitatem erigendorum ad minimum duorum Episcopatum: Albae Russiae et Bracławiensis, ex ratione longissime sese extendentium Dioecesum non solum ad confinia Moscoviae, Tartariae, Turciae, Curlandiae, sed etiam in ipsam Curlandiam extensarum aut saltem Suffraganeorum localium, qui ad residentiam in hisce Dioecesibus obligarentur et convenientia muneri obsequia obirent. – *Secundo:* Si Serenissimi R. Publicae Status eiusmodi gratiam praestare nollent, in eodem memoriali exprimendum, hanc divisionem Dioecesum, nec cum loco, nec cum tempore, nec cum facilitate et commoditate ad praesens cohaerere, proinde, rogandos esse eosdem R. Publicae Status, ut inducias et longius tempus concederent, quo eadem divisio practice et congruenter confici possit. Ut tamen iisdem Serenissimis R. Publicae Statibus argumento sit, quod idem noster Congressus voluit adimplere iussa et dispositionem R. Publicae Statuum, in eodem memoriali exponendum projectum, qualis ad praesens cogitari potuit divisionis, quae tamen a personis perfecte scientibus distantias in fundo cum deliberatione et ponderatione melius determinari deberet. Demum in eodem memoriali interrogandi essent Serenissimi R. Publicae Status, num Dioecesim Camenecensem semper ad extraneum Episcopum Leopoliensem pertinere volent, quia haec quoque notitia in ordine divisionis Dioecesum erit necessaria. Eiusmodi memoriale per extensum descriptum est, ac in seorsivo scripto Ill.mo Praesidi porrigitur.

4º. – Exposita erant ab Ill.mo Ex.mo Praeside, quae respectu negotiorum Ritus nostri ab Ill.mis Deputatis ad spiritualia negotia sunt admissa aut praescripta, post quorum discussionem rogatus fuit Ill.mus Praeses, ut in tempore oportuno, quo hac de re sermo erit, exponere et curare dignaretur, quae fundationes ecclesiarum, causas spirituales, immunitatem Dromorum parochialium et episcopalium, nec non earum proprietatem, quae missiones, quae disunitos et quae subsidia Episcopo Chelmensi adinvenienda concernunt.

5º. – Inhaerendo etiam commendationibus Serenissimorum Statuum Congressus accessit ad diminutionem festorum in Calendario Rutheno et in quantum potuit eadem festa reduxit, in scorsivo folio reductionem eiusmodi descripsit et in manibus Ill.mi, Ex.mi Praesidis reposuit. Quod attinet conjunctionem Calendariorum, quandoquidem intempestiva ordinatio hac in re posset plebem commovere, ulteriori tempori Congressus reliquit. Quando autem reductio festorum per Sanctam Sedem Apostolicam approbabitur, Congressus postulavit ab Ill.mo Praeside, ut tempore festorum observandorum et diebus Dominicis ad meridiem saltem nundinae et venditiones rerum a Serenissimis Reipublicae Statibus prohibeantur.

6º. – In ordine determinationis taxae jurium stolae, obviando accusantibus parochos de depactatione, Congressus satis moderatam taxam constituit, rogavit tamen, ut hanc taxam Ill.mus Praeses Deputationi spirituali communicet et perspecto habito eiusdem sensu convenienter illam constituat et concludat, praeterea exponat Serenissimis Statibus, quod et Synodus Zamosciana prohibeat, ne quid omnino pro administratione Sacramentorum accipiatur, nihilominus tamen exhortatur Parochianos ad providendum parocho suo in paupertate existenti, in casu autem denegatae provisionis pauperi parocho ecclesiam interdicere mandat.

7º. – In materia constituendi subsidii charitativi Congressus post longam deliberationem (fol. 190), etsi bene noscat Ecclesiasticos Ruthenos contributione subsidii nimis gravatos, tamen sciens iam asuetos huic oneri, obtulit se in posterum quoque idem sustinere. Si autem inter se et inter suos Ecclesiasticos videbit aliquam persolvendi inaequalitatem, illam emendare et aequalitatem seu proportionem reducere spopondit. Idem Congressus Ill.mum Praesidem rogavit, ut exigentibus novam dispartitionem Ill.mis Episcopis Ritus Latini exponere dignetur, Ecclesiasticos Ruthenos penes summam subsidii charitativi 90.000 Fl. Pol. relinqu et desiderare et debere. Si autem obtainere id non possit, tunc Ill.mis Episcopis et Dioecesisibus denuntiabit, ut si ipsi in personis comparere non voluerint, saltem per Plenipotentes comparere possint.

8º. – Obviando scriptis et verbis malevolis, Congressus ordinavit et

constituit, ut in Cancellariis Synodus Zamosciana observetur, et in iis omnibus, quae exequenda Ecclesiasticis nostris eadem Synodus mandat.

9º. – Quoniam per typographias multae mutationes et novitates in nostros irreperserunt libros, visum est Congressui, de congregatio sui eligere et expetere Ill.mum D.num Ważyński, Episcopum Chelmensem, ut cum assumptis sibi personis uniformitatem librorum pro semper duraturam conficiat, pro sustentatione autem assumptarum personarum Ill.mi Praesentes, quantum sufficiens, solvere promiserunt.

10º. – Item siquidem lecta Missa in Ritu nostro non ubique uniformiter absolvitur, in eodem Congressu uniformitas est constituta, et ubique eius executio demandata.

11º. – Quandoquidem Ill.mus Stadnicki, Episcopus Luceoriensis ob defectum laesae imaginationis multa scandala publico in hac Regia praebet, proinde hoc Congressu statutum, ut medicorum judicium exposceatur, num hic Praelatus curari possit vel non? Si autem ex medicorum determinatione censebitur incurabilis, ut ad monasterium Suprasliense transferatur et ibi veluti in loco professionis sua pro semper collocetur.

12º. – Cum incolae civitatis Varsaviensis Ritus Rutheni porrexerint ad Congressum memoriale, quod apud sacerdotes sui Ritus neque baptismum suscipere, nec assistantiam matrimoniorum obtinere nec sepulturam habere ipsis permissurum est, qua libertate etiam acatholici Varsaviae gaudent, Congressus itaque rogavit Ill.mum Praesidentem, ut hac in parte ad quem de iure pertinet, recurrat.

13º. – Oblatae sunt in Congressu litterae R.mi D.ni Wilczynski,<sup>35</sup> Ord. S. Basilii M., Congregationis Ruthenorum Generalis, ut Ill.mi Domini Episcopi congregati Ordinem eius in suam tutelam suscipere dignentur, omniaque iura eiusdem Ordinis et privilegia sua authoritate apud Serenissimos R. Publicae Status protegere et confirmationem procurare velint, cuius petitionis effectum pro viribus suis Congressus accelerare et promovere appromisit.

#### *Status modernus omnium Seminariorum Dioecesum Ritus Nostri*

*Alumnatus.* Fundatio Papalis in alumnatu Vilnensi, in quo sine interruptione educantur Clerici variarum dioecesum, et nominatim: ex Archidiocesi Metropolitana Lituana – 3; ex eadem Ukrainensi – 3; ex Dioecesi Polocensi – 1 (fol. 190v); ex Vitebscensi – 1; ex Smolenscensi – 2; ex Vlodi-

<sup>35</sup> Protoarchimandrita Basiliatorum Maximilianus Wilczynskyj (1790-1793), nominatus a Sede Apostolica cum omnibus iuribus et privilegiis. Obiit 18.VII.1793. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basiliatorum*, Romae 1958, pag. 297-8.

miriensi et Brestensi – 2; ex Chelmensi et Brestensi – 2; ex Pinscensi et Turoviensi – 2.

Ex liberalitate et zelo augendae gloriae Divinae Ill.mi Ms.ci D.ni Mniszek, Mareschalci M. Regni Poloniae, pro summa Fl. Pol. 54.000 aluntur et educantur clerici – 3.

Leopoli translatus alumnatus in Palatinatum Podoliae ad civitatem Kamience, in quam fundationem Episcoporum Ruthenorum et Dioecesorum collectae ex Dioecesi Premisliensi Fl. Pol. 60.000; ex Dioec. Leopoliensi Fl. Pol. 40.000; ex Dioec. Luceoriensi – 40.000; a R.do p.m. Primowicz Fl. Pol. 16.000; ex qua summa manent in natura sua Fl. Pol. 150.000.

*Seminaria* in Archidioecesi Metropolitana. Anno 1743 Celsissimorum, Ill.morum Radziwilów fundatio Seminarii Swirznensis in Lithuania, Palatinatu Novogrodensi ad Fl. Pol. 74.000 ascendens pro 12 clericis saecularibus Archidioecesis Metropolitanae, pro Rectore et Professoribus. Ab anno fundationis ad annum 1777 non persolutae annatae remanserunt Fl. Pol. 17.137 in aerario Principum, ab anno autem 1778 usque ad annum currentem 1790 aerarium Celsissimorum Principum nihil quidquam exolvit, proinde non persoluta quantitas ascendit ad summam Fl. Pol. 24.000.

In Archidioecesi Kioviensi, Zytomiriae a. 1776 fundatio p.m. R.di Primowicz pro missionariis et Seminario Fl. Pol. 200.000 continens per constitutionem Regni confirmata, quia pro tempore moderno ibi domus et ecclesia de novo aedificatur; praeter sacerdotes et familiam domesticam educantur alumni – 5.

Altera fundatio Radomisliae reconoscenda ex massa et post p.m. Ill.mum, R.mum D.num Jasonem Smogorzewski, Metropolitanum totius Russiae, Fl. Pol. 40.000, ad quam aedificatur Seminarium de muro pro 100 personis. Ill.mus Smogorzewski cum esset Archiepiscopus Polocensis et ipse contribuit et Clerus collegit pro Seminario Dioecesis Polocensis certam summam, quae Ill.mis D.nis Plater commodata, in cordone Dominii Russici manet, proinde relecta in nostris partibus Dioecesis Polocensis iuste eandem summam praetendit.

Praeter supra memoratas foundationes Ill.mus Metropolitanus demandavit extruere domos in qualibet surrogatia, fine educandi ibidem clericos. In Dioecesi Vlodimirensi a. 1719 Ill.mus Kiszka, Metropolitanus et Episcopus Vlodimirensis pro seminario Vlodimirensi reliquit summam Fl. Pol. 66.500 cum obligatione alendi, vestiendi et educandi alumnos de clero – 10. Post diminutum autem censum per dimidium iuxta legem Regni Poloniae, pro statu moderno aluntur et educantur alumni 5. Ill.mus Ep.pus Vlodimiriensis emit apud RR.PP. Basilianos monasterium et officinas penes suam Cathedram, ut ibi in communi habitantes Clerici et Professorem coabitantem habentes edificantur.

In Dioecesi Luceoriensi a. 1762, die 1-ma Junii, in convocatione Ostrogensi, tempore Ill.mi Silvestri Rudnicki, Ep.pi Luceoriensis de constitutione... (fol. 191) collecta est summa pro seminario Luceoriensi Fl. Pol. 30.000, ex qua summa penes cathedralm Luceoriensem educabantur alumni 4 et professor unus sustentabatur; nunc autem ob diminutum censum et non provenientem vix unus cum professore sustentari potest.

Ill.mus Episcopus Luceoriensis extruxit domum propter sustentandos et educandos in communi clericos.

In Dioecesi Chelmensi. Seminarium Dioecesis Chelmensis et Belzensis fundavit Ill.mus Ryllo, anteactus Chelmensis, ad praesens Premisliensis Episcopus, oblatis Fl. Pol. 100.000 et iisdem collocatis in bonis, de censu ab hac summa victum et amictum habet Rector et Professor Basiliani Ord. et duo alumni. Ad istud Seminarium recipiuntur aliique clerici studiorum causa pro discreta et mediocri solutione.

Cameneensis et Pinscensis nullam habet fundationem pro Seminario.

Fundationes Seminariorum cum ut plurimum in summis pecuniariis consistunt, ad augenda eadem Seminaria cum maiori utilitate Ecclesiae desiderat Congressus, ut ab eiusmodi summis in Regno Poloniae census per 9 a 100 lege comitiali constituatur et Seminario Dioecesano Chelmensi pro summa foundationali levanda 100.000 Fl. Pol. bona terrestria emi liceat et sic empta bona eadem lege comitiali confirmantur.

### *Exdivisio Dioecesum*

Quoniam neque Ecclesiae Cathedrales nostrae Ruthenae in talibus locis existunt, ut ad eas cum commodo Cleri et Populi aliarum Dioecesum ecclesiae adiungi possint in notabili numero, neque etiam positio geographicā partium R. Publicae, in quibus plebs Ritus nostri Rutheni invenitur, est eiusmodi, ut aequalis aut saltem aequalitati similis inter Dioeceses divisio fieri queat; Cathedrales etenim Ruthenae aliquae non procul a se distant, et vix non omnes in medio regionis situm habent, distantia autem civitatum et villarum, quas populus Ritus nostri inhabitat, attingit limites Turciae, Tartariae, Moscoviae, ex duabus partibus dominii R. Publicae attingit limites Austriae, Curlandiae et remotiores.

Proinde postulare Serenissimos R. Publicae Status consentaneum esset, ut pro commodiori obsequio et regimine huius populi Ritus nostri tam longe protensi, duos insuper Episcopatus, unum ad limites Albae Russiae, alterum ad limites Turciae et Tartariae in Palatinatu Bracaviensi constituere dignentur, aut ad minimum pro duobus suffraganeis, sive Episcopis auxiliaribus fundationem adinveniant.

Si eiusmodi gratiam Serenissimi R. Publicae Status praestare digna-

buntur, tunc Archidioecesis Metropolitana propter Episcopatum Pinsensem, habentem ecclesias 230, cedere potest decanatum Bobruysensem, Hluscensem, Rohaczeviensem, contiguos ex una parte Episcopatui Pinsensi, et insuper ecclesias ex decanatu Nieswizensi, et Decanatus Czarnobiliensem, Baraszeviensem et Ovrucensem. Si autem neque Episcopus, neque Suffraganeus Albae Russiae concedetur, tunc insuper ecclesias ex Decanatu surrogatiae Minsensis et relictos decanatus Polocenses, quamvis eundem Episcopum ad obeundas functiones suas immensa distantia inhabilem reddet. Episcopatus Vladimiriensis Chelmensi praeter ecclesias in Polesia Volhyniae cedere potest de Dioecesi Brestensi aliquot decadas ecclesiarum et praeterea Decanatus Podlachiae.

Dioecesis Vladimiriensis in compensationem huius cessionis potest sibi adiungere de Dioecesi Luceoriensi plus-minus Decanatus 10. Si vero erunt propinquiores de Dioecesi Metropolitana, ad eundem Episcopatum Vlodzimiriensem adiungentur, aut plures de Luceoriensi et ad Luceoriensem de Metropolitana, quia ex geographic... (*verba recisa*) ne perfecta divisio fieri potest, nec definiri perfecte distantia (fol. 191v) cuiuslibet ecclesiae a Cathedrali, ad quam pertinet; proinde expetendi sunt R. Publicae Status, ut post exauditas preces respectu Episcopatum Albae Russiae et Bracławiensis, aut post designatos in his locis Suffraganeos, longius concedant tempus ad deliberandum et concordandum practice mandata Serenissimorum Statuum, cum ipsa re, et commoditate tam parochorum, quam etiam episcoporum. Dioecesis Camenecensis tam ampla, ut supra 800 ecclesias numeret, an semper penes Episcopos extraneos Leopolienses permanebit, nec ne? Necessaria pariter esset decisio comitiorum, quia si semper penes Episcopos Leopolienses non manebit, fundatio nova pro Episcopo Camenecensi assignari deberet aut Dioecesis Camenecensis ex dividenda esset.

*Proiectum reducendi festa Synodalia in Calendario Rutheno**Festa conservanda:*

*In Januario:* Circumcisio Domini; Epiphania Christi D.ni.

*In Februario:* Purificatio B.V.M.

*In Martio:* Annuntiatio B.V.M.

*In Maio:* S. Joannis Apostoli et Evang.

*In Junio:* Nativitas S. Joannis Bapt.; SS. Petri et Pauli.

*In Augusto:* Transfiguratio Christi D.ni; Assumptio B.M.V.

*In Septembri:* Nativitas B.M.V.; Exaltatio S. Crucis.

*In Octobri:* Protectio B.V.M.

*In Novembri:* S. Michaelis Arch.; S. Josaphat Martyris.

*In Decembri:* S. Nicolai; Conceptio B.V.M.; Nativitas Domini; Fuga in Aegyptum; S. Stephani.

*Festa mobilia:*

Prima et altera dies Paschae.  
Ascensio Christi Domini.  
Prima et altera dies Pentecostes.  
Corporis Christi Domini.

*Festa reducenda:*

*In Januario:* Sanctorum Trium Doctorum.  
*In Aprili:* S. Georgii Martyris.  
*In Maio:* Translatio S. Nicolai.  
*In Julio:* S. Annae; S. Heliae Prophetae; SS. Romani et Davidis in Lithuania; S. Pantaleonis in Volhynia.  
*In Augusto:* Decollatio S. Joannis Bapt.  
*In Septembri:* S. Josaphat Martyris; S. Joannis Evang.  
*In Novembri:* Praesentatio B.V.M.

*Festa mobilia:*

Dies Tertia Paschae.  
Dies Tertia Pentecostes.  
Dolorosae B.V. Mariae... (*folium recisum*).

Cum praesens Congressus voluntatem Serenissimorum R. Publicae Statuum in reducendis festis adimpleverit, idem Congressus eosdem Status exposcit, ut post obtentam a S. Sede Apostolica huius reductionis confirmationem, Disunitos ad aequalem cum Unitis festorum observantiam sua auctoritate compellant, ne hi dissensum aliquem in amplectenda Sancta Unione hinc ostendant et uniformitatem hac in parte servent.

*Taxa Jurium Stolae*

Cum Sacra menta gratis ubique et cuicunque administrari debeant, obsequium spirituale seu potius premium huius laboris, quem Parochus sine propria expensa explere nequit, sequenti methodo, ut inferius, constituitur:

RR. Curati habebunt tres libros distinctos de bono et mundo papiro compactos; in primo baptizatos, in secundo matrimonio iunctos, in tertio mortuos describant.

Circa inscriptionem baptismi a quolibet accipient ....	gr.	4
Pro inscriptione in librum metrices matrimonii eorum, qui nullo utuntur agro et famulorum .....	Fl.	1
Ab homine agrum incolente, qui absque curru et aratro obsequia praestat .....	Fl.	2
Ab eo, qui agrum possidet et simul aliquot boves....	Fl.	3
Ab homine agrum, sex boves et aratrum habente....	Fl.	6
Ab artifice agrum possidente .....	Fl.	6
Ab artifice sine agro .....	Fl.	2
A quolibet banna .....	gr.	12
A pauperibus .....	gr.	6
A sepultura Nobilium plus minus 10 subditos habentium, si fiat cum conductu cani solito, vigiliis et aliis ritibus atque cum Sacrificio Missae.....	Fl.	15
A sepultura eorundem sine possessione .....	Fl.	10
Aequaliter ab incolis civitatum volentibus cum eiusmodi apparatu sepulturam habere .....	Fl.	10
A sepultura multum agrum possidentium cum conductu sive exportatione .....	Fl.	2
A sepultura agrum incolentium, sine curru et aratro obsequia praestantium cum conductu .....	Fl.	3
sine conductu .....	Fl.	1 gr. 1
A sepultura hominum possidentium agrum et simul ali- quot boves cum conductu .....	Fl.	4
sine conductu .....	Fl.	2
A sepultura hominum agrum, sex boves et aratrum habentium cum conductu .....	Fl.	5
sine conductu .....	Fl.	4
A sepultura infantium ab annis octo.....	gr.	15
ab annis quindecim .....	Fl.	1
A decantatione Missae Fl. 2; a decantatione vigiliarum Fl. 2... ( <i>folium recisum</i> ) (fol. 192v) a cereis, quales in altari constitui solent gr. 15; a lampade – gr. 4; a cereis circa expor- tationem – gr. 15.		
A pulsatione magnarum campanarum, ubi multis homi- nibus opus .....	Fl.	2
Ab hac supra specificata solutione circa inscriptionem praestanda, omnes pauperes domicilium suum aut famula- tum stabilem non habentes, liberi exstabunt.		
Praeterea RR. Curati a confessione sub poena excommunicationis per Synodus Zamoscianam statuta et sub aliis poenis – item ab administratione		

Extremae Unctionis, visitatione domorum cum quibusdam orationibus, benedictione panis Paschatis et aliis obsequiis spiritualibus minoribus nihil omnino exigent et eo magis post mortuos legata in equis, pecoribus, amictu et aliis ad inventarium pertinentibus non accipiant, nisi forte eiusmodi legata sine damno aulae, domesticae familiae pro Missae Sacrificiis et alia devotione praesentibus testibus fide dignis fiant.

Insuper iidem Curati Parochianis suis commendare debent, ut neglectis commessionibus esequiarum (ubi tantum excessus in comedendo et bibendo dominatur) Missis sive Vigiliis aut exequiis suffragium animabus defunctorum accelerare current.

fol. 193v: Eccellentissimo, Ill.mo et R.mo D.no Ferdinando Mariae De Ducibus Coriliani Saluzzo<sup>36</sup> in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae Nuntio Apostolico – Pro infra contento Oratore.

## 18.

*Radomyslia, 17. III. 1791.*

*Pro concedendo distinctorio cuidam parocho Koreensi et de plurimis iam concessis in eparchia Luceoriensi.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 183r.

Illustrissime, Excellentissime et III.me Domine, Patrone Colendissime. Quemadmodum Varsaviae manens libenter anni, ut Rev.dus Parochus Koreensis particeps fiat huius gratiae, quam S. Sedes Apostolica pro determinato personarum numero distribuendam Metropolitanis concessit; ita hinc eundem Parochum distinctorio insigniendum promitto, dummodo praestet ea, quae circa hanc concessionem praestari praescripta sunt et a meo Predecessore servabantur. Non procul ille Radomyslia manet, proinde ut hic, accepturnus distinctorium, veniat, scripsi ad Ill.mum et Rev.mum Coadjutorem et Administratorem Luceoriensem,<sup>37</sup> sub cuius regimine existit. In dioecesi Luceoriensi tot iam personae a Predecessore meo distinctoriis sunt insignitae, quot insigniendas in qualibet dioecesi Bulla praescripsit;<sup>38</sup> proinde quae distinctoria distribuenda remanent, laborantibus archidioecesanis meis in Vinea Christi, secundum praescriptum Bullae, servare deberem; quia tamen pro Rev.do praedicto Parocho Excellentia V. Ill.ma<sup>39</sup> officia sua interponere digna-

<sup>36</sup> Ferdinandus Maria Saluzzo, Nuntius Varsaviensis (1784-1794).

<sup>37</sup> Stephanus Levynskyj, Episcopus tit. Thegeanus (1784) et Administrator Luceoriensis (1785-1795) dein Episcopus Luceoriensis (1798-1807).

<sup>38</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 268-271, nr. 842, de dat. 13.VII.1784.

<sup>39</sup> Nuntius Varsaviensis Ferdinandus Maria Saluzzo (1784-1794).

tur, ut eidem, quemadmodum exopto, placeam, et Celsissimi Principis Czartoryski votis deferam, promissa adimplere conabor ac semper profiteri pergam me circa profundissimam venerationem esse.

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Patroni Colendissimi, humillimum et obsequiosissimum servum

Radomysliae, die 17 Martii 1791.

T. ROSTOCKI, Metropolita.

## 19.

*Radomyslia, 12. V. 1791.*

*De Processu formando pro Adriano Butrymowicz, et ratio cur nondum scripserset de hoc, nec non pro distinctorio cuidam parocho Korecensi.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 184rv.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, D.ne Patrone Colendissime.<sup>40</sup>

Litteras Excellentiae Vestrae Ill.mae cum annexo S. Congregationis Decreto, quo conceditur instituendus processus super vita et moribus Rev.di Patris Butrymowicz<sup>41</sup> per me vel per delegandum aliquem ex nostris Ill.mis Episcopis, ut ad episcopatum titulari valeat promoveri, debita cum reverentia accepi et distinctissimas refero gratias pro eiusmodi Decreti remissione.

Quod non scripserim ad Suam Sanctitatem commendando eundem Patrem, quem pro Suffraganeo ad multorum postulationes determinandum esse arbitratus sum, in causa fuit, quod ante processum certus esse non potui de eius talentis, aliisque dotibus, quae in Episcopo etiam titulari requiruntur. Postquam vero ex processu melius mihi constabunt haec omnia, non intermittam humillimas meas preces Sanctitati Suae porrigere, ut (fol. 184v) delectum hunc meum, concessione Episcopatus in partibus completere et gratiam hanc praexpresso Patri indulgere benignissime velit.

Gaudeo me satisfecisse desiderio Excellentiae Vestrae Ill.mae, ut R.dus Parochus ecclesiae Koreensis distinctorium obtineat. Omnia mandata, ea qua possum promptitudine, implere volo et semper contestari me in profundissimo cultu et veneratione esse.

<sup>40</sup> Ut videtur Nuntio Varsaviensi Ferdinando Maria Saluzzo (1784-1794).

<sup>41</sup> Adrianus Topor Butrymowicz, Basilianus, nominatus Suffraganeus metropolitanus per Lithuania; obtinuit tit. Calamen. Breve nominationis die 8.II.1792.

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Clementissimi, humillimum et obsequiosissimum Servum Radomysliae, die 12 Maii 1791.

T. ROSTOCKI, Metropolita.

(fol. 184, *in calce*): Ill.mus, Exc.mus et R.mus Nuntius Apost.

## 20.

*Pinsk, 18. VIII. 1791.*

*Processus canonicus de vita, moribus etc. P. Adriani Butrymowicz in episcopum promovendo pro suffraganeatu Albae Russiae: Testes, Interrogatoria, depositiones etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, fol. 94-97.

## P R O C E S S U S

Super vita, moribus, et idoneitate Rev.mi Patris Domini Adriani Topor Butrymowicz, Ordinis S.B. Magni Congregationis Ruthenorum, Provinciae Lithuaniae Professi Presbyteri, Superioris Borunensis, ab Ill.mo, Excell.mo, Rev.mo Domino Theodosio Rostocki, totius Russiae Metropolitano, Ordinis Sancti Stanislai Equite, in Suffraganeum Albae Russiae nominati formatus.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Coram Ill.mo Rev.mo Domino, Domino Joachimo Daszkowicz Horbacki, Episcopo Pinscensi,<sup>42</sup> Ordinis S. Stanislai Equite, ab Ill.mo, Excell.mo, Rev.mo Domino, D.no Theodosio Rostocki totius Russiae Metropolitano, ordinis S. Stanislai Equite, die 18/7ma mensis Augusti, 1791 anno, Pinsci per speciale instrumentum ad actum praesentem deputato, comparens personaliter Rev.mus Pater Dominus Adrianus Butrymowicz, Ordinis S.B. Magni Congr. Ruthenorum, Provinciae Lithuaniae Professus Presbyter, Superior Borunensis, Nominationem suam in Suffraganeatum Albae Russiae, die 28 mensis Xbris, n.s., anni 1790, tum etiam a Sancta Sede Apostolica consensum, sub die 24 mensis Martii 1791 anno, emanatum, omnia haec Documenta sibi pro dicto Suffraganeatu collata ac servientia produxit, simulque humilliter supplicavit, quatenus ad executionem ejusdem Nominationis seu ut ad Episcopatum Titularem pro eodem Suffraganeatu Rutheno Albae Russiae valeat

<sup>42</sup> Joachimus Daszkowicz-Horbackyj, Episcopus Pinscensis (1784-1795); Basilianus, Alumnus Romanus Coll. Graecorum (1750-1754).

promoveri, idem Ill.mus Deputatus procederet, ut ad eundemque institueret, ac pro ulteriori Processu ad quem de jure remitteret. Qui Ill.mus ac Rev.mus Dominus, visis, lectis, ac recognitis, salvis, illaesis, integris et nulli subrepotioni obnoxiiis praedictis Documentis, eadem ut talia admisit, simulque ut postulationi comparentis (f. 94v) rite ac legitime fieri satis posset, requisitum ad similia Processum de vita, et moribus, ac idoneitate Rev.mi Comparentis, ac Supplicantis confici, Testes induci, examinari, eorumque depositiones super Interrogatoriis iisdem proponendis recipi et adnotari mandavit ac decrevit, sive, non ad inventis legitimis impedimentis, ad ulterius procedendum Rev.mo comparenti accessurum declaravit.

Et in continenti inducti sunt Testes: Adm. R.ndi Patres Mathias Medycki, Vicarius, et Isidorus Pomarzanski, Concionator Monasterii Abbatialis Pinsco-Leszczensis, Professi Presbyteri Ordinis S.B. Magni, per speciale Instrumentum a Perillustri, Rev.mo Domino Maximiliano Wilczynski,<sup>43</sup> Ordinis S.B. Magni, Sacrae Theologiae Doctore, Congr. Ruthenorum Proto-Archimandrita, ad hunc Actum designati, qui jure-jurando ad proposita sibi Interrogatoria, pro conscientia, responsuros spouonderunt, ac Dei nomine invocato ad singula, ut infra adnotabitur, responderunt.

**INTERROGATORIA VERO TESTIBUS PROPOSITA CIRCA HUIUSMODI PROCESSUM,  
SUPER QUIBUS IIDEML EXAMINATI SUNT, HISCE VERBIS CONCEPTA ERANT**

1mo: – An noscat Admodum R.ndmum Patrem Promovendum, quomodo et a quo tempore, sitne ipsius consanguineus, affinis, inimicus, familiaris? quae causa scientiae?

2do: – An sciat in qua Civitate vel Dioecesi sit natus? quae causa scientiae?

3to: – An sciat eum esse natum ex legitimis, honestis, nobilibus, atque catholicis Parentibus? quae causa scientiae?

4to: – An sciat eum in Sacris Ordinibus constitutum esse, ubi, a quo, et quando? quae causa scientiae?

5to: – An sciat eum in Ecclesiasticis functionibus, et exercitio Ordinum susceptorum diu versatum, ac in susceptione Sacramentorum frequentem et devotum fuisse? quae causa scientiae?

---

<sup>43</sup> Maximilianus Wilczynskyj, Protoarchimandrita Basiliyanorum ex nominatione Sedis Apostolicae (1790-1793). Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De protoarchimandrita Basiliyanorum*, Romae 1958, pag. 298-99. Obiit Vilnae die 18.VII.1793; electus fuit in Protoconsultorem in Cap. Gen. Zydyczynensi an. 1788, et cum electus Protoarchimandrita Porph. Ważynskyj abiit in Sedem Chelmensem, Protoconsultor nominatus fuit a Sede Apost. cum omnibus iuribus et privilegiis Protoarchimandrita.

6to: – An sciat eum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permansisse? quae causa scientiae?

7mo: – An sciat eum praeditum fuisse vitae innocentia, bonisque moribus, et an sit bona conversationis et famae? quae causa scientiae?

(f. 95) 8vo: – An sciat eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in Sacra Theologia insignitum esse, eaque doctrina ad praesens pollere, quae in Episcopis requiritur? quae causa scientiae?

9no: – An sciat eum aliquo munere functum fuisse vel circa curam animarum aut regimen Ecclesiae se exercuisse et quomodo se in iis gessisse? quae causa scientiae?

10mo: – An sciat eum aliquando publicum scandalum dedisse, vel aliquo corporis vitio, aut animi, alioque canonico impedimento teneri? quae causa scientiae?

11mo: – An eum idoneum existimet ad bene gerendam Ecclesiam et an sciat promotionem illius utilem ac proficuam esse? quae causa scientiae?

12mo: – An promovendus possideat aliquod Beneficium cum obligatione ad residentiam? quae causa scientiae?

Ad quae singula inductus supra relatus primus Testis<sup>44</sup> respondit, ut sequitur: –

Ad 1mum reposuit: – Rev.mum Patrem Adrianum Butrymowicz, Ord. S.B. Magni, nominatum Suffraganeum Albae Russiae, bene sibi notum esse ab annis 18. Quocum etiam simul operam dedisse studio Theologico in Polocensi Monasterio, nullo sibi consanguinitatis gradu iunctum eundem, inimicitias familiares exercere sibi nec licuisse, nec decuisse, cum amor fraternus religiosus id prohibeat.

Ad 2dum reposuit: – Quod sit natus in Predio dicto Wierzeniewsczyzna, in Dioecesi Vilnensi, in Districtu Grodnensi, cum id litterae Metrices depositae testentur, atque ex jisdem constat.

Ad 3tium reposuit: – Eum ex legitimis, honestis, nobilibus atque catholicis Parentibus natum, et ab Ill.ri, R.ndo Domino Joanne Antonio Chodykin, curato Kriscensi, baptizatum.

Ad 4tum reposuit: – Rev.mum Nominatum ab Ill.mo, Excell.mo, Rev.mo D.no Feliciano Wolodkowicz, p.m., Metropolitano totius Russiae in quatuor minores, Subdiaconum, et Diaconum ordinatum in Kupieczow, anno 1771, martii 29 die. Jam vero in Presbyteratum anno 1775, die 10 Maii, ab Ill.mo,

<sup>44</sup> P. Mathias Medycki, Vicarius Monasterii Pinsco-Leszczynensis; cfr. supra, pag. 85.

Excell.mo, Rev.mo, D.no Jasone Junosza Smogorzewski, Archi-Episcopo Polocensi, in Monasterio Polocensi consecratum fuisse, uti testatur formata Ordinandorum.

Ad 5tum reposuit: – Rev.mum Nominatum quotidiana specimina summae pietatis dare consuevisse, Missas quotidie celebrasse, (f. 95v) aliaque Sacra menta frequentasse, nec in ullo minimo deliquisse hucusque notatum fuisse, cum partim cohabitatio, partim rumor aliorum id probet.

Ad 6tum reposuit: – Nihil contrarii Catholicae Religioni vel puritati fidei in ipso unquam vidi vel audivi.

Ad 7mum reposuit: – Testatum eum predictum fuisse vitae innocentia, bonisque moribus, bonae conversationis, et optimae famae, cum de his superiorum testimonium in litteris adhibeatur.

Ad 8vum reposuit: – Rev.mum Nominatum, sedula applicatione in studium Theologiae speculativae, quatuor annis continua impensa, sufficierter in rebus Theologicis versatum esse luculenter probat. Jam vero tredecim anni, quos impensus est iam in verbo Domini praedicando, iam in Philosophia, Theologia, sacris Canonibus specialiter, tum in Alumnatu Pontificio Vilnensi quinque annis explicandis, tum in Provincia Ordinis nostri Lituana subiectis discipulis tam saecularibus, quam sibi conreligiosis, magis eum insignitum hisce scientiis comprobant. Haec autem omnia constant iam ex Literis obedientialibus, iam ex commendatione Superiorum Ordinis ac discipulorum elogio.

Ad 9num reposuit: – Rev.mum Nominatum duobus annis Superiorum fuisse monasterii Borunensis, illudque optime gubernasse ad velle Superiorum Ordinis.

Ad 10m reposuit: – Rev.mum Nominatum nullum scandalum publicum dedisse, bene valentem corpore, nullo vero animi vitio obnoxium se advertisse, vel ab aliis audivisse.

Ad 11m reposuit: – Superiores Ordinis Rev.mum Nominatum parem, et idoneum censuerunt exequendo muneri Suffraganei, promotionemque illius utilem ac proficuam existimarunt, cum eundem ad hancce Dignitatem promoveri permiserunt.

Ad 12m reposuit: – Quod simplex Monachus nullum potest possidere Beneficium cum obligatione ad residentiam, ergo neque Rev.mus Nominatus. Quod vero dimissus sit plene a Superioratu Borunensi, patet tum e Literis Perill.ris, Rev.mi Proto-Archimandritae Ordinis, tum Rev.mi Superioris Provinciae Lituanae.

Has depositiones fideliter factas manu propria subscribo.

P. Mathias Medycki, Ordinis S.B.M. Vicarius Monasterii Abbatialis Pinsko-Lesczynen (mpr).

(f. 96) Testis secundus, supra relatus,<sup>45</sup> inductus pariter ad singula respondit, ut seguitur: –

Ad 1mum reposuit: – Optime nosco R.mum Nominatum, idque ab annis 14. Consanguinitas, affinitas nullae sunt, inimicitia vel amicitia familiaris Religiosis prohibentur.

Ad 2dum reposuit: – Legi litteras Metrices et in iis reperi, quod sit natus in Dioecesi Vilnensi, in Districtu Grodnensi, in Predio Wierzeniewscyzna, atque ex his patuit.

Ad 3tium reposuit: – Quod sit natus, et baptizatus ex Parentibus legitimis, catholicis, et nobilibus.

Ad 4tum reposuit: – Legi formatam Ordinandorum et reperi quod promotus fuerit ab Ill.mo, Excell.mo D.mo Domino Feliciano Wolodkowicz, totius Russiae Metropolitano, ad quatuor Minores, Subdiaconatum, et Diaconatum inclusive, in Kupieczow, anno 1771, 29. Martii, V.S., et tandem anno 1775, die 10 Maii, v.s., in Presbyteratum consecratus fuit ab Ill.mo, Excell.mo ac Rev.mo Domino Jasone Junosza Smogorzewski, Archi-Episcopo protunc Polocensi.

Ad 5tum reposuit: – Audivi ipsum ecclesiasticas functiones et exercitia Ordinum susceptorum semper obiisse, ac in susceptione Sacramentorum frequentem et devotum fuisse.

Ad 6tum reposuit: – Communis fert fama eum semper catholice vixisse et in fidei puritate permansisse.

Ad 7mum reposuit: – Nihil audivi contrarium bonis moribus, et vitae innocentiae gessisse, imo semper bonam famam de ipso percepisse.

Ad 8vum reposuit: – Ex testimonio Litterarum obedientialium monasticarum collegi multos annos eum impendisse in tradendis scientiis, tum Eloquentiae, et Philosophiae, tum Sacrae Theologiae, ac Sacrorum Canonum, variis in locis.

Ad 9m reposuit: – Legi Litteras obedientiales, et observavi, quod praefuit in monasterio Borunensi duobus annis utiliter, et exemplariter illud administravit.

Ad 10m reposuit: – Nullum prorsus scandalum perpetravit, semper exemplariter vixit, audivi quod sanus corpore et mente, nulloque Canonico impedimento laborat, ipsummet vidi.

<sup>45</sup> Testis secundus P. Isidorus Pomarzanski, Concionator Monasterii Pinsco-Leszczynensis; cfr. supra p. 85.

Ad 11m reposuit: – Cum Superiores Ordinis nostri ad bene regendam Ecclesiam idoneum ipsum existiment, et promotionem illius utilem ac proficuam censeant, ego pariter hac in re (f. 96v) judicium meum, judicio illorum submitto.

Ad 12m reposuit: – Rev.mus Nominatus nullum potuit possidere Beneficium cum obligatione ad residentiam, cum sit simplex monachus.

Has depositiones fideliter factas, manu propria subscribo.

P. ISIDORUS POMARZANSKI, O.S.B.M. Concionator ordinarius Monasterii Abb. Pinsko-Lesczyn (mpr.).

Et post examen Testium juratorum absolutum anno 1791, die 7ma Augusti, Vs., coram Ill.mo, Excell.mo, Rev.mo Domino Joachimo Daszkowicz Horbacki, Episcopo Pinscensi, ordinis S. Stanislai Equite, Comparens personaliter Rev.mus Dominus Adrianus Topor Butrymowicz, Ordinis D.B. Magni, Albae Russiae nominatus Suffraganeus, reproductis sibi pro Suffraganeatu Albae Russiae servientibus, et in Actis Decretoriae admissis, et recognitis Documentis, quatenus Excellentia Sua Ill.ma Processui huic canonico per se legitime expedito finali suo Decreto finem imponere, attentis juratorum testium depositionibus ad obtinendum titulum Episcopi pro Suffraganeatu saepe dicto procedere, et cum hoc Processu ad quem de jure remittere dignetur humillime postulavit.

Ill.mus, Excell.mus ac Rev.mus Dominus Episcopus Pinscensis, Ordinis Sancti Stanislai Eques, sedens etc. Visis, lectis, praesentis Processus actis, perpensis quoque Testium juratorum depositionibus etc. Quoniam constitit Rev.mum Patrem Adrianum Topor Butrymowicz, Ordinis S.B. Magni, ab Ill.mo, Excell.mo, Rev.mo Domino Theodosio Rostocki, totius Russiae Metropolitanus, ordinis Sancti Stanislai Equite, in Suffraganeum sibi, praesertim Albae Russiae esse coptatum et nominatum, a Sancta Sede Apostolica per Decretum ad Processum confirmatum, ad nos per specialem Delegationem remissum, a Testibus juratis de vitae monasticae innocentia, morum, virtutumque integritate, doctrinae sufficientia, caeterisque qualitatibus satis attestatum, idcirco eundem Rev.mum Patrem Adrianum Topor Butrymowicz, Ordinis S.B. Magni, ad munus Suffraganei dignum et habilem agnoscendo, iuste et exaequo debere promoveri, sententiavit et pro obtinendo titulo (f. 97) Episcopi saepe dicti Suffraganeatus, cum ulteriori Processu ad quem de jure remisit. Et ita etc. Acta haec sunt in praesentia mei Apostolici et Consistorii Generalis Pinscensis jurati Notarii, in quorum fidem manum propriam apposui, et sigillo Ill.mi, Excell.mi ac Rev.mi Domini Joachimi Daszkowicz Horbacki, Episcopi Pinscensis, ordinis Sancti Stanislai Equitis, communivi.

Ex Protocollo Actorum Concistorii Generalis Pinscensis extractum, et

sigillo Ill.mi, Excellentissimi ac Rev.mi Domini Joachimi Daszkowicz Horbacki, Episcopi Pinscensis, ordinis Sancti Stanislai Equitis, communitum.  
*Nostro sub Sigillo.*

Basilius Hreczko, Apostolicus et eorundem  
Actorum juratus Notarius (mpr.).

## 21.

*Radomislia, 28. VIII. 1791.*

*De non-transitu ad alium Ritum, de Distinctoriis distribuendis, etc.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 67rv.

Eminentissimi Domini, Domini Patroni Colendissimi.

Binas Eminentiarum Vestrarum accepi literas, alteram qua mihi commendatur, ut in distributione hujus gratiae, qua S. Sedes Apostolica Clerum Dioecesum nostrarum exornare dignata est,<sup>46</sup> in Distinctoriis nimirum distribuendis, rationem habeam Chelmensis Dioecesis, quae ab Antecessore meo nullum obtinuit ex ejusmodi Distinctoriis; alteram vero, qua mihi significant, Clericos volentes transire ex Ritu Latino, ad Ritum nostrum, in quo uxoratis quoque conceditur aspirare ad maiores Ordines, non potuisse obtinere gratiam eiusmodi transitus maxime ex eo, quod in more positum non sit, de Latino ad alium Ritum transitum concedere. Ad utramque hanc Epistolam, ea qua par est reverentia, et submissione respondendum mihi est.

Quod Antecessor meus<sup>47</sup> participem non fecerit Dioecesim Chelmensem eius Sanctae Sedis gratiae, quam aliarum Dioecesum Personae, mediante eiusdem Antecessoris mei distributione, facile obtinuerunt, in causa esse debuit quod Dioecesis Chelmensis pro consequenda eiusmodi gratia nullum recursum ad Antecessorem meum habuerit. – Cum autem in eodem quasi numero distributae sunt personis tum Dioecesis Kioviensis, tum aliarum Suffraganearum Dioecesum, in quo a Sancta Sede ad distribuendum concessae fuere, non aliud mihi remanebit, ut et mandatis Eminentiarum Vestrarum et justitiae distributivae satisfaciam, quam, ut, prima sese offerente vacatione, primo loco habeam Dioecesis Chelmensis personas, a suo respectivo Episcopo commendatas.

Novum non est, exoptantibus transitus gratiam a S. Sede Apostolica, illam consequi; gratiam vero hanc desiderant illi, ut modum sustentationis

<sup>46</sup> De s.d. distinctoriis an. 1784 Ecclesiae Unitae concessis, cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, nr. 842, pag. 269-271 de, dat. 13.VII.1784.

<sup>47</sup> Jason Junosza Smogorzewskyj, Metropolita Kioviensis (1780-1788).

suae futurae faciliorem reddant, et sibi melius, transferendo se ad Clerum nostrum, in quo uxorati quoque recipiuntur, prospiciant. Non enim eiusmodi subiecta sunt, ut in Clero latino, in quo latinae linguae maior peritia requiritur, honorem facere possint. Ego autem servare volens legem Ecclesiae, qua unusquisque in suo Ritu, in quo natus est, permanere obligatur, gratiam transitus, absque facultate Sanctae Sedis Apostolicae (f. 67v), concedendam minime existimavi, quamvis R. ndi Sacerdotes Latini Ritus ad hanc legem Ecclesiae minime attendant, et millenis hominibus, transire a Ritu nostro ad Latinum volentibus, transire facultatem concedant, imo etiam vi ad mutandum Ritum inducant, nescio quid lucri Ecclesiae facientes, dum a Ritu Catholicº ad Catholicum homines avocant, et non modo iurisdictiones miscent, verum etiam matrimonia benedicentes, illa suspecta reddunt atque ita laedunt mutuam charitatem, quae inter unius et alterius Ritus homines, qui Sanctae Sedi parent, et Catholicæ Ecclesiae subiciuntur, esse deberet, et quaerelarum unius Ritus contra alium occasionem praebent.

Exoptandum mihi est, ut pro quibus saltem in clero esse volentibus Sanctae Sedi preces meas offeram, gratiam hanc eadem Sancta Sedes mihi facile concedere velit, qui enim in Ritu Latino nati sunt et educati, magis Sanctae Unioni et Sedi Apostolicae adhaerent, et magis illam promovere adnituntur, quod Presbyteris Ritus nostri vel maxime est insinuandum et commendandum. Gratiae me et favoribus Eminentiarum Vestrarum commendari restat atque in profundissima veneratione profiteri me semper esse.

Radomyslia, 1791 anno, die 28 Augusti.

Eminentiarum, Vestrarum, humillimus et oblig. mus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

## 22.

*Lublin, 9. XI. 1791.*

*Certiorat de Processu canonico de vita, moribus, aptitudine Adriani Butrymowicz iam efformato.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 93.

Eminentissimi Domini, Domini Patroni Singularissimi.

Intercedente Eminentiarum Vestrarum gratia, concedere benigne mihi Sanctitas Sua dignata est facultatem formandi personalem Processum R. ndi Patris Adriani Butrymowicz, Ord. S. Basilii M. Professi, ut in Episcopum titularem, pro Suffraganeatu Metropolitano, valeat promoveri; quam gratiam eo cum maiori reverentia et gratitudine excepti, quo maiorem necessitatem adverto, et re ipsa experior, praestandi mihi adjutorii in amplissima Dioecesi, qualis est Metropolitana, extensa per Palatinatus Kioviae et Braclavie,

atque per magnam partem Ducatus Lithuaniae, maxime quando et publicis obsequiis, et tam ampliae Dioecesis negotiis, et negotiis cum Successoribus pie functi Antecessoris mei, contendentibus occupare redditus Metropoliae, distentus, vix obligationibus Pastoralibus sufficere possum. – Cum itaque Processus praeexpressus super qualitatibus R.ndi Patris Adriani Butrymowicz, Ordinis S. Basilii M. Professi, ac per me in Suffraganeum assumpti, per Ill.mum, R.mum Dominum Joachimum Horbacki, Episcopum Pinsensem, mediante mea eidem Delegatione, iam confectus sit, et in originali transmissus, ad accelerandam ejusdem nominati Suffraganei promotionem non aliud desiderari videtur, quam memoratum futurum meum Episcopum Suffraganeum gratiae et benevolentiae Eminentiarum Vestrarum impense commendare, et Processum a me transmissum, ad effectum impetranda confirmationis Apostolicae remittere. – Quod dum praesentibus praesto, gratiae Eminentiarum Vestrarum me ipsum commendari cupio, et pro expeditione Litterarum matrius extradenda, enixe rogans, cum profundissima veneratione profiteri, et esse volo.

Eminentissimorum Dominorum Patronorum Col.morum humillimus et obsq.mus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metrop. totius Russiae.

Datt. Lublini, die 9na 9bris, 1791 anno.

### 23.

*Lublin, 17. XI. 1791.*

*De quadam unione ecclesiae in villa Gredzenowka Basilianis Humanensibus etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 893, f. 267rv.

Eminentissimi, Reverendissimi Domini.

Litteris EE.VV. non ita pridem mihi redditis, quibus de ecclesia in Villa Gredzenowka, ad Monasterium Humanense Patrum O.S. Basilii M. jure Fundationis spectante, num eidem Monasterio uniri possit, Votum meum requirere dignantur respondere volens, nullam certam de statu illius ecclesiae notitiam referre possum; nullam enim a Decano illius loci, sub tempus Synodi Dioecesanae, notitiam accepi, praeterquam quod Rectore saeculari orbata sit. Fieri potuit quod ecclesia illa a Presbytero schismatico administraretur, cum praesidio Cosacorum extraneorum, et etiam ad ditiones Poloniae spectantium, audaces facti Schismatis Coriphaei, quemadmodum multas alias ecclesias Unitis receperunt, ita hanc quoque in Gredzenowka existentem Schismati adscripserunt, et quod per Missionarios Basilianos vindicata fuerit atque Sanctae Unioni restituta; aliquos tamen fundos habere debet usu vel erectione ad se pertinentes, cum in subsidiis charitativi pro unaquaque ecclesia designatione omissa non sit, et respectivum subsidium solvat. Si EE.VV.

placet, ecclesia haec Monasterio Humanensi meo ex voto uniri potest, dummodo subsidium charitativum quemadmodum adusque solvebat, etiam in futurum solvat, ne aliae ecclesiae saeculares quotum a Gredzenoviensi debitum exsolvere obligentur. Commodum spirituale animarum Christi sanguine redemptarum, et sollicitum studium Patrum O.S. Basilii M. in propaganda Sancta Unione in iis oris, in quibus (f. 267v) Monasterium Humanense inventur, gratiam hanc iisdem praestandam suadere videtur. Ut itaque eandem consequantur, dum praeces meas, eorum praecibus superando, in profundissimo cultu et veneratione me esse profiteor.

Eminentiarum Vestrarum devotissimum et obsq.mum Servum  
T. ROSTOCKI, Metropolita (mp).

Die 17. 9bris 1791, Lublini.

## 24.

*Romae, 28. XI. 1791.*

*Decretum Congreg. Propagandae Adriano Butrymowicz concessum, petente et instantie Theodosio Rostockyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscova, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 134.

Decretum – S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide,  
habitae die 28 Novembris 1791.

Cum R.P.D. Theodosius Rostocki, Metropolitanus totius Russiae, huic S. Congregationi humiliter supplicaverit, ut pro meliori servitio concredit sibi Gregis in amplissima Dioecesi concedatur sibi a SS.mo Domino nostro in Suffraganeum Ecclesiae Metropolitanae cum titulo, et charactere episcopali R.P. Hadrianus Butrymowicz, Ordinis S. Basilii Magni expresse professus, vir moribus, scientia, et caeteris virtutibus commendatus, jamque ad hunc effectum nominationem, et personalem Processum miserit, Eminentissimi Patres, ad relationem R.P.D. Archiepiscopi Adanen., Secretarii, censuerunt supplicandum SS.mo pro deputatione ejusdem R.P. Hadriani in Suffraganeum cum titulo Episcopali, necnon pro facultate eidem Metropolitanano consecrationis manus vel per se, vel per alium ab eo designandum Episcopum sui Ritus adimplendi, duobus tantum saecularis, vel regularis cleri Presbyteris assistantibus.

Quam sententiam SS.mo Domino nostro Pio VI ab eodem D. Secretario relatam, in Audientia habita die 11 Decembris eiusdem anni, Sanctitas Sua benigne in omnibus confirmavit, litterasque Apostolicas in forma Brevis expediri iussit.

Datum ex aedibus dictae Sacrae Congregationis, die 20 Decembris, anno 1791.

L. Card. Antonellus, Praefectus.  
A. Archiep. Adanen., Secretarius.

## 25.

*Varsavia, 30. XII. 1791.*

*De expensis et debitis domus et ecclesiae S. Sergii et Bacchi in Urbe instat apud Protoarchimandritam et promittit ex parte sua contributionem, nisi ab heredibus praedecessoris sui oberatus fuerit.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscavia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 115rv.

Eminentissimi, Reverendissimi Domini.

Dubium non est Congregationem Basilianam Nationis nostrae, quae possessionem Domus ad ecclesiam SS. Sergii et Bacchi in Alma Romana Urbe obtinet, quemadmodum commodum et lucrum ex illa Domo percipit ita ejusdem integritati, conservationi, et, si quae necessaria visa fuerint, immutationi providere debere, et ex ipsa possessionis ratione obligari. Rationem quare proventuum et expensarum, qui illius domus regimen obtinet, cum suo Officio Generali communicare deberet, ut mediantibus ejusdem Officii commendationibus a Provinciis ea obtineat, quae ad illius Domus commodum aut conservationem omnino requiruntur, et ex redditibus ordinariis vel extraordinariis haberi non possunt. Ut mandatis EE.VV.is satisfaciam, non omittam Rev.mo Proto-Archimandritae necessitatem praedictae Romanae Domus exponere, atque urgere, ut praehabitibus necessariis notitiis de statu illius Domus, et de expensis atque proventibus eidem obvenientibus, illud apud se statuat, quod omnimoda necessitas statuendum svaserit. Libenter ego quoque ad felicitatem ejusdem domus conferre vellem, nisi me successorum Antecessoris mei impetatio, quae omnia accipere nititur, et praeterea ingentes Summas, a Metropolia sibi solvendas injuste praetendit, inopem redderet, et ad continuas expensas in variis subselliis obligarit. Tempore, quo me ab hujusmodi expensis liberum factum, subsidii faciendi capacem videbo (f. 115v) promptam voluntatem reservatam esse volo. Interea vero apud Officium Proto-Archimandritale curare promittens, ut necessitatibus illius Domus subvenire studeat, gratiis EE.VV. impense commendari cupio, et cum profundissimo cultu ac veneratione me esse profiteor.

Eminentiarum Vestrarum humillimus et obsq.mus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metrop.

Varsaviae, die 30. Xbris 1791.

## 26.

*(Radomislia), ..., 1791.*

*Rostockyj commendat quemdam Clericum, ex-Basiliandum, ad Ordines in Ritu Rutheno.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscavia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 113.

Beatissime Pater.

Theodosius Rostocki, Archiepiscopus Kioviensis, Metropolitanus totius Russiae, cum profundissimo obsequio Sanctiati Vestrae exponit: Georgium Grabowski ex Parentibus latinis natum, fuisse in Noviciatu Ordinis S. Basilii Magni, et ibidem juxta solitam praxim suscepisse Ritum Ruthenum; postea, non completo anno probationis, Noviciatum deseruisse, retento nihilominus semel suscepto Ritu Rutheno, et hucusque conservato; aspirare modo ad Clerum Ruthenorum. – In tali casu idem Orator dubius ancepsque haeret, utrum illi possit licite conferre Sacros Ordines juxta Ritum Ecclesiae Ruthenae. – Quare pro benigna Resolutione, vel sit, et inquantum opus fuerit, ut possit ordinari, Dispensationem Sanctitati Vestrae humillime supplicat. Quam gratiam Deus T.O.M. etc. etc. ...

## 27.

*Romae, 8. II. 1792.*

*Adnotatio de Brevibus promotionis episcoporum Suffraganeorum Theodosii Rostockyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 117.

Con Breve degl'8 Febrero 1792, il P. Adriano Butrymowski fu deputato Suffraganeo di Monsignor Rostocki, Metropolitan di Russia, col titolo Vescovile Calamen.

Con Breve de' 17 Agosto 1784, il Sacerdote Ruteno Stefano Lewinski fu eletto Vescovo Tegean. in partibus,<sup>48</sup> e deputato Suffraganeo del Metropolitan de' Ruteni.

## 28.

*Romae, 14. III. 1792.*

*Cardinalis Antici Cardinali Antonelli de concessione dotis Suffraganeo, ne retardatur emissio Bullarum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 122-123.

Di Casa, li 14 del 1792.

Sig. Card. Antonelli, Prefetto della S. Congreg.ne di Propaganda Fide.

Informato il Cardinale Antici della difficoltà, che incontra presso la Segreteria de' Brevi la spedizione di quello, che richiedesi per l'eletto Suf-

<sup>48</sup> Stephanus Levynskyj, ep. tit. Tegeanus a die 17.VIII.1784, dein Administrator Luceoriensis et demum et Episcopus Luceoriensis (1798-1806).

fraganeo della Metropolia di Russia, sul fondamento, che manchi ad esso la Congrua di 300 Ungari, da assegnarseli sulla stessa Mensa Metropolitica, trovasi egli nella necessità d'implorare il favore dell'Eminenza Vostra, qual rispettabil Prefetto della S. Congregazione di Propaganda, perchè voglia compiacersi di far conoscere all'indicata Segreteria che l'assegnazion della Congrua sulla Mensa Metropolitica in favore del Suffraganeo suddetto, non ha più luogo, nè poule averlo, (f. 122v) dacchè in Dote del Suffraganeato medesimo sono state assegnate tante terre, la rendita delle quali oltrapassa di gran lunga la Congrua consueta di 300 ungari.

Conosce peraltro il Cardinale scrivente la necessità, che di questa stessa Congrua abbia a farsi menzione nel Breve; ond'è, che consapevole delle intenzioni di S.M. il Re, suo Signore, poul egli assicurare l'E.V., che non sarà per incontrare difficoltà alcuna presso la real sua Corte l'espressione, che sia per farsi nel Breve della Congrua assegnata al Suffraganeo della Metropolia: *in tot Bonis stabilibus.*

Questa istessa espressione, sembra tanto più regolare, quanto è coerente, e conforme alla espressione solita praticarsi nelle Bolle Apostoliche di què Suffraganei del Rito Latino, (f. 123) i quali avendo una equivalente Dote in Beni stabili, o in Beneficj peculiarmente addetti al Suffraganeato, non godon perciò della Congrua sulle rendite, e a carico della Mensa Vescovile.

Ove siffatto divisamento sia per meritare l'accreditamento, ed autorevol suffragio dell'E.V., si lusinga egli di veder rimossa dalla di lei bontà, e gentilezza ogni difficoltà, sicchè non abbia a soffrire ulterior ritardo la spedizione del noto Breve.

Profitta intanto con piacere di questa opportunità per contestare quel rispettoso illimitato ossequio, con cui a V.E. bacia umilissimamente le mani.

## 29.

*Brestae, 20. III. 1792.*

*Hierarchia Unita cum Metropolita Rostockyj supplicat Regi Poloniae pro protectione fidelitatemque promittit.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 25, fol. non num.

Serenissime Rex, Domine Noster Clementissime!

Hierarchia nostra Catholica Ecclesiae Ruthenae pluribus Juribus ac Privilegiis cum Ecclesia Ritus Latini coaequata, paternis S.R. Majestatis, favoribus ornata, maioreque splendore aucta, immortalem Nominis Suae Maiestatis memoriam remotissimae tradet posteritati.

Easdem, prout nunc complectitur, suaviter delibando uberem largitionem ornamentorum erga se beneficentia Domini Clementissimi praestari

consuetorum, solicitis de prosperitate Patriae, Catholicaeque Ecclesiae Suae Maiestatis votis respondere cupit, satagitque semper.

Cum tamen non sine maerore animi sui, atque pavore de infaustis sibi eventibus experiatur sistemata ex nimia licentia scribendi projectandique, iam per confratres Catholicos, iam per non-Unitos in damnum eiusdem, seu palam seu tacite vergentia, spem sui praesidii unice reponit in Suprema S. Maiestatis protectione, quam in suis negotiis cum bono, ac prosperitate Patriae, atque Ecclesiae conjuctis, humillime exorat.

Praetensa a non Unitis in ditionibus Reipublicae Hierarchia, nec propter popularitatem, qualis ad praesens huius confessionis in Provinciis Regni reperitur, nec propter ab exotic dependentia praecisionem, necessaria, causat nobis animadversionem, metumque justum excitat, ne permissio illius, fiat occasio renovanda oppressionis et persecutionis, quibus Russia Catholica et quod magis est Patria quoque ipsa, intestinis bellis olim agitata fuere.

Porro nullum in patriis annalibus reperitur vestigium, quo de fidelitate et tranquillitate Russia, cum Romana Ecclesia unita, notaretur unquam oppressa et persecuta semper modeste omnes ictus perferebat et unice Serenissimorum Suae Maiestatis praedecessorum tutela ac suprema justitiae Regni ratione, defensa ad usque conservata est.

Haec nunc quoque, insistendo suorum Praedecessorum vestigiis, ferventes preces pro sui integritate et securitate per exterminationem nocivorum publicae tranquillitati sistematum in scabello Troni Maiestatis Suae reponit et in personis infra scriptis debitam Suae Maiestati fidelitatem, sinceram gratitudinem, quotidianamque ad Altissimum orationem pro longaeva Suae Maiestatis prosperitate, quam sollenissime pollicetur atque circa fiduciam obtinendam, quas efflagitat gratiarum, protectioni Suae Maiestatis sese ardentissime commendat.

Suae Regiae Majestatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi fideles subditi et Exoratores,<sup>49</sup>

Brestae, 20 Martii 1792.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

*Traductio: Ad Serenissimum Regem.*

*(Eiusdem tenoris et eodem die scripta est epistola ad Mareschalcum Malauchowski).*

---

<sup>49</sup> Nomina Episcoporum cfr. infra, pag. 98-99, nr. 31.

## 30.

Varsavia, 12. V. 1792.

*De dispensando cuiusdam Clerici petitio et informatio Metropolitae.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscova, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 153.

Eminentissimi Domini, Domini Patroni Colendissimi!

Clericus Marcus Piotrowski, Archi-Dioecesis meae in Podlachia sitae, qui supplicavit Sanctitati Suae pro facultate ducendi alteram uxorem in suam Consortem, ob rationem, quod postquam suscepit Ordinem sub-Diaconatus, dicta Virgo extreum obierit diem, obtulit mihi Eminentiarum Vestrarum Responsum, sub die septima mensis Augusti 1791 anno eidem datum, quo informatio a me et votum super preeexpressa supplicatione requiritur. Obsequendo itaque mandatis Eminentiarum Vestrarum fidem facio, preefatum Clericum antequam ad Ordinem Subdiaconatus anno 1790, mense Iulio die 14ta, promoveretur, Virginem in Consortem anno 1788, mense Junio die 21, assumpsisse, eamque 1791 anno, die 6 Maii, post suscep-tum a suo Marito sub-Diaconatum, e vivis cessisse. Cum autem in Ritu Graeco Hypo-Diaconatus Ordo intra Minores recenseatur, cui sententiae Synodus quoque nostra Nationalis, Zamosciae habita, titulo tertio, paragrapho septimo, subscribendum iudicavit, videtur nihil obstare, quominus orator sub-Diaconus, preehabita S. Sedis concessione, aliam uxorem ante suscipiendos Maiores Ordines ducere possit. Quapropter ad preces Oratoris, humiles quoque meas coniungendas existimo, ut optata gratia ex benignitate S. Sedis Apostolicae eidem concedatur, atque in profundissimo cultu et veneratione esse ac profiteri volo.

Eminentiarum Vestrarum humillimus et obs. qmus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metrop.

Datum Varsaviae, 1792 anno, mense Maij die 12ma.

## 31.

Brestae, 20. V. 1792.

*Hierarchia Unita cum Metropolita Rostockyj instat apud ducem Sapieha de defensione in persecutionibus etc.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 25, fol. non num.

Ad Celsissimum Principem Sapieha, Mareschalcum Lithuaniae.

Celsissime Princeps, Domine ac Benefactor!

Hierarchia nostrae Ecclesiae Ruthenae Catholicae semper magni Celsitudinis Suae nominis efficaci gaudens protectione, justa dicitur spe, quod

in Persona Illius non degenerem a Magnificentia Antecessorum suorum inveniet Patronum. Hac consideratione ducti, audemus humillime postulare, ut Celsissima Dominatio Vestra nos ab aggredientibus nostra Jura, Privilégia, et Consuetudines benigne protegas et defendas ac ad augendas eiusdem praerogativas ac persistentiam incumbere benevole digneris. Ad hanc perennem in Annalibus Patriae gloriam, quam promeruit tam insigni et Patriae prospera Regiminis mutatione gestatum in manibus Celsissimae Dominationis caduceum, eidem splendorem praecipue in gente nostra superaddet benigna Celsissimae Dominationis erga nostram Hierarchiam, quam humillime exposcimus, protectio, cum hac suffulta adversus impetus et jacula contra se directa, circa antiqua Jura, Privilégia et Consuetudines salva persistet.

Continuae saeculorum praecedentium persecutioes, iteratae a Disunitis, nusquam in suis praetensionibus quiescentibus, neque juribus, neque justitiae concordibus, temere formati, quam admodum in Nobis justam excitant anxietatem, ita ad quaerendam salutem et juvamen in Amplissima Suae Celsitudinis protectione adigunt, cum eorum elevatio renovat in Nobis tristem tot clodium effectuarum, instantibus iisdem, memoriam. Quaerimus itaque salutem Nostram et insimul felicitatem ac pacem Regni, in amovendis eiusmodi impetum, cooperante dextera Vestrae Celsitudinis protectione, cui Nos committentes cum debita humilitate et voto vividissimae in perpetuum gratitudinis manemus.

Celsissimi D.ni humillimi Servi et Exoratores,  
Brestae, die 20 Maii 1792.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.  
Simeon Mlocki, Ep.pus Vlod. et Brest.  
Porphyrius Skarbek Wazynski, Ep.pus Chelm. et Belz.  
Stephanus Lewiński, Ep.pus Coadj.  
et Admir. Luceoriensis etc.  
Arsenius Glowniewski, nom. Ep.pus Brestensis  
Lucidus Woynilowicz, Abbas Kobr.  
Joan. Milanouski, Abbas Coad. Kobr.  
Vincentius Zielonka, OSBM, Protocons.

### 32.

*Lublin, 27. VI. 1792.*

*De impossibilitate protrahendi quoddam contractum locationis palatii Metropolitanus Varsaviae; ut videtur Nuntio Varsaviensi.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 185rv.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, Patrone Colendissime.  
Hoc praesenti ordinario accepi a R.V. Procuratore Provinciae Lithuaniae

litteras, quibus significavit mihi Excellentiam Vestram Ill.mam optare,<sup>50</sup> ut vel de sua ulteriori in Palatio Metropolitano habitatione certior fiat, vel conducendam aliam domum curare debeat. Ego iam praeterito anno, occasione triennalis finiti contractus, cum Plenipotente Antecessoris mei initi, exponere Excellentiae Vestrae Ill.mae necessum habui, me ipsum indigere eadem domo, cum Varsaviam venire, ibique commorari Officii vel negotiorum causa saepe contingat; per id enim tempus, quo idem Palatum Excellentiae Vestrae Ill.mae obligatum mansit (altera domo in quaestione existente), aut exteris domos conducere, aut in angulo domus in quaestione existentis, non parvo cum incommodo manere me oportuit; cum tamen onera omnia sustinere et omnes impositiones exsolve, quae vix non ad 300 hungaricales ascendebant, ex ipso haereditatis titulo obligatus extiterim; dignabitur itaque Excellentia V. Ill.ma ignoscere mihi, et necessitati parcere, quod contractum eiusdem ipsius Palatio ulterius protrahere non valeam.

(fol. 185v) Quae, occasione initi anterius contractus, componenda cum Excellentia Vestra Ill.ma sunt, post meum redditum Varsaviam componere curabo; in omnibus autem et semper contestari pergam, me circa profundissimam venerationem esse.

Illustrissimae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae humilium et obsequiosissimum Servum

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

Lublini, die 27 Junii 1792.

### 33.

*Przylepy, 9. XI. 1792.*

*Petit Metropolita dispensationem pro quodam sacerdote ab impedimento bigamiae interpretativa, et de Synodis eparchialibus.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 192-193r.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, Patrone Clemendissime.

Sub tempus Synodi Dioecesanae, ad quam tenendam in Lithuaniae veni, ut qui Cathedrae meae Vilnae existenti, iam ad ruinam inclinatae, opem ferrem, expositum mihi sub sigillo secreti fuit, a certo Presbytero, suam uxorem adulterium pariter secretum commisisse, ac proinde maritum suum in angustias conjectisse contractae hinc irregularitatis, quam a S. Canonibus contra bigamos constitutam legimus. Supplicavit quare idem praeexpressus Presbyter, ut illi de remedio dispensationis provisum foret. Sed cum

---

<sup>50</sup> Nuntius Varsaviensis Ferdinandus Maria Saluzzo (1784-1794).

nobis ex Concilio Tridentino facultas dispensationis competitat tantum in irregularitatibus, quae ex delictis occultis proveniunt, bigamia vero recensatur inter irregularitates ex defectu, quamvis in casu haec species bigamiae, quae absque sua culpa praedicto Presbytero contingit, ad delicta potius videatur referenda, tutiorem tamen partem eligendo, recurrentum arbitratus sum ad Excellentiam V. Ill.mam, ut dictum Presbyterum dispensare benigne velit; spero enim Excellentiae V. Ill.mae facultatem (fol. 192v) dispensandi etiam in irregularitatibus ex defectu a Sancta Sede Apostolica concessam esse. Obligatio, qua tenetur pars innocens Missarum celebrandarum et exercendae parochialitatis, eadem urget, ut gratiam dispensationis quam citissime consequatur, ne hinc aliquam infamiam incurrat sua uxor, et quod occultum est, tandem manifestum fiat; pro eadem quare gratia eidem praestanda enixissime insto, humillime rogans, ut rescriptum Minscum per manus ARP. Thaddaei Lebedzinski, Superioris Ladensis, praepresso Recurrenti dirigatur, sive quod idem est, facultas dispensandi praedicto Admodum Rev.do Patri concedatur. Mihi enim post absolutam Synodus in Palatinatum Kijoviensem, ad Synodus quoque ibidem habendam profecturo, concessam dispensationis gratiam exequi minime licebit. Summa cum gratitudine Presbyter ille gratiam sibi factam recipiet, mihi vero onus relinquet (fol. 193) promptitudinis exequendorum Excellentiae Vestrae Ill.mae mandatorum, quam dum offero, in profundissimo cultu et veneratione me esse profiteor.

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae humillimum et obsequiosissimum Servum

Przylepy, die 9. 9-bris 1792.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

### 34.

*Radomislia, 12. IV. 1793.*

*Cardinalibus de Prop. Fide, ut instant apud Regem Poloniae de libertate religiosa pro Unitis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, fol. 205rv.

Eminentissimi Domini, Domini Patroni Cl.mi.

Si quando pro impetranda ope ad EE.VV. Russiae Ecclesia recurrente debuit, tunc nunc vel maxime eidem recurrentum est, cum integri Palatinatus Kijoviae, Bracławiae, et Podoliae, et magna pars Palatinatus Volhyniae, atque Ducatus Lithuaniae, quos populi Ritum Graecum retinentes cum Romana Ecclesia Uniti inhabitabant, sub Dominium Serenissimae

Russiae Imperatricis occupantur,<sup>51</sup> homagium eidem praestare, et juramento fidelitatis sese obstringere obligantur. Experientia edocti sumus, quantum displiceat Non-Unitis, nos a Romana Ecclesia, etsi non multum diverso ab iisdem utamur Ritu, usque nunc nunquam descivisse, et qualia hinc nostri passi sunt Antecessores, relationes Sacrae Congregationi singulis casibus exhibitae testimonium faciunt. Antequam quidquam contrarium accidat, jam expavescunt veri Unionis cultores; si enim sub tutela Reipublicae Polonae existentes Uniti, totque Privilegiis exornati, illorum odium declinare non poterant, (f. 205v) sed multas persecutions sustinuerunt, quid expectare non debent orbati his praesidiis, et sibimet ipsis relict? Neque absque fundamento haec expectantur; inculta plebs, Privilegiis dominantis religionis affecta, contrarium non difficile sequetur dogma, diminuetur autem sensim Ovile, quod laboribus tantis et periculis congregatum fuit. Haec referre EE.VV. muneric mei fuit; restat, ut periclitantibus rebus eorum opem pro parte mea, commissi qui mihi gregis devotissime implorem, quatenus scilicet Sancta Sedes Apostolica apud Serenissimum Poloniae Regem, ejusque Proceres in futuris quae sperantur Comitiis, salutaria officia interponat, et non modo libertatem Catholicae Religionis in utroque Ritu, sed etiam statum in quo, utriusque Ritus ecclesiarum concedendum, mediantibus Sacrae Regiae Majestatis et Comitiorum Officiis obtineat, quod dum enixissime exposco, in profundissima veneratione me esse profiteor.

Eminentiarum Vestrarum obs.mus et devotissimus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metrop.

Radomysliae, die 12 Aprilis, 1793.

### 35.

*Radomysliae, 12. IV. 1793.*

*Secunda divisione Poloniae subsecuta, Rostockyj petit interventum Nuntii apud Regem Reipublicae pro conservanda promissa libertate religiosa in territorio occupato.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 133, fol. 273-274.

Ill.me Exc.me et R.me D.ne Patrone Clementissime.

Non latet, iam opinor, Excellentiam Vestram Ill.mam, quod Serenissima Russiae Imperatrix<sup>52</sup> Palatinatum integrum Kiovensem, Bracaviensem et Podoliae, magnamque partem Palatinatus Volhiniae, nec non magnam partem

<sup>51</sup> Agitur de s.d. secunda exdivisione Poloniae, quae die 13.VII.1793 confirmata fuit sub certis conditionibus. Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, Wien 1880, vol. II, pag. 583-593.

<sup>52</sup> Catharina II, Imperatrix Moscoviae; obiit in Novembri 1796.

Lithuaniae, a die 27 martii v.s. Suo conjunxit Imperio, cum quibus maior pars Archidioecesis meae, integra Turoviensis et Camenecensis, nec non magna ex parte Pinsensis et Luceoriensis Dioecesis eidem Imperio parere debebunt; Religio vero, quae in his Provinciis dominans fuit, in toleratam convertetur.

In circularibus quidem litteris, quibus nomine eiusdem Serenissimae Imperatricis Provinciae praecommunicae Dominio Rossiaco adjunguntur, cauta est, et promissa libertas Religionis cuiuscunque Confessionis hominibus, sed Non-Unitorum conatus, qui Sanctam Unionem sub Dominio Reipubl. Polonae tantopere vexarunt et etiam hostiliter aggrediebantur, quid nunc non tentabunt? Justus hinc suboritur timor, ne Sancta Unio tot saeculis promota et conservata, in his Provinciis tandem periclitetur et detrimentum patiatur.

Non aliud opem ferendi eidem Sanctae Unioni superesse videtur modus, quam rogare S. Regiam Majestatem remanentis (fol. 273v) Poloniae, rogare congregandos eiusdem Status, qui certe ad confirmandam Comitiali Constitutione resignationem harum Provinciarum adducentur, ut libertatem Catholicae Religionis in utroque Ritu, utque praesentem Ecclesiarum in iisdem Ritibus statum, quam solennissime praecaveant. Acatholici Principes, cum pacta aliqua cum Catholicis ineunt, de sua confessione solliciti sunt et libertatem atque permanentiam eiusdem cavent pro omnibus iis, qui in Principatu Catholico inveniuntur; aequum est igitur ut Catholici pariter de sua Religione solliciti sint, cum, ut ad praesens est, eorum confratres sub aliud Dominium transire, sorte sua infelici cogantur.

Ego maiorem partem Archidioecesis in his Provinciis existentem desererere non potui, ne quod eidem, et S. Unioni adversum, sub ipsum initium novi regiminis accidat, Clerus vero Pastore orbatus aliquid contrarium S. Unioni admittat; Juramentum quare fidelitatis explere debui, quid ultra mihi agendum erit, nondum cognovi. Visitavi Ill.mum Comitem de Kreczenikow, virum omni ex parte dignissimum, qui promissam quidem libertatem fidei Circularibus suis litteris, oretenus etiam confirmavit, securosque omnes de sua (fol. 274) Confessione esse voluit; maior tamen, spero, evadet securitas, si Commitialibus Tractatibus et libertas Catholicae Confessionis in utroque Ritu, et Status in quo Ecclesiarum, concedetur atque praecustodiatur. Illud quare, ab Exc.tia V. Ill.ma, tum apud reliquos Regni Proceres validissime promovendum, dum enixissimis precibus rogo pro dispensatione mihi transmissa favore Bartholomaei et Annae summas gratias habeo, ac in profundissima veneratione me esse profiteor

Ill.mae, Ex.mae et Reverendissimae Dominationis Vestrae Patroni Clementissimi obsequiosissimus Servus

THEODOSIUS, Metropolita.

Radomysliae, 12 aprilis 1793.

## 36.

*Radomislia, 20. VI. 1793.*

*Metropolita Nuntio Varsav., ut ecclesia Kaniovensis monachis Basilianis  
uniatur, privilegia Abbati concedantur, et de proximo tractatu politico.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, fol. 210-211.

Ill.me, Excell.me et Rev.me D.ne, Patrone Col.me.

Ex litteris Excellentiae Vestrae Ill.mae die 22 Maii ad me Varsavia datis, debita vero cum veneratione a me acceptis, intellexi Rev.mum Abbatem Kaniovien. postulasse a S. Congregatione, ut ecclesia sub titulo S. Basilii in Civitate Kanovia vacans, cum suis fundis, Monasterio suo Abbatiali incorporetur, utque eidem Rev.mo Abbati liceret Calices et Pyxides, aliaque Sacra Vasa consecrare, non obstante, quod apud nos in earumdem consecratione Sacra Unctio intercedat. Super ambobus his postulatis, cum et meam Excell. Vestra Ill.ma requirat sententiam, lubens jussui Excell.ae Vestrae Ill.mae satisfacio; et quod l-mum attinet, aequum esse arbitror, ut ecclesia illa, cum fundis, quos possidet, solo antiquo usu innixa, atque cum respectiva cura Parochiali, Monasterio Abbatiali incorporetur; hinc enim spero, et fundos illos facilius circa ecclesiam hanc retinendos, imo litteratorio etiam aliquo documento, a quo de jure, confirmandos, et idoneis magis Parochis, qui populum ad eandem ecclesiam pertinentem doctrina christiana imbuerent, et illius salutem diligentius curarent providendum; nec non ex eo, quod in uno oppido altera per Parochum saecularem, per regularem vero altera gubernabitur ecclesia, inter utrumque illam excitandam aemulationem, qua mutuo contendent, ut officiis suis ex aequo satisfaciant. Illud (f. 210v) etiam pro incorporatione desiderata militat, quod in his Kijoviensis et Bracaviensis adusque Palatinatibus, Monasteria PP. Basilianorum sunt adeo pauca, major autem eorum numerus conservanda in his partibus Sanctae Unioni esset necessarius. Monasterium itaque Kaniovicense quod educandae quoque juventuti in Scholis publicis incumbit, et industria magis, quam certis aliquibus redditibus sustinetur, ob publicum et Sacrae Unionis commodum omnino est conservandum, cumque pauper sit, et certa fundatione careat, subveniendum illi videtur his fundis, pro quorum adjunctione praeces suas Sacrae Congregationi exposuit, cum annexo onere inserviendi his animabus, quae ad ecclesiam S. Basilii adusque spectabant. Quod vero spectat secundum, ut scilicet, praesenti Rev.mo Abbati concedatur facultas consecrandi calices, pyxides et alia sacra vasa, nullam video causam hujus concedendae facultatis, cum in his, recurrentibus undique Parochis, a me semper satisfiat.

Causam catholicae fidei quoad utrumque Ritum in his partibus hucusque conservatum, in Tractatibus, qui in his (f. 211) Comitiis sperantur ineundi,

pro comperto et singulari zelo ab Excellentia Vextra Ill.ma promovendam, quemadmodum litteris meis jam dudum scriptis enixissime rogavi, ita nunc quoque enixissime rogo, et circa devotissimam venerationem profiteri volo, me esse

Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Patroni Colendissimi, humillimum et obs.qmum Servum

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

Radomysliae, die 20 Junii, 1793.

### 37.

(*Radomislia*), ... 1793.

*Metropolita Rostocki petit pro dispensatione cuidam Sacerdoti ob delictum homicidii irregularis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 17, f. 218.

Beatissime Pater.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Archiepiscopus Kijoviensis, Metropolitanus Russiae, humillimus S.V. Orator, supplicat Sanctae Sedi Apostolicae pro Philippo Duchowski, suae Archidioecesis Presbytero, ut ab Irregularitate et aliis censuris ecclesiasticis benigne absolvatur, et ad exercendum munus sacerdotij rehabilitetur. – Huic Presbytero, qui pro occisione Eustratij, Cantoris, licet indirecte causata, a duobus jam annis per sententiam iuridicam suspensus ab omni officio, et irregularis manet, recurrenti ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro obtainenda hac Gratia, ut patet ex Decreto Consistorij Dioecesani, anno elapso Sacrae Congregationi transmisso, datum est Responsum: Expectet. – Elabente igitur anno secundo suspensionis; denuo hoc meo attestato de adimpta paenitentia et emendatione ejus vitae, supplicat pro Gratia.

Quam gratiam Deus etc. etc. ....

### 38.

*Radomyslia, 19. IX. 1793, N.S.*

*De Consistoriis in territorio metropolitano in Lithuania, Ucraina, Russia Alba, de Synodis eparchialibus, de Rev.mo Modzelewski, seniculo, et de aliis rebus in Lithuania gestis.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 199rv, 200rv, 198r.

Iussa Excellentiae Vestrae Ill.mae implere volens non facile intellexi, quae postrema dispositio de Consistorio Vilnae manente a me requiratur,

scilicet: an de Consistorio, quod pro Magno Ducatu Lithuaniae Vilnae tenebatur quaestio est? an de Persona principali, quae Consistorium Vilnae constituebat? Quid a me de utroque constitutum est, paucis Excellentiae Vestrae Ill.mae expono, ut mandatis eius satisfaciam.

Postquam onus hoc pastorale, quod difficillimis temporibus mihi obvenit, humeris licet imparibus, gestare coepi, statim in Synodo Dioecesana, quam hic Radomysliae tenui, de Consistoriis pro Palatinatu Kijoviensi et Braclavensi disposui. Vocatus autem Varsaviam, de Consistoriis pro Magno Ducatu Lithuaniae et Albae Russiae similiter disponere non potui, nec enim in illis partibus Synodos Dioecesanas habere per tempus mihi licuit. Proinde res, prout erant, (fol. 199v) in illis Provinciis reliqui. Cum autem intervallo temporis Varsavia abesse permissum fuit, in Lithuania me contuli, Synodusque Dioecesanam celebravi; ad Albam Russiam vero, pro simili Synodo tenenda, vices meas commisi Ill.mo Episcopo Chelmensi.<sup>53</sup> Sed angustiae temporis, ne sub tempus quidem Dioecesanae Synodi permisere, ut de Consistorio in Lithuania quidquam statuerem, et quia Officialis, morbo correptus, vix semel sessionibus adesse potuit. Praeterita itaque hieme, quando pro altera Synodo in Lithuania celebranda veni, eamque in absentia Officialis, pariter infirmi, tenui, de Consistorio quoque in illis partibus constituendo cogitare debui, Cleri et aliorum bene multorum desiderio deferendo. Iis Officiale quare et Vicarium delegi Ill.mum Rev.mum Suffraganeum, quo maior scilicet illius Officii esset decor et authoritas, in Assessores vero Ill.tres Adm. R.dos D.nos Joannem Jachimowicz, Surrogatum Minscensem, Franciscum Buday, Decanum Minscensem, pie functum brevi Joannem Mokrzycki, Notarium per multos annos Consistorii Vilnensis et denique Adm. R.dum Patrem Thadaeum Lebedzinski, Superiorem Minscensem, in qua civitate Consistorium eiusmodi (fol. 200) locare mihi visum fuit, tum quod Minscum vicinior civitas sit residentiae Ill.mi, Rev.mi Suffraganei, tum quod in medio quasi Archidioecesis Metropolitanae in Lithuania existentis, ut scilicet satisficeret multo conquaerenti Clero, quod Vilnam longum iter plerumque absolvere necessum habeat, tum quod collapsa aedificia ad Cathedram Vilnensem spectantia, imo ipsam Cathedralem ecclesiam restaurare constans mihi voluntas fuit, tum denique quod in monasterio Minsensi, de lateribus extracto, et acta conservari possint, et sessiones Consistoriales commode absolviri. Mutata ad praesens rerum facie, non ignoro nunc aliquid singulariter constitui debere pro residuis ecclesiis, quae adhuc in remanente Polonia consistunt. Sed id absque notitia, quae in individuo remaserunt, et quae deoccupatae sunt

<sup>53</sup> Forsan agitur de Suffraganeo Metropolitano Adriano Topor Butrymowicz, episcopo tit. Calamen. Episcopus Chelmensis Ważynskyj erat iam in sua Sede (1790-1804).

ecclesiae, commode fieri non potest. Scripsi proinde aliquoties, ad quos pertinet, ut me de his certiore facerent; nullum tamen adusque responsum obtinui. Illud quoque me suspensum tenet, quod Ill.mus Archiepiscopus Polocensis contendat, ut Bona, quae nunc fundum constituunt Ill.mi Suffraganei, rehabeat, et faventibus circumstantiis praesentibus, in quibus Bona et Dioecesis olim divisa, in eodem nunc consistunt Dominio, eadem sibi reuniat. Super quo mihi quoque expresse scripsit et desiderium rehabendi Bona, simulque Dioecesim aperuit. (fol. 200v) In hac rerum vicissitudine, non facile est stabilire, quod mutatis circumstantiis mutationem quoque aliquam non exsposcatur.

Quod spectat personam Perillustris Rev.mi Modzelewski, qui munus Officialis gessit, ex Commissione Ill.mi, Excellentissimi Szeptycki, confirmatione vero ad tempus duntaxat Ill.mi, Exc.mi Smogorzewski, is quia et senio confectus et frequentibus vexatus infirmitatibus et a Clero atque Nobilibus non satis bene visus, impar iam sit ferendo oneri, eundem liberum facere a munere, quod multas curas postulat, existimavi, Surrogati Judicis Officium in Decanatibus ad Vilnensem Surrogatiam spectantibus ei relinquendo, quod num ab eodem acceptatum sit, deferre mihi et significare omisit. In Synodo plures expositae sunt contra eundem querelae, quod contributiones a Clero pro re eiusdem Cleri, atque Procuratores pendi solitas, nec non contributiones cathedralici penes se retinuerit; e contra eius Procurator conquaestus fuit, quod apud Decanos sibi tanquam Officiali debitae contributiones remanserint et ab iisdem vel a surrogatis officiis appropriatae fuerint. Veritas harum quaerelarum, ut dignoscatur, designati sunt Commissarii ad effectum calculi faciendi inter omnes, qui quomodocunque ad contributiones percipiendas adhibiti sunt, quatenus certi aliquid constitui, et si quid alicui debetur, dijudicari possit.

Haec sunt a me sub tempus praeteritae hiemis in Lithuania acta; alia vero sub tempus Synodi disposita, Synodus ipsa typo impressa expresse habet. Si quam aliam informationem (fol. 198r) de rebus a me in Lithuania gestis Excellentia Vestra Ill.ma desiderat, non dedignabitur voluntatem suam manifestam mihi facere; ego autem cum ea, qua possum promptitudine jussis satisfacere non omittam. Nunc autem super his, in quibus Rev.mus Abbas Grodnensis sententiam Excellentiae Vestrae Ill.mae exposcit, eidem responsum dare enixe rogo, et cum profundissima veneratione profiteri volo me esse

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae D.nis Vestrae, Patroni Clemencissimi, humillimum et obsequiosissimum Servum

Radomysliae, 19. 7-bris 1793 N.S.

THEODOSIUS ROSTOCKI, M.T.R.

(*fol. 199, in calce*): Ill.mus Nuntius Apost.

## 39.

*Radomislia, IX. 1793.*

*Amplissima Littera pastoralis de SS. Trinitate, de Symbolo fidei, de Ecclesia, Una, Sancta, Apostolica, de primatu Petri, de pontificatu Romano brevis historia, doctrina SS. Patrum, de praeceptis, de quarto pracepto, praecpta Ecclesiae, de Sacramentis, de virtute religionis etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

THEODOSIUS, etc. Fidelibus Christi Pastorali nostrae curae commissis pacem et Benedictionem!

Ab initio vocationis nostrae ad munus Pastorale in hac Archi-Dioecesi, semper excitare studuimus coadjutores in hoc munere nostros, vestros autem locales Pastores, ut vos instruerent, qualiter credere, et qualiter se gerere debeatis: « Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit »,<sup>54</sup> scribit Apost. c. 11 ad Haebr. « Creditis in Deum, ajebat Christus ad Apostolos, Joan., c. 14, et in me credite »; et c. 3: « Sicut Moises exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in Ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam... Qui credit in Eum, non judicatur, qui autem non credit, iam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei...; Euntes in Mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae », dicebat idem Salvator, Marci c. 16; « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur ». Id ipsum et apud Math. c. 28, commendando fidem SS.ae Trinitatis: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti ». « Factum est autem, scribit Luc. c. 3, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est caelum, et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in Ipsum, et vox de caelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in Te complacui mihi ». Joan. autem Epist. 1, c. 5 expressit: « Tres esse, qui testimonium dant in caelo, Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, et hos tres unum esse ».

Non satis est autem habere duntaxat hoc donum fidei, quod ex largitate Dei omni animae Christianae in baptismate infunditur, quodque reipsa inclinat intellectum ad assentiendum veritatibus, quae a Deo sunt revelatae, sed necesse est Christiano homini, cum pervenerit ad usum rationis, reipsa

<sup>54</sup> Littera haec pastoralis, a Metropolita scripta, est plena citationum Sacrae Scripturae et expositionibus catecheticis, quae fere totam doctrinam catholicam comprehendit, usque ad sex praecpta ecclesiastica.

credere, et reipsa inclinare intellectum ad assensum veritatibus a Deo revealatis, et ab Ecclesia Sancta Catholica ad credendum propositis, nam haec fides excitata et manifestata coram Deo in hominibus usum rationis habentibus, est salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis. Quare, sicut nulla domus sine fundamento durare potest, et sicut rami non possunt nasci et crescere sine radice, sic justificatio obtineri non potest sine expressa fide ab eo, qui ad usum rationis pervenerit. Neque in communi credere satis est, quod Sancta Catholica Ecclesia credit et confitetur, sed in singulari omni ad usum rationis pervenienti credere necesse est, existentiam Dei Creatoris omnium bonisque et malis remuneratoris, unius in tribus SS.mis personis, et Incarnationem Filii Dei propter salutem generis humani. « In principio erat verbum, scribit Joan. c. 1, et verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam Ejus, gloriam sicut Unigeniti a Patre ». « In hoc apparuit charitas Dei in nobis, inquit idem Apost. Epist. 1, c. 4, quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per Eum ». Post promulgatum enim Evangelium, non solum ex praecepto Divino, sed et necessitate, ut vocant medii, necessaria est expressa fides horum articulorum, idque etiam antequam quis discat breve compendium doctrinae Evangelicae, quam ad credendum omnibus exposuerunt prima Apostoli, deinde, cum interpretatione Arianam haeresim condemnante, praescriperunt primae Universalis Synodi, Nicaeni Patres, ac consequenter ad damnandam doctrinam Macedonii congregati ad Oecumenicum Synodus Constantinopolitanum exposuerunt Ecclesiae Pastores; hujusmodi Symbolum Ecclesia praesertim Orientalis non tantum in præparatione Catechumenorum, sed et in reliquis omnibus orationibus veluti regulam confessionis adhibendam indixit, judicans, eum verum Christianum nominari non posse, qui principaliora saltem christianaæ doctrinae fundamenta, in hoc Nicaeno-Constantinopolitano Symbolo expressa, scire et credere detractabit. Symbolum autem hujusmodi non modo continet notitiam existentiae unius Dei Creatoris omnium rerum visibilium et invisibilium, sed et SS.ae Trinitatis in una natura Divina, et generationem Filii Dei aeternam, conjunctionemque in tempore cum natura humana; mortem et passionem ejusdem Filii Dei, quae in corpore humano pro humano genere pertulit; Resurrectionem ejus die tertia; quae Divinitatem et humanam in Christo naturam testatur; Ascensionem ad Caelos in corpore, ubi qua Deus, par est in gloria Deo Patri, qua autem homo, supremam habet potestatem super Angelos, homines et reliquias creaturas; secundum ejus Adventum in mundum ad judicandum vivos et mortuos, idest bonos et malos, ut exponit Augustinus; Corporum nostrorum post mortem resurrectionem; vitam aeternam, beatam his, qui christiane vixerunt, et infelicem, qui male se gesserant.

Insuper Nicaeno-Constantinopolitanum Symbolum credere et confiteri

jubet, esse Ecclesiam veram, quae sola de Divinis revelationibus docere, dogmata infallibiliter exponere, et per hos, qui a Christo Domino concessam sibi potestatem habent, peccata dimittere potest. Ad discernendam autem hanc veram Ecclesiam ab omnibus reliquis congregationibus, idem Symbolum exprimit characteristicas notas, quae sequentur: veram Ecclesiam appellando: Unam, Sanctam, Catholicam seu universalem et Apostolicam.

Vera Ecclesia est Una propter unitatem ubique fidei et doctrinae, propter unitatem ut Baptismatis, ita etiam aliorum Sacramentorum, propter unitatem praceptorum Dei et Ecclesiae, propter omnium hujus Ecclesiae partium unanimem connexionem et spiritualem unionem non modo invicem inter se, sed etiam cum invisibili capite Christo, et visibili Vicario ejus; corpori enim assimiliavit Ecclesiam Christi Apostolus Paulus, Cor. c. 12, in quo licet variae sint partes, quae varias functiones exercent, sunt tamen unum corpus, propter connexionem et unionem secum, nexumque cum suo visibili capite. Similiter quippe et Ecclesia Christi licet variis partibus diversa obsequia facientibus constat, tamen una dicitur, propter eandem rationem spiritualis inter easdem nexus et conjunctionis. Nemo autem dicat Novatorum, sufficere Ecclesiae unum habere caput invisibile Jesum Christum. Nam Dominus licet ipse Sacra-menta constituit, ipse ea invisibiliter praebet, quia ipse est, qui baptizat, et qui peccata dimittit, tamen visibles eorundem Sacramentorum administratores homines esse voluit, ita licet ipse Ecclesiam suam invisibiliter regit, tamen in ea suae potestatis Vicarium voluit habere hominem, cum Ecclesia visibilis visibili indigeat capite. Unde est, quod Salvator noster Petrum in omnium fideliū caput et pastorem delegerit, omnesque ejus Successores ejusdem potestatis regendae Ecclesiae participes reliquit. Talis erat semper verae Ecclesiae fides. Talis Sanctorum Patrum doctrina. Talis Generalium Conciliorum effata.

Vera Ecclesia dicitur Sancta, propter invisible Caput, Christum, qui est Sanctus Sanctorum, propter sanctitatem fidei, et sanctitatem doctrinae, quae omnia via damnat, virtutes autem commendat, propter sanctitatem et finem mediorum, per quae ad eundem finem dicit, propter sanctitatem Sacra-mentorum, quae gratiam sanctificantem non habentibus impedimentum conferunt. Postremo, propter sanctitatem justorum, qui sic credendo et ope-rando, ut eadem Ecclesia docet, merentur sibi Regnum Caelorum, nonnulli autem et hanc singularem gratiam, quod eorum sanctitatem miraculis Deus mundo revelet et testificetur.

Universalem dicit veram Ecclesiam supradictum Symbolum, quia per universum mundum sensim est propagata, ita ut in omni ferme natione reperiatur; non omnes enim singuli homines, ut scribit Aug. Epist., eo ex quibus constant gentes, sed omnes gentes promissae sunt Christo juxta expres-sionem Psal. 2di: « Dixit Dominus mihi, tu es Filius meus, ego nunc genui

te, roga me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam fines terrae ». Hinc etiam nomen Catholicae seu Universalis competit verae Ecclesiae, quod idem credit, quae crediderunt et praedicaverunt Apostoli, quodque omnes veri Christiani a primordiis Ecclesiae semper crediderant et profitebantur, universalitas quippe, ut notat Vincentius Livinensis, componit: « non modo sumitur a communitate hominum et locorum, sed etiam a communitate doctrinae. Proinde subsequentibus post Apostolos temporibus, licet non magno admodum numero constabat Ecclesia, Universalis tamen dicebatur, propter doctrinam per universum mundum praedicatione propagandam et per veros Christianos semper et ubique quoad fidem et mores custodiendam.

Apostolica demum dicitur Ecclesia, quia fideliter conservat Divinas revelationes Apostolis concreditas, et quia per Apostolicam doctrinam propagata est, ac denique quia veram Pastorum suorum successionem ab Apostolis demonstrare potest, praecipue autem successionem a Sancto Petro, pastorum Universae Ecclesiae, Romae sedem habentium, ad quam successionem velut ad praecipuam notam Ecclesiae Christi contra Novatores recurrebat sanctus Irinaeus, lib. 3 contr. haer. c. 3; Tertulianus lib. de praescrip., c. 12; Sanctus Cyprianus Epist. 27, ad Lap.; Sanctus Augustinus lib. contra Manichaeos, Ep. fundam. c. 4, n. 5, scribens, continere se in Ecclesia Christi successionem Sacerdotum usque ad modernum Episcopum a Sancto Petro, cui pascere oves suas Christus injunxit.

Non est autem quid aliud in Symbolo expressa hisque notis designata Ecclesia, quam Congregatio hominum unius ejusdemque fidei christiana professione, et eorundem Sacramentorum usu conjuncta ac sub regime legitimorum suorum pastorum, simulque Supremi pastoris, Petri Successoris, permanente. Comprehendit quare Ecclesia et pastores, qui populum fidelem regere ac instruere, et populum, qui regi et instrui debet, cumque suis pastribus nexus unitatis fidei, ac usu Sacramentorum conjungi. « Attendite vobis et universo gregi (ajebat Paulus Act. c. 20), in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo ». Ambae hae itaque partes simul sumptae totius Ecclesiae Christi presentant imaginem, sub variis similitudinibus in Sacra Scriptura depictam, scilicet: iam Corporis Christi, iam Arcae Noe, iam Domus Dei, sic enim Sanctus Paulus admonet Timotheum Epist. 1, c. 3: « Ut scias quomodo oportet te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis »; iam sub similitudine Civitatis in monte sitae, Math. c. 5; iam Regni Caelorum, Math. c. 15; iam Ovulis cuius oves audiunt pastorem suum, eumque sequantur; quas omnes similitudines de Ecclesia exponunt Sancti Patres, nempe: Augustinus, Hieronymus, Bernardus, et alii. Quemadmodum autem Domus indiget regimine unius patris familias, Ovile regimine unius supremi

pastoris, Arca indigebat uno rectore, Regnum uno indigit Rege, sic congregatio, quae Ecclesiae nomen praesefert, indigebat uno universalis, atque ideo supremo Pastore, propter evitandas divisiones, inordinationes, tristesque confusiones.

Hoc universale regimen, hoc supremum pastorale officium promisit Petro caelestis Legislator apud Math. c. 16; cum enim quereret Apostolos, quid de Ipso sentirent, Petrus omnium loco respondit: « Tu es Christus Filius Dei vivi »; invicem autem Salvator dixit Petro: « Beatus es Simon Bariona (idest Fili Jonae), nam caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in Caelis, et ego tibi dico: quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum, et quidquid ligaveris super terram, erit ligatum et in Caelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in Caelis ». Quam magnificam promissionem reipsa implevit, cum post Resurrectionem suam apparet Salvator ad mare Tiberiadis, ut legere apud Joan. c. 21, ter quereret ex Petro: si diligeret Eum plus quam alii, et cum Petrus respondisset: « etiam, Domine, tu scis, quia amo Te », Salvator bis dixit illi: « pasce agnos meos, et tertio: pasce oves meas ». Sancti Patres verba Salvatoris ad Petrum prolata respicientes, ad expressum eorum sensum, alii exposuerunt de sola persona Petri, sicut enim confessionis Divinitatis Christi, quam Petrus in suo responso expressit, reliqui Apostoli participes non fuerant; corpus namque et sanguis secundum verba Christi non revelavit Petro, sed Pater, qui est in Caelis, sic neque ad meritum ejusdem confessionis pertinebant; et sicut nemo Apostolorum habuerat has proprietates, ut diceretur Simon, fuissetque filius Jonae, ita verba Christi ad Petrum proprie spectabant, non autem ad alios Apostolos, sicuti denique solius Petri mutans nomen, lapidem eum et petram appellavit Christus, sic Petrum unum supra alios pro fundamento Ecclesiae suae designavit, et Petro universalem pastorum supra agnos et oves, idest supra pastores et gregem, commisit.

Alii Sancti Patres licet sentiant in persona Petri Christum Dominum ad cunctos Apostolos verba sua direxisse, omnes tamen consentiant in compensationem confessionis suae recepisse Petrum privilegium primatus inter Apostolos, et singularis ac independentis regendi Ecclesiam Christi potestatis. Unde non modo Latini sed et Graeci antiquissimi Patres dicunt Petrum supremum Principem Apostolorum; ita Origenes homil. 5, in Exod: – firmissimum et potentissimum inter Apostolos, imo eorum Principem. Ita Eusebius lib. Hist. cap. 14, et Sanctus Cyrillus Hierosolimitanus Cath. 2 et 11: Beatum et super omnes Discipulos exaltatum, cui claves Regni Caelorum commissae sunt. Ita Sanctus Basilius M. orat. de paen., praem. De jud.: d. de 1 supra Apostolos preepositum. Ita S. Gregorius Nazianzenus orat. 26: – Apostolorum caput et Principem. Ita S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12, in Joan: – Ecclesiae

Sanctae pastorem et caput. Ita Sanctus Chrisostomus hom. 5, in Acta Apost: – Primum inter Apostolos. Ita idem hom. 84, in Joan: – Audi Apostolorum Principem, qui ubique primus incipit loqui. Ita adhuc idem orat. adver. Judae: – Os Apostolorum; homil. 24 in Math.: – Principem Apostolorum, – et summum inter Apostolos, homil. 84 in Joan.

Quia vero Christus Dominus Ecclesiam suam, contra quam portae inferi praevalere non possunt, voluit esse aeternam, ac duraturam neque ad consummationem mundi, quemadmodum legere est apud Math. cap. 28: « et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » et apud Lucam c. 1: « Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et Regni ejus non erit finis ». Item Epist. ad Eph. c. 4, Paulus de Christo dicit: « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec recurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei ». Inde omnino sequitur, sicut doctrinam Christi directam non fuisse ad solos Apostolos, sed etiam ad omnes, qui usque ad consummationem saeculi Christo credituri erant, juxta verba Christi, Joann. 17: « Non pro eis rogo tantum (Apostolis), sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me »; ita et potestatem concessam Apostolis, non solis illis concessam fuisse, sed et illis simul, qui post eos successuri erant, quia Apostoli vitae suaे longitudine Ecclesiae aeternae stabilitati aequare, et potestatem spiritualem semper in Ecclesia necessariam, veluti mortales, in perpetuum exercere non poterant, consequenter et quidquid dixit ad Petrum, non ad ipsum tantum Petrum, sed et ad Successores ejus volebat pertinere.

Ad consummationem saeculi futurae erant oves Christi, igitur ad consummationem saeculi necessarie etiam erant harum ovium pastores; ad consummationem mundi permansurus erat modus regendae Ecclesiae a Christo Domino constitutus, ad consummationem igitur mundi eadem regendi potestas, quam Christus concessit Petro, in ejus Successoribus recognoscenda. Quis enim vero vel cogitare potest potestatis humanae esse, aut modum regiminis Ecclesiae a Christo relictum in substantialibus mutare, aut Christum Dominum post Apostolorum fata voluisse Ecclesiam suam esse sine ordine, et congregationem fidelium, quae per universum mundum dilatanda erat, sine ullo supremo pastore, quocum omnes reliqui consentirent et unirentur. Non magnus numerus primitus Discipulorum Christi, qui pleni erant fide, sanctitate, et gratia patrandorum miraculorum, indigebat supremo praeside, qui eos confirmaret et dirigeret, quod Petri auctoritati a Christo commissum fuit, cum ante passionem suam, Lucae 22, ajebat ad Petrum: « Simon, Simon, ecce Satan aspetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres

tuos ». Quomodo igitur numerus fidelium successu temporum aductus, et per varias mundi partes dilatatus, simulque multis adversitatibus expositus, non indiguit simili factore, qui sedis, fidei, et auctoritatis Petri haeres, congregationem fidelium confirmaret, regeret, integritatem fidei, et unitatem Ecclesiae conservaret. Descendit hinc, quod Successores Petri, idest Pontifices Romani (Romae enim Sanctus Petrus hanc sedem gubernans coronam martirii obtinuit) habeant idem supremi primatus et regendi Ecclesiam Christi privilegium, quo Petrus a Christo Domino donatus fuit.

Quo jure per priora saecula, et Apostolis proximiora Pontifices Romani potestatem suam extendere potuissent in universam Ecclesiam Christi, nisi Episcopi, cunctique fideles ex traditione Apostolica persuasum habuissent, eos esse successores Petri quoad primatum, et quoad supremum regimen in eadem Christi Ecclesia? Sub finem statim secundi saeculi Victor Papa, pro inobedientia quoad tempus celebrandi Paschatis Policrati Episcopo Ephesino, aliisque Minoris Asiae Episcopis excommunicationem et separationem a communione minatus est. Tertio saeculo Stephanus Papa similiter comminatione excommunicationis Cyprianum et Firmilianum Caesareae in Capadocia Episcopum coegit ad mutandum judicium traditionibus contrarium, de iterando baptisme per haereticos administrato. Quarto saeculo Julius Papa Sanctum Athanasium et reliquos Episcopos, sedibus suis depositos, ad easdem restituit. Quinto saeculo Innocentius I. mus Sanctum Joannem Chrisostomum injuste damnatum, et a sua sede dejectum, ad eandem revocavit, et Synodalia contra eundem acta annihilavit; Caelestinus vero Nestorium, Episcopum Constantinopolitanum, nisi in spatio decem dierum errores suos revocaret, per Cyrillum, Episcopum Alexandrinum, e sede depone jussit. Similia multa exempla successivis quoque temporibus Historia Ecclesiastica exhibet, quemadmodum et illi multos haereticos, absque convocatione etiam Synodi, a Sede Apostolica damnatos fuisse, quod deinceps ab omnibus susceptum et recognitum fuit.

Agnoscebant semper non modo posteriora, sed et antiquiora Concilia Oecumenica Pontifices Romanos legitimos successores Petri. Agnoscebant et supremam eorum in Ecclesia Christi auctoritatem. In Concilio Ephesino, anno 431 contra Nestorium convocato, haec erant Legati Pontificis ad Patres verba, art. 3: «Omnibus compertum est Sanctum Petrum a Christo Domino claves Regni Caelorum recepisse, et hucusque ac semper in successoribus vivere ». Patres Oecumenicae Synodi Chalcedonensis, anno 451 contra Eutychetem et Dioscorum congregati, lectis literis Leonis Papae, unanimi voce exclamarunt, art. 2: «Petrus per Leonem sic loquitur. Ita docebant Apostoli ». In relatione vero ad Sanctum Leonem, quid in hac Synodo actum fuit, concludunt: «rogamus, igitur, quatenus edicto tuo nostrum confirmes judicium, ut, sicuti nos, cum capite in hoc, quod est bonum conveniebamus, ita et tua

superioritas filii, quod debet, implere velit ». In tractu Synodi Generalis quartae et Constantinopolitanae 3tiae, anno 680 celebratae, Agato Papa duas Epistolas scripsit ad Constantimum Pogonatum, Imperatorem Graecorum, formulam fidei, et damnationem haeresum sub haec tempora exortarum continentem, quae postquam Synodo traditae, et a Patribus receptae fuissent, sic iidem Patres Imperatorem allocuti sunt: « Summus Apostolorum Princeps Petrus simul nobiscum contendit, nobiscum enim habuimus incitatem ejus, et Sedis successorem, occulta Divina Mysteria literis explanantem. Confessionem tibi a Deo exoratam vetusta illa Civitas Romana obtulit, veraeque fidei dies ab oris Occidentalibus illuxit, papyrus et atramentum visa sunt, per Agatonem autem Petrus loquebatur ». Epistola vero Synodali sic Papam alloquuntur: Libenter perfectis confessionis Vestrae literis... «quas veluti a Supremo Apostolorum Praeside Divina inspiratione scriptas recognoscimus, exortam ad praesens multorum errorum sectam, repulimus, haereticorum impiam doctrinam Anathemate percussimus, sanctis vestris literis prius condemnatam ». Et infra: « Orthodoxae fidei splendens lumen vobiscum declaravimus, quod ut etiam venerabilibus vestris scriptis confirmetis, paternam Vestram Sanctitatem rogamus ». Similiter Synodus Constantinopolitana 4ta, et Universalis 8va, ad restituendum in sedem suam Sanctum Ignatium convocata, haec in argumentum auctoritatis Sedis Apostolicae in scriptis reliquit: « Quoniam infallibile est oraculum D.ni Nostri Jesu Christi dicentis: tu es petra, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, hoc oraculum ipso effectu verificatur, Sedes enim Apostolica intemeratam semper conservavit fidem, sanctaeque doctrinae gloriam habuit. A fide igitur hujus sedis et doctrina separari minime volentes, Patrumque ac praecipue Sedis Apostolicae Episcoporum sequentes in omni Decreta, cunctas haereses simul cum Iconoclastis damnamus ». Ex posterioribus Generalibus Conciliis Lateranense 4tum et Generale 12mum, cui aderant Patriarchae Constantinopolitanus et Hierosolimitanus, Patriarcharum vero Alexandrini et Antiocheni legati, expresse comprobavit Primatum Sedis Romanae inter omnes reliquas sedes Patriarchales, scilicet Constantinopolitanam, Antiochenam, Alexandrinam, et Hierosolimitanam; pronuntiavitque eandem Sedem Romanam omnium Christi fidelium esse matrem et magistrum. Item Lugdunense 2dum, anno 1274 celebratum, praesentibus Constantinopolitano et Antiocheno Patriarchis Legatisque Michaelis Palaeologi, Imperatoris Graecorum, atque Patriarcharum Alexandrini et Hierosolimitani, in quo post declarationem processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio, Primatusque Romano Pontifici a Deo concessi, unio Graecos inter ac Latinos composita fuit. Ac tandem Florentinum, anno 1438, cui praesentes erant Joannes Palaeologus, Imperator Graecorum, Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, et Patriarcharum: Alexandrini, et Antiocheni atque Hierosolimitani Legati, unanimi statuit voto:

« Romanum Episcopum in universo Orbe Primatum habere, ipsumque esse successorem Beati Petri Principis Apostolorum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, omnium Christianorum Patrem et Doctorem, illique ipsi in Persona Petri pascendi et regendi totam Ecclesiam a D.no Nostro Jesu Christo concessam esse auctoritatem et potestatem ».

Eandem successionem et auctoritatem recognoverunt Sancti Patres. Sanctus Cyprianus lib. de Unit. Eccl.: – Origo ab illo procedit, ut una Christi Ecclesia, unaque sedes appareat... Qui a sede Petri, in qua fundata est Ecclesia, recedit, potestate sidere se esse in Ecclesia. Epist. 67, rogat Stephanum Pontificem Romanum, utique tanquam universalem Ecclesiae pastorem, ut damnet Marcianum, Episcopum Arelatensem, qui recedens a fide Catholica, incidit in haeresim Novatianorum, atque hoc modo fidei hujus Ecclesiae prospiceret. Sanctus Augustinus, supremam judiciariam potestatem in Romano Pontifice agnoscens, Serm. 2do, de verbis Apost., c. 10 ait: « Jam in hac causa duo Concilia (Carthaginense et Milevitanum) missa ad Sedem Apostolicam, indeque responsa advenerunt. Causa finita, utinam aliquando finiatur et error ». Cum autem Julianus Pellagianus, post damnationem erroris sui per Zozymum Papam, appellaret ad Synodum universalem, Augustinus libro 2do operis imperfecti c. 105, contra eundem scribit: « Cur adhuc queris examen, quod iam perfectum est coram Apostolica Sede? Error igitur non iam ab Episcopis examinandus, sed potestate Christianorum coercendus est ».

Sanctus Basilus M., contra dolosos et astutos Arianorum conatus, et contra eorundem haereticorum praevalentiam, apud superiorem sedem Romanam inveniebat antidotum, atque juvamen, cum Epist. 52 Sancto Athanasio svaderet, quatenus scribebat ad Pontificem Romanum, ut certior factus de statu Ecclesiarum Orientalium, consilio et auxilio eas adjuvaret. Praevidens autem difficultates congregandae in Occidente Synodi, ex qua damnatae haeresis decretum posset publicari in Ecclesiis Orientalibus, scribit: « Ipse (Pontifex Romanus) sua in hac causa utens auctoritate, seligat viros aptos ad sustinenda incomoda itineris, et agendi capaces, qui advenientes eos, qui hic sunt devii et obliqui rectificarent ac emendant ». Ne vero horum Papae legatorum, auctoritate sedis Romanae exornatorum, expectatus fidei Catholicae felix successus, calliditate Arianorum impediretur, Sanctus Doctor eadem Epistola svadet, quatenus iidem Papae legati secreto per mare iter arripiant. Quasi diceret: cum in urgentibus circumstantiis difficilis sit congregatio Synodi, sufficiet ad rectificandos nostros errantes, si nuntii a Papa, fidem Petri successoris, et Ecclesiae capitis exposuerint. – Sanctus Athanasius cum Egipciis Episcopis ad Marcum Papam scribens pro exemplaribus Concilii Nicaeni, haec in sua Epistola habet: « Scimus, quia Apostolatus Vester, gratia Spiritus Sancti in hunc gradum elevatus est ideo, ut omnibus afflictis auxilium praebeat, eo magis nobis, qui vobis obedientes sumus

cum omnibus curae nostrae commissis, semperque esse desideramus ». – Sanctus Joannes Chrisostomus ad Innocentium I, Papam, scribens, rogit tanquam Patriarcharum Superiorem, quatenus quidquid actum fuit contra se a Theophilo Alexandrino, nullum robur habeat, qui autem ita injuste se gesserunt, ut ecclesiasticis paenis coercentur. – Theodoretus Epist. ad Renat. Presb. de Sede Romana scribit: « habet Sanctissima haec Sedes supra omnes Ecclesias, quae sunt in mundo, superioritatem multis ex causis, et potissimum, quia ab haereticorum contagio semper libera permanserat ». Hinc est quod haec sedes semper habita fuit pro centro Unionis et communionis Catholicorum, ut scribit Sanctus Irinaeus lib. 3, c. 3, aiens: « Ad hanc Ecclesiam, ob ejus supremam praeeminentiam cunctae Ecclesiae convenire debent », hoc est omnes undique fideles Christiani. Simile quid expressit et Sanctus Hieronymus scribens ad Damasum Papam, in occurrentia contentionum inter Meletium, Vitalem et Paulinum, Epist. 54 et 58: « Ego me cum Sanctitate Vestra, idest cum Sede Petri conjungo, in hac petra aedificatam scio Ecclesiam. Quicunque non in hac domo agnum comedit, profanus est ».

Sicut Fides, a qua Ecclesia congregatio fidelium appellatur, est necessaria ad salutem, ita sola hominem justificare et salvum facere nequit, nam Christus Dominus mittens Apostolos in praedicationem, et instructionem gentium, docere eos jussit, ut servarent omnia, quaecunque Ipse Apostolis facienda mandavit, ut habet Math. c. 28: « Euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis ». – Fidei itaque conjugenda sunt necesse bona opera: « Quid proderit, fratres mei, scribit Sanctus Jacobus in Epist. c. 2, quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum... Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac, filium suum, super Altare; vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum... sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est ». – Sanctus Paulus in Epist. ad Gal. c. 5, pariter scribit: « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur ». – Et Sanctus Joannes in Epist. sua, c. 5, ait: « In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata Ejus custodiamus, et mandata Ejus gravia non sunt ». – Quae autem opera conjungi debent cum fide demonstrat nobis brevis summula praeceptorum Dei, in Veteri adhuc testamento in tabulis descripta, quae Christus D.nus a suis fidelibus voluit esse servanda, ut declaravit apud Math. c. 5: « Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere ». Et alio loco apud eundem Evangelistam, c. 19: « Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata; non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium

dices; honora Patrem tuum et matrem tuam, et diliges proximum tuum sicut te ipsum ». Cap. vero 22 nihil magis commendavit quaerentibus se Phariseis, quam amorem Dei et proximi: « In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae ». – Paulus etiam in Epist. ad Rom., c. 13: « Non adulterabis; non occides; non furaberis; non falsum testimonium dices; non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instaurat: diliges proximum tuum, sicut et ipsum ». Epist. voc. ad Ephes., c. 6: « Filii, obedite Parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est: honora Patrem tuum et Matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longaevis super terram ».

Haec itaque summula praceptorum Dei, non modo cuique cognita esse debet, sed et profunde memoriae infixa, quatenus in omni occurrentia positus homo recordetur, quid sibi injunctum sit, vel prohibitum, memor autem, conformiter ad haec pracepta actiones suas dirigat, vitetque malum, et faciat bonum. Si expresse haec, quae scriptis his mandatis continentur, commendata non essent, adhuc ratione praeditus homo, eaque utens, pracepta eiusmodi custodire deberet; ipsum enim rationis lumen ostendit honorem Deo debitum non exhibendum creaturis, honorare Parentes, ab injuriis cuique patrandis abstinere; qui vero aliter procederet, detur paret bonos mores, et eos inverteret. Neque ideo haec pracepta in tabulis scripta erant, quasi in cuiuslibet corde exarata non essent, sed ideo, quia homines malitia, cupiditatibus, ac praejudiciis praecupati, in cordibus suis ea legere renuebant, ut scribit Sanctus Aug. in psal. 57. Eo autem magis ea implere obstringuntur homines, quia expressa voluntate Divina ad ea servanda obligantur.

Quia vero ad quartum praceptum spectat fidelitas et obedientia Principibus, summi enim Principes sunt Patres Patriae, qui sicut in communi totius Imperii, ita in particulari cuiuslibet civis felicitatem curant. Quemadmodum itaque filii Parentibus ita subditi suis supremis Principibus fideles et obedientes esse debent. Commendavit hoc praceptum ipse Salvator, docens Mar. 12, reddere Deo, quae sunt Dei, et Caesari, quae sunt Caesaris. Sancti quoque Apostoli plantando in primis Christianis fidem docebant simul et fidelitatem Dominantibus, debitamque iisdem obedientiam, ut quisque legere potest in Epist. S. Petri 1, c. 2. Qua admonet quatenus Christiani obedientes sint omni humanae potestati, scribens hanc esse voluntatem Dei, et S. Paulus scribit Epist. ad Rom. c. 13. « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit »; hujusmodi sanctas regulas fideliter servantes, non semel et oretenus in Synodis Dioecesanis, et circularibus nostris literis commendavimus, ut et ipsimet vestri locales pastores juratam fidelitatem Serenissimae Catharinae II, Imperatrici totius Russiae, Dominae nostrae Clementissimae, integrum constanter servent, et vos populum sibi commissum ad eandem

fidelitatem et obedientiam verbo et exemplo accendant; hoc quoque loco praetermittere non possumus, quin commendationem hanc nostram vobis renovemus, desiderantes a vobis et a pastoribus localibus vestris, ut praeter fidelitatem et obedientiam, in festivitatibus, praesertim in tabellis expressis, ardentes ad Deum Optimum Maximum offeratis preces, ita pro praeciosa vita, ac felicitate Domini hujus clementissimae Imperatricis, quemadmodum et pro fortunatissimo successu totius Serenissimae Domus.

Praeter notitiam mandatorum Dei, notitia etiam praeceptorum Ecclesiae necessaria est, licet non omnium, quae Ecclesia Sancta, incipiendo ab Apostolis, potestate sibi a Christo Domino concessa variis temporibus pro circumstantiis et oportunitate constituerat, sed horum quinque, quae sicut in universum omnes fideles obligant, ita omnibus cognita esse debent, scilicet quoad audiendam devote Missam diebus festivis; quoad servanda statuta jejunia; quoad annuam confessionem, refectionemque Corpore et Sanguine Christi, saltem Paschalibus ritibus praefixo tempore; quoad solvendas decimas, ubi mos obtinuit eas solvendi; quoad non celebrandas nuptias matrimoniales temporibus ab Ecclesia Sancta interdictis. Nam et haec a fidelibus servanda sunt, non ideo tantum, quia aut in scripturis, aut in traditione, quae initium ab Apostolis dicit, fundamentum habent, sed et ideo, quia per universales Synodos sunt disposita, vel licet si per nationales, cum tempore tamen in universa Ecclesia recepta habentur. Quippe obedire debemus Ecclesiae non tantum credendo ea, quae docet: «Rogabo Patrem, ajebat Christus, Joann. c. 14, et alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus recipere non potest etc.», sed etiam servando ea, quae praecepit: «attendite vobis, et universo gregi, aiebat Paulus Act. 20, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo». «Qui vos audit me audit, dicebat Christus, Lucae c. 10, et qui vos spernit, me spernit». Math. autem 10: «Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus».

Obligatur etiam quilibet Christianus homo scire et credere Sacraenta, quoniam nonnulla saltem sunt a Christo Domino praecepta, nimirum, desiderantibus esse in Ecclesia, baptismus, Joan. 3:10: «Qui renatus non fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Caelorum». Illis vero, qui sunt in Ecclesia, Sacramentum corporis et sanguinis Christi, Joan. 6: «nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis». Item Sacramentum Paenitentiae, quod constat: 1.º, ex dolore de peccatis, interno vero, et sincero, sincerae scilicet voluntati, et apropensione ad peccata alienae innixo, quae abominationem peccatorum, praeteritiae vitae odium, et incipiendi novam, propositum in se continet. Ezech. c. 13: «exterminate a vobis omnia delicta vestra, in quibus delinquebatis, et facite vobis cor novum et spiritum novum». Psal. 50: «tibi

soli peccavi et malum coram te feci ». Jac. c. 38: « recogitabo omnes annos meos in amaritudine vitae meae »; *2do*, ex accusatione sui ipsius de iisdem peccatis, cum proposito non peccandi et satisfaciendi; *3to*, ex absolutione ab iisdem peccatis, quae omnia necessarium nexum habent cum hac potestate, quam Christus Dominus concessit Apostolis et eorundem successoribus. Joan. 20: « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis retenta sunt ». Et alio loco, Math. 15: « Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Caelo ». – Nam non possunt dimitti peccata potestate a Christo Domino concessa, si non cognoscantur, non possunt autem cognosci, nisi conscius eorum, cum vero dolore se de iisdem accuset, petatque ab iis absolviri; unde semper in Ecclesia obligabantur Paenitentes, ut se accusent de suis peccatis coram Sacerdotibus. Ista legimus in Epist. S. Joan. 1, c. 1: « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniuitate ». Similiter S. Clemens Epist. ad Cor.: « Quousque sumus in hoc mundo, pro malo, quod in corpore patravimus, paenitentiam agamus, ut salutem nostram securam faciamus, dum tempus habemus paenitentiae, nam cum ex mundo migrabimus, iam tunc confiteri non valebimus, neque paenitentiam agere ». Item S. Basilii M. in Reg. Min. ad quae s. 238: « De peccatis coram iisdem nos accusare debemus, quibus Sacramentorum Dei dispensatio concredita est », et S. Chrisostomus hom. in Mal. Sam. c. 6: « Quem pudet homini revelare peccata, neque de iisdem vult se accusare, neque paenitentiam agere, in die illa, non coram uno, neque coram duabus, sed coram universo congregato mundo prostituetur », et lib. 3, de Presb., c. 6: « Corporalem lepram sanare, imo sanatam tantum declarare licuit Sacerdotibus veteris testamenti. Presbiteri vero novae legis non lepram corporalem, sed immundicias animae non modo fugatas declarare, sed penitus purgare, vim et potestatem acceperunt ». Similiter S. Hieronymus Epist. ad Helio. de Presb. scribit: « absit, ut de his quid contrarium loquar, quia Apostolis succedendo, corpus Christi faciunt sanctissimis labiis, per quos et nos Christiani sumus, qui claves Regni Caelorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicium constituunt ». Cum autem expresse praecepta sint haec Sacraenta, praecepta est et ipso facto et notitia eorum. Ex pracepto autem Ecclesiae notitia quoque aliorum Sacramentorum necessaria est, quae in Ecclesia reperiuntur, quaeve seu quidam fontes effundunt in suscipientes gratiam Dei sanctificantem. Id vero propterea, ut ab hominibus in adulta aetate existentibus deque et cum fructu recipi valeant, percipiendo substantiam eorum, vim, et effectum, simulque ad ea rite suscipienda se praeparando.

Ad ultimum, virtute religionis Christianum praeditum esse oportet, et exornatum, eamque exhibere per adorationem; *Imo*: Deo debitam, hoc est humiliationem sui internam et externam coram Deo omnium rerum Crea-

tore et supremo Domino, representando sibi Deum tanquam ens supremum omnibus, quaecunque maxima cogitari possunt in iis quae in creatione perfectionibus praeditum, simulque suum nihilum et vilitatem aquiescendo atque ita securam Divinissima Majestate profundissime demittendo; *2do*, per alacrem voluntatem serviendi Deo, et adimplendi praecepta Ejus, Math. 4: « Dominum Deum tuum adorabis et Illi soli servies »; *3to*, per orationem seu supplicationem factam ad Deum pro his, quibus indigemus quaeve creaturam rationalem decent, ut interpretatur S. Damascenus, lib. 3, De fid. Ort. c. 33; quoniam, ut scribit S. Jacobus in Epist. sua c. 1: « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre lumen ». Et vel maxime per orationem ab Ipso Christo D.no praecriptam; sicut enim Symbolum est summula, quid credere, et summula praeceptorum, quid agere oportet, ita a Christo D.no praecripta oratio, summula est eorum, quae a Deo sunt postulanda; rogare enim instructi sumus, quatenus omnes per fidem, spem, charitatem, et humiliationem sui Deum adorent; quatenus deque officio sicut Regni Caelorum; quatenus semper habeamus gratias necessarias ad implendam voluntatem Dei, idest ad implenda praecepta Ejus; quatenus nobis dissentur ea, quibus indigemus ad conservandam vitam spiritualem et temporalem; quatenus obtineamus remissionem peccatorum, neque vincamur a temptationibus; quatenus ab hujus mundi infortiis et praevalentia inimici animae nostrae praeservemur.

Haec fundamenta Christianae vitae ut explicitur vobis a localibus vestris pastoribus, non semel iisdem inculcavimus. Necessus est, ut Pastoralia nostra monita ad vos etiam dirigamus, et per amorem salutis vestrae vosmet excitemus, quatenus has doctrinas audire, et memoriae vestrae mandare satagatis; illud enim ipsum praeceptum Christi, quod obligat pastores ad vos docendos, vosmet obligat pariter eo ipso, ut eas vitam vestram transigatis. Alias in vanum praeceptum Christi dirigeretur ad Doctores, nisi sese extenderet quoque ad eos qui docendi sunt. Vita nostra transit sicut umbra, qui libet mori debet, cum vita finiuntur omnia, post vitam nihil remanet, nisi aut paenae iis, qui non secundum praecepta a Christo relicta sese gesserunt, aut merces in aeternitate felici bene creditibus, beneque se gerentibus. Quam a Deo O. Maximo vobis precamur, hasque literas nostras manu propria subscrisimus.

Dat. in Radomysl, Anno D.ni 1793, Mense 7-bri.

THEODOSIUS, Metropolitanus.

Adrianus Hołownia, Ord. S.B.M.,  
Abbas Braclav. Locumten.

## 40.

*Radomislia, 14. XI. 1793.*

*De novis facultatibus Metropolitano concedendis, de necessitate providendi melius matrimoniis Unitorum, ob necessitates contrahentium.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 17, f. 221-222.

Eminentissimi Domini.

Cum jam immineat tempus, quo facultates Episcopis a S. Sede dari solitas, mihi autem in anno 1788, die 14 Decembris concessas, eidem Sanctae Sedi definire placuit, necessario recurrendum mihi est, ut prorogationem earum, per gratiam EE.VV. oportune obtineam; experientia enim edoctus sum, illas in his oris frequenter necessarias, commodum adferre Dioecesanis meis, ad Sanctam Sedem Apostolicam recurrere non valentibus, in his autem circumstantiis longe majoribus obstaculis prohibitis. Has easdem ob causas rogandae quoque a me veniunt EE.VV. ut amplioribus facultatibus, et longiori tempore definiendis Archi-Dioecesi meae in his ditionibus existenti providere velint, ne difficultatem offendentes in obtainenda gratia, ad alia Castra, quae Sanctae Sedi non obediunt, sese transferendi occasionem arripiant. Clemens recol. mem. VIII, et post ipsum alii Summi Pontifices, majoribus facultatibus, quam quae ordinarie Episcopis concedi solent, iisque ad septennium duraturis, subveniebant Russiae Metropolitanis, in Catholico Regno manentibus. Nunc major recurrit necessitas, et expetendae a Sancta Sede Apostolica ubiores gratiae, et ut hanc arctioribus terminis, quam alias benigniter concedere Metropolitanis solebat, concludere nollet. Spem itaque firmam pono in singulari EE.rum Vestrarum conservandae Unionis studio, quod voto suo postulationem hanc meam adjuvare non dedignabuntur.

(f. 221v) Illud etiam EE. Vestris mihi exponendum est, quod in confinibus terris cum Principatu Valachiae, non raro accidat, aut Maritos relictis suis Uxoribus, aut Uxores relictis Maritis, in ditionem Valachiae abire, et etiam ad alias Turcarum terras sese conferre, unde nulla eorum vitae vel mortis certa notitia extrahi potest. Similiter ex Villis, quae circa antiquos Russici Imperii limites positae sunt, relictis Uxoribus, abire frequenter Viros versus fluvium Don, et versus aliud fluvium Dniepr, ubi se in Nigrum Mare exonerant, sese diffundentes, ut piscatoribus numerosis in illis partibus conjungantur. Uxores vero, reditum eorum per quindecim et plures annos expectantes, nullamque certitudinem, quod vivant, habentes, quia et Villae illis in partibus rarae admodum sunt, et qui submerguntur, in littoribus tumulari solent; Maritos suos undis perisse, quod et saepe illis piscatoribus accidit, cum aliquo fundamento contendunt, et hinc ad alias nuptias transire petunt. Circumfertur in Polonia, Leonis X. Bulla, quae ad preces Sigismundi, Po-

loniae Regis per Hugonem, Archiepiscopum Gnesensem, sub tempus Lateranensis Synodi<sup>55</sup> Sanctae Sedi expositas, de captis ab infidelibus, statuit illorum mortem per famam publicam vel legitimas conjecturas, seu aliam sufficientem diligentiam, ab Ordinariis vel eorum Vicariis explorari debere, et si de eorum vita certitudo (f. 222) aliqua haberi non potest, concedit licentiam dari posse, ut Vir vel Mulier derelicta cum aliis contrahat, sine praejudicio tamen prioris quandocunque redeuntis. Num juxta tenorem hujus Bullae, quem Poloniae Consistoria in casibus derelictarum a suis maritis mulierum, vel e contra, observant, procedi quoque possit in contingentibus, quas superius exposui, instrui ab EE.VV. humiliter posco. Vereor enim ne aut contra indissolubilitatem matrimonialis vinculi aliquid in Archidioecesi mea admittatur, aut occasio praebeatur recurrendi ad Presbyteros non-Unitos pro ineundis conjugiis, qui, si Conjunx post totum septennium non compareat, faciles sunt, ut alteri nubere concedant, et tali connubio assistentiam praebeant. Gratiae me singulari EE.VV. commendatum esse volo, ac in profundissimo cultu et veneratione esse, et profiteri.

Eminentiarum Vestrarum humillimus et obs.qmus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolitanus.

Radomysliae, die 14. 9bris, 1793.

#### 41.

*Radomislia, 20. XII. 1793.*

*De dispensandis duobus Clericis ab impedimentis contractis, nempe ob homicidium factum, et alium ob mutatum Ritum Ruthenum in Latinum, quem obtinuit.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 17, f. 225-226.

Eminentissimi Domini, Domini Patroni Colendissimi.

Petitiones RR. Philippi Duchowski et Josephi Trochaniewski, quatenus exoptatum effectum gratiae Sanctae Sedis Apostolicae consequantur, preces quoque meas EE.VV. porrigendas aequum esse judico, obsequendoque mandatis, quae exponenda mihi injunguntur, debita cum veneratione sequentibus expono.

Eustratium, Cantorem, non probavit Inquisitio, a Philippo Duchowski cum animo et intentione illum occidendi, graviter percussum fuisse, nec jurgia et aspera verba, quibus hac die qua e vivis sublatus est, eundem

<sup>55</sup> Synodus Lateranensis V, annis 1512-1517.

Philippum exacerbavit; praesumi possunt in homine sacerdote, directam intentionem necis Eustratii excitasse. Injurias Philippus sibi factas ulcisci et vindicare volens, graviter Eustratum verberavit vulneravitque, hinc autem ob partes corporis, quae cum periculo tanguntur, fortassis Iesus non multo post tempore mors Eustratio obvenit. Citatus proinde Philippus ab Instigatore Officii, post inquisitiones, pro irregulari declaratus, et Parochia privatus est, condemnatusque ad Carcerem per integrum annum subeundum. Paenitentiam hanc exemplariter peregit, hac autem peracta, consanguineis praedicti Eustratii, juxta compositionem cum iisdem initam, satisfecit. Fisco in partibus nostris nihil solvitur, proinde nihil quoque Fisco exsolvit. Pro hoc expedita fuit gratia.

Josephus Trochaniewski asserit se habuisse patrem ex terra (f. 225v) Premysliensi, ut opinatur Ritus Graeci-Uniti, quem tandem mutavit in Latinum; cantum enim et ceremonias Ruthenas optime cognoscebat, quod probavit vel maxime veniens in Palatinatum Kijoviensem, idque sub tempus, quo in partibus Ukrainae persecutio aequa contra Unidos, ac Latinos concitata fuit; timens namque videi, quod Ritum Latinum profiteatur, ne cum aliis occideretur, Didascalum seu Cantorem in ruthenis ecclesiis egit. Filium suum hunc Josephum, moriens, ut idem asserit, optabat fieri aut Monachum Ruthenum, aut Presbyterum saecularem. Post mortem patris, et post aliquod in Scholis studium, dicit se cum iuvenibus Ritus nostri, qui in Cancellaria Civili educabantur, per duos annos conversatum, iisque commensalem fuisse, a quibus inductus fuit quoque, ut Ritum Ruthenum deinceps servaret, eo quod mutatio Ritus non obstet Fidei Catholicae, et quod multi Rutheni Ritum suum in Latinum facile mutant. Exactis autem in Cancellaria Civili praedictis annis, famulitio se dedit nobilis Viri, duobus duntaxat milliaribus hinc habitantis. Cum quo Domino saepe veniebat Radomysliam, visitaturus pie functum Metropolitanum. Post annum itaque famulatus sui, cupiens cooptari inter Clericos Ruthenos, vestiendi se veste clericali, ab Officiali, eo tunc Jurisdictionem exercente, facultatem obtinuit, consequenter Instigator Officii creatus, uxorem duxit, tandemque minores (f. 226) Ordines cum Subdiaconatu suscepit.

Induci neutquam potest, ut relicto hoc Ritu, quem a decem et amplius annis amplexus est, ad Ritum Latinum rursus reverteretur, ob rationem promissae dotis post Filiam Presbyteri, cui nupsit, et cujusdam hinc quoque obtinendae successionis, cum pauper sit et sublevari indigeat. Ne itaque arbitretur Sanctam Sedem Apostolicam non aequa favere Ritui Graeco-Unito, ac suo Latino, imo hunc Ritum-Unitum vilipendere, cum videat multos ex Ritu hoc ad Latinum transire, absque ulla Sanctae Sedis Apostolicae conces-sione; hinc autem ne alii quoque vere Uniti offendantur, et quandam aver-sionem erga Sanctam Sedem Apostolicam concipient, existimarem gratiam,

quam per Ill.mum, Rev.mum Episcopum Chelmensem expetiit,<sup>56</sup> eidem facile concedendam esse. Pro hac itaque dum ego quoque humiliter insto, in profundissima veneratione me esse ac profiteri volo.

Eminentiarum Vestrarum humillimum et obs.qmum Servum

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolitanus.

Ramodysliae, die 20 Decembris 1793.

## 42.

*Radomislia, 20. II. 1794.*

*Theodosius Rostockyj, Metropolita Kioviensis, petit dispensationem a primo affinitatis gradu.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 17, f. 240rv.

Eminentissimi Domini, D.ni Patroni Col.mi.

Leo Krzywiecki, amore uxoris demortui sui fratri captus, tandem eo devenit, ut impura cum eadem commercia frequentaret, hinc autem eandem impregnaret, parturire faceret, atque infamia incontinentiae afficeret. Ad hanc abstergendam cum una et altera pars vinculo se matrimoniali obligare velit, id autem ad effectum deducere non possit, obstante primo affinitatis gradu, supplices preces suas jam dudum exposuit S.ae EE.VV. Congregationi, ut de remedio Dispensationis Apostolicae eidem providere dignaretur. Cumque EE.VV. pro voto ad me, easdem partes contrahere volentes, remittere placuit, eo majori cum necessitate pro gratia iisdem concedenda instare debeo, quo majorem praevideo offensam Creatoris, nisi matrimonialiter ijsdem inter se conversari ex Apostolica benignitate concessum fuerit (f. 240v). Pauperes vere sunt, et vix se, suamque prolem sustentare possunt; gratiam itaque EE.VV. singularem iisdem praestabunt, si preces eorum, voto suo adjuvare non dignabuntur. Pro hac facienda dum enixissime insto, in profundissimo cultu ac veneratione me esse profiteor.

Eminentiarum Vestrarum humillimus et obs.qmus Servus

THEOD. ROSTOCKI, Metropol.

Radomysliae, die 20 Februarii 1794.

<sup>56</sup> Agitur, ut videtur, iam de Episcopo Chelmensi Porphyrio Skarbek Ważynskyj (1790-1804); hic erat antea Protoarchimandrita Basilianorum (1772-1780; 1788-1790) et Provincialis Lithuaniae (1784-1788) et Archimandrita Zydyczynensis.

## 43.

Post a. 1794.

*Brevis narratio de Metropolita Kiovensi et de eventibus cum sua persona et activitate connexis.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93.

Anno, ni fallor, 1788 fama longe lateque difusa fuit per Inferiorem Polonię et Lithuaniaṁ Nobiles a populo invadendos et extirpandos, quemadmodum non semel a populo Ucrainensi tentatum fuit. Audiebatur in suspicionem venisse Rev.mum Victorem Episcopum,<sup>57</sup> acsi autor futurus esset huius insurrectionis, tum ex delationibus suorum non-unitorum parochorum, tum quod ordinandos ad juramentum fidelitatis Serenissimae Imperatrici obligaret, tum quod cum suis non-unitis pro Rege et Republica non oraret, sed pro Serenissima Imperatrice, tum quod juramentum praedictum in Cathchesi impressum haberet. Arestatus itaque fuit a Principe Radziwill, Palatino Vilnensi,<sup>58</sup> in cuius bonis Archimandria Slucensis manet, cuius possessionem Rev.mus Victor tenuit, consequenter Varsaviam remissus fuit, ut haec et alia suspicionis indicia a Delegandis per Comitia Commissariis examinarentur.

Quid haec ad Metropolitam, qui tunc Metropolitae possessionem capiens in sua domo longe a Monasterio Slucensi dissita permanebat, tandem Lublini causam habebat cum Successoribus, nec Varsaviam hoc tempore vidit nec in Senatu collocatus fuit.

Sub finem anni 1789 vocatus Metropolita Varsavię, ut deputationi de rebus ecclesiasticis interesset,<sup>59</sup> illuc venire obligatus fuit. Finitis in hac deputatione negotiis in Lithuaniaṁ profectus hoc eodem anno, 25 Julii tenuit Synodus Dioecesanam,<sup>60</sup> sub finem cuius nuntium accepit illum inter Senatores connumeratum fuisse, quod non semel a suis Antecessoribus postulatum fuit.<sup>61</sup> Quid hoc contra Metropolitam? Comitia haec etiam non-unitis multas praestitere gratias.

In comitiis iisdem praetendebantur plures Episcopi, qui nunquam fue-

<sup>57</sup> Victor Sadkowskyj, Episcopus Perejaslaviensis (usque ad annum 1786), et coadiutor Kiovensis (1786-1794), dein Episcopus Minscensis. Erat etiam Archimandrita Slucensis et caput non-Unitorum. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 3, pag. 657-8 (eparchia non unita Mohiloviensis).

<sup>58</sup> Carolus Radziwill, Palatinus Vilnensis (1787-1790).

<sup>59</sup> Erant tunc s.d. permanentia Comitia 4-r annorum (1788-1791), in quibus Metropolita admissus fuit in Senatum, ut Senator Regni.

<sup>60</sup> Synodus dioecesana a Theodosio Rostockyj convocata anno 1789, diebus Maii; cfr. supra decreta Synodi, pag. 64-68, nr. 15.

<sup>61</sup> Metropolita Kiovensis Theodosius Rostockyj, anno 1789 nominatus fuit primus Senator Regni ex Hierarchia unita; sed non iam multum facere potuit; anno 1795 Petropolim in exilium missus, ubi et obiit die 25 Januarii 1805.

rant. Contra haec postulata quemadmodum alii Episcopi, ita et Metropolita in Senatu existens negativam dixerunt sententiam, quia postulatum nec cum Poloniae, nec cum Russiae negotiis cohaerebat. Non cum Poloniae, quia novas fundationes requirebat, nec cum Russiae, quia praetensos Episcopos a Metropolita Kiovensi separabat. Unusquisque Senatorum juramento ad dandum pro conscientia votum obligatus non aliter sententiam suam aprire debuit, quam secundum conscientiae suae dictamen.

Falso de eodem Metropolita relatum est, quasi ille sub tempus revolutionis in Polonia edicta domini Kosciuszko<sup>62</sup> publicavit, quem nunquam ex persona noverat, truncum enim non hominem esse necesse fuit, ut quid simile attentaret, Provinciis Poloniae in quibus Metropolita mansit iam Imperio Russiae adnexis et Officialibus Guberniorum strictissime omnes nutus et actiones has Provincias incolentium observantibus, suo officio pastorali Metropolita attendebat, et de nullo alio, quam ut pastorali officio, quantum potuit, satisfaceret, cogitavit. Publicatio tandem edictorum sine commendationibus a Metropolita subscriptis haberi non potuit, quae prout nunquam a Metropolita factae, nunquam ostendi possunt.

Ad delationes Officialis sui de maximis injuriis confessioni Unitorum illatis, deque persecutione parochorum Unitorum et eorum parochianorum, qui constantes in sua confessione erant, non aliud Metropolita respondere potuit, quam ut in patientia auxilium Dei imploretur, et injuria affecti in sua confessione confirmarentur. Potuit ne Pastor eorum aliter respondere? Et saltem hoc modo apud Sacram Imperatoriam Majestatem misericordiam querens, oves suas non consolari.

## 44.

*Petropolis, 22. II. 1795.*

*Metropolita Rostockyj se iustificat de tardiva responsione, de suo tinere Petropolim, de commissione suae substitutionis ab episcopo Turoviensi, de epistola pastorali, de negotio libertatis religiosae Petropoli procurandae.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

<sup>62</sup> Thaddaeus Kościuszko natus est anno 1746 in Mareczoszczyna; post varios successus in patria, et in Germania (1772-5) venit in Galliam (1776) et dein in Americam, ubi partem habuit in bello independentiae usque ad obtentam libertatem; anno 1784 rediit in Polonię in gradu generalis exercitus; post eius partem in insurrectione ante 2-am divisionem Poloniae (1793), postea bellum gessit cum aliis occupantibus Regnum Poloniae, et captivitatem subiit Moscorum, et tandem, post mortem Catharinae II, ab Imperatore Paulo I obtainuit licentiam et pecuniam eundi in Americam, ad quam pervenit et post brevissimum tempus rediit in Galliam (1798), ubi fere ad annum 1817 permansit et vidit cladem Napoleonis I; tandem in Helvetiam venit ubi et obiit die 15 Octobris 1817. Translatus in Polonię, sepultus est Cracoviae in arce Wawel. Cfr. *Polski Słownik Biogr.*, vol. 14, pag. 430-440.

Ill.me, Excel.me D.ne, D.ne Patrone Col.me.

Nudius tertius accepi hic epistolam Em.mi Praefecti Sacrae Congregationis de Prop.da Fide, de die adhuc 4.ta 8bris anni praeteriti scriptam, qua miratur nihil a me delatum fuisse de gravissima jactura S.tae Unionis in partibus Kijoviae, Volhyniae et Podoliae, occasione Encyclicae Literae Archi-Ep.pi Victoris,<sup>63</sup> hortaturque ut nihil omittam, quo sive Presbyteros, sive iisdem commissos populos ad perseverantiam in hac Sancta, quam profitebatur, Unione excitarem. In quo magni momenti negotio SS.mum Dominum nostrum officia etiam sua interpositurum pollicetur.

Deferre S.ae Congregationi, quae peracta sunt, integrum mihi non erat, prohibito, hac quae fuerat tempestate, literali commercio, et interdicta omnium extraneis communicatione, nihil autem arbitror me omisisse, quod ad confirmandos Presbyteros in S.ta Unione, per hos autem ad confirmandum etiam commissum iisdem populum, conferre possit. Sed contra potestates saeculares infirmi admodum fuere conatus mei. Conscripta quare Epistola Pastorali,<sup>64</sup> et per scripturam varias in partes Archidioecesis communicata, advocateque Ill.mo Ep.po Turoviensi<sup>65</sup> in locum residentiae meae, ipse Petropolim profectus sum, ut a Serenissima Nostra Maiestate confirmationem promissae nobis in fide libertatis, nec non justitiam in his, quae perperam acta sunt, obtinerem. Integro jam quadrante anni, adventum Ill.mi Supremi Gubernatoris nostri, ad quem resolutio suspenditur, expectare debo. Utinam S.mus D.nus noster officia sua adjungeret, sperarem, pro ea, qua est in subditos suos Augustissima Maiestas, pietate, optatum et libertati Confessionis Catholicae consonum responsum obtenturum. Haec ab Excellentia V.ra Ill.ma enixissime rogo ac circa profundissimam venerationem me esse et profiteri volo.

Ill.mae, Excel.mae et Rd.mae D.nis V.rae, D.ni Patroni Observantissimi humillimus et obsq.mus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

Petropoli, 22 Febr., v.s., 1795 anno.

<sup>63</sup> Victor Sadkowskyj, cfr. nota 57.

<sup>64</sup> Littera pastoralis cfr. supra pag. 108-121, nr. 39.

<sup>65</sup> Episcopus Turoviensis et Coadiutor Pinscensis tunc temporis erat Josaphat Bulhak, ab anno 1788; huic Metropolita partem suae dioecesis in Ucraina commisit administrandam; ipse contulit se Petropolim, ut causam Ecclesiae Unitae a Catherina II peroraret, sed nihil obtinuit usque ad mortem Imperatricis in Novembri 1796; cfr. nota 66.

## 45.

*Petropolis, 9. VII. 1795.*

*Ut videtur Nuntio Varsaviensi, suppplex libellus Catharinae II, sors suae instantiae, de suppressione quorundam monasteriorum in singulis, libera desertio Unionis, de modo subveniendi periculo, de definitivo responso Imperatricis.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Ex. ntissime Domine, Patrone Cl.me.

Post acceptas Ex. ntiae V. ae Ill. mae humanissimas litteras de die 2da Julij anni currentis scriptas, sorte obtigit mihi exoptata occasio scribendi Grodnam, per eum, qui hinc in illam civitatem negotiorum causa proficiuntur; non enim Negotia, quae cum politicis connexionem habent, ordinarijs litterarum transmissionibus tuto hic committi posse dicuntur. Securiori itaque via respondere E. ae V. ae Ill. mae cupiens, in enarrando, quo in statu sint, Unionis negotia, jussis E. ae V. ae Ill. mae satisfacio.

Post aliquod commorationis meae tempus in hac capitali Urbe, porrexi supplicem libellum Serenissimae et Augustissimae Imperatrici, Dominae nostrae Clementissimae, enixe rogans, quatenus libertatem confessionis nostrae, nec non ea omnia quae Suae Maiestatis nomine universis subditis sub Imperium Russiae obeuntibus publica manifestatione promissa sunt, Comitiisque Grodnensibus confirmata, singulari suo Diplomate confirmare dignaretur, idque quia Circulorum Praesides, quod attinet libertatem confessionis, promissa a Sua Augustissima Maiestate non teneant, sed qua vi, qua varijs adinventis modis eam aggredi, labefactare, et subvertere contendant, ad quod demonstrandum subiunxi quoque ordine omnes iniurias, et violentias, quas sive Presbyteris, sive eorum Parochianis praedicti circulares Praepositi intulerunt, eas scilicet, quae illatas ad illud tempus, et transmissas ex mea Archidioecesi accepi. Quia vero speravi eorum nomine respondendum fore, absque vi et violentia Populum a sua antiqua confessione recipisse, quemadmodum semper ab ijsdem dictum fuit, postulavi cum ea, qua pars est, submissione, quatenus Provincia committeretur terrestribus judicijs, quae viris Catholicis constant, de vi sibi illata protestantes audire, et si ita esse praemissa inquisitione compererint, eos liberos pronunciare, ut fidem, quam eo usque professi sunt, deinceps profiteantur, idque ad pacem et tranquillitatem inter subditos Suae Imperatoriae Maiestatis conservandam; simile quid enim non Uniti in Polonia obtainuerunt, judicium scilicet mixtum, cum in Comitijs anni 1766 de violentijs sibi illatis quaererentur.

Primum mihi resolutio intra non multos dies promissa fuit, tandem ad adventum Ill. mi, Exl. mi G. nralis Gubernatoris Provinciarum nostrarum reiecta. Cum advenisset, postquam ordinatio novorum guberniorum com-

pleta fuerit, sperare jussus in hanc diem, quem admodum finem negotiorum gubernialium, ita gratiosum responsum ad preces meas expectare debo.

Rogavi ab iis, ad quos prohibere spectat, ne officia circularia Unitos persequantur, et violenter eorum confessionem perturbent, quod et inhibere polliciti sunt. Interea tamen de continuis quasi et varijs generis violentijs, Presbyteris, ecclesijs, et Parochianis in mea Archidioecesi illatis, frequentes nuncios accepi ab Ill.mo, R.mo Ep.po Turovien.<sup>66</sup> Expostulavi non semel, procedi contra voluntatem S.ae Imperatoriae Maiestatis, quae ex declarationibus Augustissimo eius nomine factis, nobis innotescit. In responso accepi, credi non posse, ut vera sint quae deferuntur, cum e contra Adversarij dicant Populum contrariam confessionem libere amplecti.

Tandem Serenissima et Augustissima Maiestas, curante Synodo, me autem nunquam id providente, in singulis Gubernijs duo ex melioribus Unitorum Monasteria, cedenda non Unitis, ordinavit, quo in negotio, quamvis quidquid potui egi, nihil tamen eousque obtinere potui contra expressam Augustissimae Maiestatis dispositionem, nisi quod modificatio aliqua promissa fuerit. Executio certe terrebit Populum, et de confessione sua desperari faciet.

Nunquam credi potest, plenam aequanimitatis, benevolentiae, et misericordiae erga subditos suos Augustissimam Maiestatem de talibus et tantis violentijs informatam esse, quales, non modo in mea, sed et in alijs Dioecesibus fieri perhibentur. Deserere libere Unidos nostros suam confessionem, coram eadem Augustissima Maiestate exponitur, ut vel ex hoc, quod procedendis Monasterijs editum est mandatum, palam fit. Sed difficile admodum ne scribam moraliter impossibile est his efficere, ut ad notitiam plenam omnia eiusdem S.ae Maiestatis perveniant, quae perperam aguntur cum Sacerdotibus, cum Parochianis, cumque ecclesijs Unitorum. Unica via remanere videtur, ut Ill.mi Ep.pi, et Patroni per Epistolas breves, sed humilitate, et reverentia refertas, per ordinarios Nuntios ista exponant, quae benignissimum ejus animum movere possunt, praemissis tamen denuntiationibus Ill.mo, Ex.mo G.nrali Gubernatori faciendis; adeo enim sollicita est de felicitate suorum subditorum S.I.M., ut unicuique Subdito perhibeat liberum facere, quatenus infelicem statum suum exponat, et Maternam ejus misericordiam exposcat.

Quamvis ex his, quae in Provincijs peraguntur, jure inferri possit, illis, qui volunt persecuti S. Unionem, cordi esse eam extirpare, et radicitus evellere, non tamen intermittenda est cura, ut sustineatur, et defendatur. Non

<sup>66</sup> Josaphat Bulhak, Episcopus Turoviensis et Coadiutor Pinscensis (1790-1798); cfr. *Polski Słownik Biogr.*, vol. III, pag. 127-8.

mea unius opera opus est, sed et Ill.morum Confratrum meorum, et integri Monachorum caetus, qui omnes et nervo, et aliis subsidijs commune negotium adiuvare deberent. Expectandum adhuc mihi est Supremum Sacrae Imperatoriae Maiestatis responsum, quod brevi jam dandum promittitur, ex quo cognitum fiet, quid ulterius agendum erit. Nec fas est illo non obtento discedere, quemadmodum enim venire in hanc capitalem Civitatem nemo potest, nisi Ill.mi, Ex.lmi Generalis Gubernatoris, vel ipsius Aulae permissio accedat, ita et recedere ex hac Urbe nemini conceditur, nisi facultatem redeundi obtineat. Singulari me gratiae Ill.mae, Exl.mae Dominationis Vestrae commendari cupio ac in profundissima veneratione profiteri volo me esse

Ill.mae, Ex.ntissimae et R.mae D.nis V.ae Domini, Patroni Colendissimi obsequentissimus Servus

**THEODOSIUS, Metropolita.**

9 Julij, v.s., 1795.

#### 46.

20. X. 1795, v.s.

*Theodosius Rostockyj Nuntio Varsaviensi refert, ut videtur, iam ex civitate Petropoliensi de desperata, mox promulganda, situatione Ecclesiae Unitae in Imperio Moscovitico, ultimis annis Catharinae II.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 135AA, n. 14.

Ill.me, Excellentissime Domine, D.ne Patrone Singularissime.

Optarem Ex.tiae V. Ill.mae meliorem statum S. Unionis referre, sed desperatae videntur res nostrae, si haec executioni mandabuntur, quae iam suprema voluntate disposita et demandata perhibentur. Non dubito notitiam horum Excellentiam Vestram Ill.mam brevi habituram. Non aliud Nobis superest, quam Divinam implorare opem et a Ss.mo Domino Nostro expectare, ut cadentibus rebus nostris, qua potest meliori via, succurrere dignetur. Commendare me quoque restat protectioni S. Sedis Ap.cae atque profundissima cum veneratione remanere

Ill.mae, Exc.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Singularissimi humillissimum et obligatissimum Servum

T. ROSTOCKI, Metr.

20 8-bris v.s. 1795.

#### 47.

....., 8. XII. 1795.

*Metropolita Rostockyj, ut videtur, Nuntio de ordinationibus Imperatricis; transmittit textum responsi.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

8va Xbris, VS, 1795.

Ill.me, Exl.me et R.me Domine, Domine Pat.ne Sing.me.

Ultimas ordinationes Serenissimae et Augustissimae Imperatricis, Dominae nostrae Clementissimae, in negotio unius et alterius Ritus ecclesiarum, quantum brevitas temporis permisit in latinum traductas, data certa occasione, Ex.lentiae V.ae Ill.mae transmitto. Faxint Superi, ut magis prospera, et magis grata referam. Semper nobis singularis protectio S.ae Sedis Apostolicae exposcenda est, semperque imploranda venit. Huic me, et nos omnes S.ae Unionis assertores committendo, gratus quoque Ex.lentiae V.ae Ill.mae impense commendari cupio, ac in profundissima veneratione esse et profiteri volo.

Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni singularissimi, humillimus et obsequiissimus Servus.

THEODOSIUS, Metropolita.

## 48.

(Petropolis, 1797).

*Copia supplicis libelli Imperatori Paulo I data: omnes habent libertatem religiosam, confirmetur et Ecclesiae Unitae, quaestio sustentationis etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 85, nn.

Copia supplicis Libelli S.I.M. Porrecti.

In glorioso et potentissimo Russiae Imperio V. Imperatoria M.stas, D.nus noster Clementissimus a justitia et misericordia Regimen incipiens,<sup>67</sup> in spem erigit omnes fideles Subditos, quod sub ejus Imperio, gratiae et misericordiae participes evadent, quemadmodum et jam participes sunt.

Ad has Imperiales gratias, cum omnibus minimis etiam pateat aditus, audeo et ego, fidelis V.ae Imp.lis Mt.tis Subditus, et in mea confessione vocatione Pastor atque Metropolita, coram V.ae Imp.lis Mt.tis trono me demittere, et pro Unitorum in S. Romana Ecclesia confessione preces exponere supplices.

<sup>67</sup> Paulus Petrovič I, Imperator-Zar Moscoviae, natus anno 1754, ut unicus filius Petri III et Catharinae II; devenit et ipse imperator die 6 Novembris 1796; obiit die 12 Martii 1801, occisus a suis militibus aulicis, forsitan etiam cum participatione filii Alexandri. Ex quattuor eius filiis ei successerunt Alexander I (1801-1825) et Nicolaus I (1825-1856). Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 20, pag. 480-81).

Omnes aliae Confessiones, contrariae etiam X.stianis, toleratae in Imperio V. I. Mt.tis, profunda pace et libertate gaudent, sola nostra cum Romana conjuncta, graves passa est coactiones, injurias, et oppressiones, quamvis in ritibus in Imperio Rossiae receptis, non per omnia dissimilis, et in Provinciis, nunc Russiae Imperio conjunctis, ab exordio X.stianae fidei receptae, et sub tempus conjunctionis harum Provinciarum anno 1793 in sua integritate praeservata sit. Exposcit proinde, ut a Sua Imperiali Mt.te clementer respiciatur, et ut aequali saltem cum caeteris toleratis Religionibus gaudet libertate, aequalique S.I. Mt.tis glorietur misericordia.

Dignetur Clementissima Mt.tas V. Supremo Imperiali nomine confirmare libertatem et huic nostrae Unitae confessioni, ad quietandas fluctuantes conscientias numerosi populi, V.ae Mt.tis subditi. Demandare Clementissimo suo jussu, ut omni V.ae Imperialis Mt.tis Subdito, absque timore, coactione, et poena, liberum sit declarare et manifestum facere, cuius confessionis ille interne sit, et in qua semper manere velit; secundum autem majorem vel minorem numerum, internam suam fidem manifestantium, spirituale disponatur commodum cuilibet Confessioni necessarium, liberumque sit cuique in ecclesiis Parochialibus, et non Parochialibus suae confessionis, Unitis vero etiam in ecclesiis Latinorum, cum exemplari devotione orationes suas deferre Altissimo, doctrinam X.stianam audire, Sacra menta secundum suum Ritum recipere, et Sacerdotes suos ad haec sibi ministranda adhibere. Coram eodem Monarchico Throno demissus cum profundissima humilitate rogare quoque audeo gratiam pro me ipso, a regimine Ecclesiarum, quae in Guberniis Minskensi, Volhynensi et Braclavensi ad curam meam pertinebant, prohibito, penes regimen autem earum duntaxat, quae in Terris Lithuaniae existunt, relicto. Similiter et pro Episcopis meae confessionis, a regimine Dioecesum respectivarum amotis, licet a tempore receptae X.stianae Fidei, usque ad incorporationem Provinciarum a Polonia ad Imperium Rossiarum, in iis semper extiterint, ut nobis liceret in Dioecesibus respectivis permanere, muneri Pastorali satisfacere, et esse utiles Patriae, doctrina, nec non præparatione populi ad virtutes X.stianas, et ad fidelitatem V.ae Imperiali Mt.ti, tamquam suo Domino et Monarchae. Pariter, ut damna nobis et nostrae Confessionis Regularibus, atque saecularibus Presbyteris illata, et ad deoccupationem usque proprietatis, nec non, quae nobis ante receptionem bonorum immobilium ex illis debebantur extensa, suprema V.I.M. justitia clementissime cognoscere, demandare dignaretur.

Ulteriore sustentationis nostrae rationem committentes Altissimae V.ae Imp. Mst.tis voluntati, et misericordiae, semper tanquam fideles subditi elevabimus manus et corda nostra ad Deum, Optimum Maximum, ut benedicat Imperatorio Regimini, et in lungissimos annos exaltet omnem Imperatorm Domum gloria et prosperitate.

## 49.

(Petropolis), 28. II. 1797.

*Rostockyj commendat Legato Apostolico res Ecclesiae Unitae, p̄aeprimis ut episcopi ad suas Sedes restituantur nec non ipse Metropolita.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

28 febr. 1797.

Ill.me, Ex.ntissime et R.me Domine, Domine Patrone Singularissime. Cum mihi Moscuam proficisci non liceat, transmittenda ex hac Capitali Urbe consignavi Ill.mo, Ex.mo Comiti. Restat, ut vehementer gaudeam de adventu Ex.lntiae V.ae Ill.mae, Reverendissimae in hunc Imperij locum, in quo Augustissima Imperatoria Maiestas circa suae Coronationis actum, speratur singulares gratias subditis suis praestiturus, ad perennem eiusdem actus memoriam. Faxint Superi, ut quod ego pro me, pro Confratribus meis DD. Episcopis, pro Clero utroque, proque Populo cum S. Romana Ecclesia coniuncto obtinere non potui, officijs Ex.lntiae V.ae Ill.mae, R.mae interpositi,<sup>68</sup> et valido ejus patrocinio obtineamus, atque ita reviviscamus Uniti, et sublevemur. Causam alij assignant, quod a Sua Imperatoria Maiestate exposita non obtinui, quia multa simul postulavi. Alij volunt, non ita clare eidem S.I.M. ab Exponente res nostras expressas fuisse, quemadmodum ad consequendam gratiam opportuit. Alij denique dicunt, ad adventum Ex.lntiae V.ae Ill.mae, jam dudum expectatum, suspensum responsum extitisse.

Primum quod per suam Ex.ntiam Ill.mam, Rnd.mam a sua Imperatoria Maiestate pro nobis exposcendum est, videtur esse, ut ad regimen suarum Dioecesum restituantur Episcopi; hoc enim basis et fundamentum est futurae spei conservandae in hoc Imperio Unionis. Restituti autem illi, preces E.ae V.ae Ill.mae, R.mae, pro coniunctis cum Ecclesia Romana exactis relationibus adjuvabunt, et vel maxime, ut qui adusque in S.a Unione perseverant, quamvis a non Unitis inter suos numerentur, libertatem profitendi nanciscantur, commodaque spiritualia obtineant. Quod me attinet, minor videtur esse difficultas, quia in Lituania plusquam in 250 ecclesias eousque jurisdictionem obtineo. Si itaque ad totalem jurisdictionem, ut fuit ante 6tam 7bris A. 1795,<sup>69</sup> restitui nequeo, ad meam in civitate Vilno Cathedralem, interasque

<sup>68</sup> Legatus pontificius, Nuntius Varsaviensis Laurentius Litta (1797-1799); post redditum suum Romanum, simul cum Pio VII deportatus fuit in Galliam, ubi fere ad annum 1814 remansit; post suum redditum ex Gallia, nominatus fuit Praefectus de Prop. Fide (1814-1818). Obiit 1 Maii 1820. Cfr. *Hierarchia catholica*, vol. VI, pag. 400.

<sup>69</sup> Mense Septembri 1795 Rostockyj iussu Catharinae II Petropolim exiliatus fuit et Metropolia Kiovensis suppressa; ipse obiit Petropoli die 25 Januarii 1805, metropolia nunquam fuit restituta.

in Lituania ecclesias discedere, S.I.M. clementer concedere velit. Id ab E.a V.a Ill.mae, R.ma, saltem pro interim obtinendum, dum humillime exposco, in profundissima veneratione esse ac profiteri volo.

Ill.mae, Ex. ntissimae ac R.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Sing.mi, humillimus et obs.qmus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

## 50.

*(Petropolis), 10. III. 1797.*

*Ut videtur, Metropolita Legato Apostolico post abscessum Imperatoris ex Petropoli Moscuam, de iam antea transmissso supplici libello ad Imperatorem etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Ill.me, Excell.me ac R.me D.ne, P.rone Col.me.

Post abscessum S.I.M. ex hac Capitali Civitate in praedium suum Pa-włowskie nuncupatum, venit Petropolim R.P. Theodosius Główiewski,<sup>70</sup> proinde nullum supplicem libellum porrigere potuit, cum nec in negotiis illuc recurrere, nec S.I.Mt.ti ex hoc praedio, ad iter in Civitatem Moscam se disponenti, incommodum facere permissum fuit. Sed nec supplex libellus, meo judicio, in negotio fratris sui R.mi Ep.pi Brestensis<sup>71</sup> porrigi potest, antequam res Unitorum cum S. Romana Ecclesia, si non ad pristinum, saltem ad aliquem prosperum statum revocatae non fuerint; post mandatum enim defunctae Imperatricis,<sup>72</sup> omnia in ambiguo sunt, omnia incerta, omnia ad subversionem Sae Unionis disposita, quasi in eodem statu permanent.

Supplicis libelli copiam, ex Rutheno ad Latinum traductam, quam S.I.M., sub initium assumpti in Imperio regiminis, porrexi, jam dudum Excell.ae V.ae Ill.mae transmisi, quae autem contra articulos ejusdem libelli dicta sunt, per Excell.mum Comitem, cum reliquis, quae ad notitiam status nostri pertinent, pariter direxi. Ex quibus, quamvis summatim expositis, facile devenire est, quae a nobis Unitis desiderantur, et quam infirma sunt, quae contra eosdem articulos opponuntur. Si ad manus Excell.ae V.ae Ill.mae

<sup>70</sup> Theodosius Główiewski, Basilianus, frater Episcopi Brestensis Arsenii Główiewski, qui obiit anno 1798. Cfr. nota 71.

<sup>71</sup> Arsenius Główiewski, Episcopus Coadiutor Symeonis Mlocki (29.IX.1790), cum tit. Berestensis; dein post partitionem Poloniae et ipse Episcopus Brestensis; obiit anno 1798. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 10, pag. 70.

<sup>72</sup> Catharina II, Imperatrix, Hierarchiam Unitam mense Septembri 1795 sustulit, mense Novembri 1796 obiit, et die 6.XI.1796 ei filius Paulus I successit. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 14, pag. 427-8.

supplex hic libellus non pervenerit, alteram ejus copiam transmitto, simulque adjungo, quae in convertendis Unitis per Volhyniam peracta, a superius nominato R.P. Główiewski recepi. Multissimi inveniuntur homines, qui Unitorum confessioni adhaerent, quamvis ad castra non-Unitorum jam pertinere perperam praetenduntur, et prae timore se Unidos palam profiteri non audent. Illis saltem succurendum est, ut libertatem conscientiae et confessionis restitutam obtineant.

Omnia valido Excell.ae V.ae Ill.mae patrocinio vehementissime commendata esse cupio, in circumstantiis potissimum solemnis actus coronationis Imperatoriae, ac in profundissima veneratione me esse profiteor.

Illmae, Excell.mae ac R.mae Dnt.nis V.ae, Patroni Col.mi obsequentissimus Servus

TH. ROSTOCKI, Metropolita.

10 Martij 1797.

– P.S. Ep.patus nostri erant: Vłodimiriensis, Brestensis, Luceoriensis, Pinscensis, Turoviensis Polon., qui remanserunt in Dominijs Poloniae.

## 51.

(*Petropolis*), 16. III. 1797.

*Ut videtur, Legato Apostolico Litta: de interventu Regis Poloniarum advenientis Petropolim, de quadam Encyclica, quae Archiepiscopo Polocensi inane adscribitur etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

16 Martij, v.s., 1797.

Ill.me, Exl.me et R.me Domine, Patrone Sing.me.

Adveniente in hanc capitalem urbem Serenissimo Poloniarum Rege, non omisi preces meas eidem exponere, ut pro Unitis cum S. Romana Ecclesia apud Suam Imperatoriam Maiestatem officia sua interponere dignaretur, quod et promissum obtainui. Mandavit I. Domino Wolski, Camerario suo, ut in scriptis per me exposita, in gallicum idioma converteret, et inter conferenda cum S.I.M. reponeret; Viro optimo, et mihi amicitia coniuncto, quem singulari etiam E.ae V.ae Ill.mae benevolentiae commendatum esse cupio.

Ad haec, quae jam E.ae V.ae Ill.mae transmisi fortassis desiderari potest notitia de nostrae confessionis Ep.pis, qui in Provinciis Imperio nunc Russiae adjunctis remanserunt. Hos quinque, praeter unum, remansisse E.ae V.ae Ill.mae deferendum habeo, scilicet Vladimiriensem, Brestensem suum Coadju-

torem,<sup>73</sup> qui a jurisdictione in sua Brestensi Dioecesi prohibitus non est, Luceoriensem qui titulum Ep.pi Tegeani obtinet,<sup>74</sup> et Coadiutor est Ep.pi invalidi Luceoriensis, atque Dioecesis administrator fuit, Pinscensem, Turoviensem, qui Pinscensis Coadjutor est, regitque ad 40 adhuc ecclesias Unitas, in parte ad Episcopatum Turoviensem, in parte ad Pinscensem spectantes, quae scilicet in Lithuaniae gubernio manent, atque Calaminensem, qui meus Suffraganeus fuit.

Encyclicam Epistolam, quae sub nomine Ill.mi Polocensis circumfertur, quam suam idem Ill.mus negat, et in nullis ecclesijs promulgari jussit, contra ac aliqui affirmarunt, adhibent non Uniti ad convellendam stabilitatem Unitorum, proinde aut eidem Ill.mo aliquid scribendum esset, ut factum hunc non suum esse, creditibus suum declararet, vel alicui alio committendum, ut factum non esse dicti Ill.mi ostenderet, et contenta in praee expressa Epistola confutaret. Gratiae me singulari dum vehementer commendo, profundissima cum veneratione profiteri volo.

Ill.mae, Exl.mae et R.mae D.nis V.ae humillimus et devotissimus Servus  
T. ROSTOCKI, Metropolita.

## 52.

(*Petropolis*), 18. III. 1797.

*Rostockyj Legato de relatione cuiusdam Archimandritae Polocensis in Ucrainam missae ex Polocia.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

18 Martij 1797.

Ill.me, Exl.me et R.me Domine, Patrone Sing.me.

Non multis abhinc diebus venit Petropolim R.mus Abbas Polocensis,<sup>75</sup> qui et Moscuam proficiscitur. Hic ab Ill.mo Archp.po Polocensi missus fuit<sup>76</sup> ad videndas ecclesias, quae in Unione remanserunt, in Volhyniam, Podoliam, et alias partes ab Ordinarijs Ep.pis receptas, et jurisdictioni ejusdem Archiep.pi adnexas. Quae de modis opprimendorum Unitorum in his partibus audivit, Ex.lentiae V.ae Ill.mae ad confirmationem eorum, quae E.ae V.ae

<sup>73</sup> Stephanus Levynskyj, Episcopus tit. Thegeanus (1784), dein Coadiutor-Administrator Luceoriensis (1787) et denum Episcopus Luceoriensis (1798-1807).

<sup>74</sup> Stephanus Levynskyj, ep. tit. Thegeanus et Suffraganeus Metropolitanus; cf. supra nota 73.

<sup>75</sup> Forsan agitur de Caesareo Czudowski, qui post resignationem Jasonis Smogorzewskyj, Metropolitae Kiovensis, hanc Archimandriam rexit.

<sup>76</sup> Archiepiscopus Polocensis Heraclius Lisowskyj, qui ab anno 1795, mense Novembri, suppressas eparchias unitas administrabat.

Ill.mae transmisi, referre optat; benignam itaque aurem eidem perhibendam expeto, ac in profundissima veneratione profiteri volo.

Ill.mae, Ex.lentismae et Rnd.mae Dominationis Vestrae humillimum et devotissimum Servum

T. ROSTOCKI, Metropolita.

53.

(*Petropolis*), 8. IV. 1797.

*Rostockyj Legato de quodam pseudosermone adscripto Metropolitae.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

8 Aprilis 1797.

Ill.me, Ex.lentissime et R.me Domine, Patrone Sing.me.

Occasione cujusdam sermonis sub nomine meo divulgati, quae Suae Imperatoriae Maiestati delata sunt, et quae eadem Imperatoria Maiestas mihi in mandatis dedit, quoque ego occasione horum mandatorum scripsi, transmittens E.ae V.ae Ill.mae, ne incognitum sit Exl.ae V.ae Ill.mae, quae his temporibus respectu Unitorum cum S. Romana Ecclesia acciderunt, valido me ejus patrocinio commendatum esse cupio, ac in profundissima veneratione indesinenter profiteri volo.

Ill.mae, Exl.mae et R.mae D.nis Vestrae, Domini Patroni Singularissimi devotissimus et obsq.mus Servus

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita.

54.

....., 1797.

*De modis providendi Unioni, ut salva fiat.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Salvandum videtur S.ae Unionis Negotium sequentibus modis.

1º. – Colligendae sunt omnes violentiae et injuria sive Parochis sive Parochianis sive eorum ecclesiis, cum expressionibus temporis, loci, personarum, authentice, et majori, quae fieri potest, diligentia, et quae per Recursus in forma Memorialis scriptos ab injuriatis, ad Ill.mos Episcopos vel eorum Consistoria. Ex his autem violentiis secernendae quae magis obstupefaciunt, et Ill.mo, Excell.mo D.no Nuntio deferendae. Deferendae quoque a Nobilibus majoris considerationis S.ae Imperatoriae Majestati.

2º. – Ill.mus Camenecensis Ep.pus, quandoquidem simul est Ep.pus Leopoliensis,<sup>77</sup> habitatque in ditionibus S.ae Cesareae Majestatis, injurias in

---

<sup>77</sup> Episcopus Leopoliensis-Haliciensis-Kamenecensis erat tunc temporis Petrus Bielanskyj (1781-1798); cfr. *Polski Słownik Biogr.* II, pag. 34-35.

sua Dioecesi Camenecensi factas, nec non in aliis Dioecesibus Unioni S.ae illata, exponat Aulae sua et intercessionem pro Unitis a S.a Cesarea Majestate exposcat.

3º. – SS.mus quoque Dominus noster officia sua tum in una, tum in altera Ser.ma Aula facere non dedignetur.

4º. – Ep.pi et Monachi quam maximam concordiam inter se servent, et omnibus nervis incumbant, ut S.m Unionem pro posse tueantur. Contributionem quoque quotannis colligendam determinent, ut ex hac necessarii Amici curari possint.

## 55.

(Petropolis), 24. VI. 1797.

*Postulationes Metropolitae Imperatori porrectae, nunc in copia Legato Apostolico mittuntur, et nescitur cur negativum responsum acceperunt.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

24 Jun. 1797.

Ill.me, Ex.lme et R.me Domine, Patrone Sing.me.

Postulationes meas S.I.M., Domino Nostro Clementissimo, porectas, et ex Rutheno in latinum traductas dum opportuna occasione transmitto, de responso quoque negativo, mature Ex.lentiam V.m Ill.mam certiorem reddere necessum habeo, ut quod mei unius studio obtineri non potuit, E.ae V.ae Ill.mae adiutorio et protectione, pro bono Unitae Ecclesiae, eiusque legitimorum Pastorum tandem obtineri possit. Rationes negativi responsi nondum mihi plene cognitae sunt; cum de ijs melius informatus fuerim, communicare eas quoque non negligam. Interea vero negotia eiusdem Unitae Ecclesiae una mecum valido patrocinio impense commendans, cum profundissima veneratione manere pro semper volo.

Ill.mae, Ex.ntissimae et R.mae Dominationis Vestrae, Domini Patroni Sing.mi, humillimus et obsq.mus Servus

THEOD. ROSTOCKI, Metropolita.

## 56.

(Petropolis) 1798.

*Metropolita transmittit Legato informationes de Ecclesia Unita, excusando de eius minus perfecta forma, et petit interventum apud Aulam Petropolitanam.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Ill.me, Rnd.me Domine, Domine Patrone Obs.me.

Informationem de statu praesenti Ecclesiarum nostrarum, cum desiderijs ad sublevandam Unionem nostram cum S.a Sede Apostolica, benignitate, et gratia Ex.mi Domini Legati Apostolici apud Serenissimam Maiestatem promovendis, remittens ad gratiosissimas Illmae, Rnd.mae Dominationis V.ae manus, veniam exposcere debeo, quod non ita scripta sit, quemadmodum conveniens esset consignare illam tantae venerationis Viro. Difficultas inveniendi in hac Urbe, qui meliori charactere faceret copiam rei, in lingua extera conscripta, in causa est, quod taliter scriptam, et aliquibus cum emendationibus, remittam.

Omissum etiam in eadem informatione, quod ab anno 1795 ad annum 1798, 28 aprilis, ab anno scilicet quo Imperatrix Catarina II sublatas esse voluit nostras Dioeceses, ad annum, quo ejus Successor Paulus Primus ea de re aliter disposuit, duravit mea etiam Dioecesana jurisdictione in Lituania, quam per Vicarium meum, Petropoli manens, administraveram, eo quod Lituania jam post mandatum de Dioecesibus Catarinae II in potestatem et Dominium Russiae venit. Qui vero Gubernator existens illam administraverat, promissa, publico scripto, nomine Imperatorio facta, de manutenenda omnium religione, et possessionem adimplevit, et omnes in sua quiete reliquit.

Pro officijs apud Ill.mum, Exl.mum Dominum Legatum interponendis, ut nos Unidos, qui sortes nostras unice in protectione S.ae Sedis Apostolicae reponimus, semper et ubique protegere benigne velit, humillime rogans, gratiae quoque Ill.mae et R.mae D.nis V.ae enixe commendari cupio, ac debita veneratione et observantia maneo.

Ill.mae, Rnd.mae D.nis Vestrae, Patroni observandissimi, obsequentissimus Servus

T. ROSTOCKI, Metropolita.

## 57.

*ca. 1803.*

*Metr. Rostockyj contra exdivisionem metropoliae in Galicia.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 18, fol. 230rv copia.  
MUH, VII, 265-7, nr. 119.

Animadversiones super praetensam exdivisionem Metropoliae in Galicia.

Nulla necessitas aut ratio suadet, ut Hierarchia Sanctae Sedi unitorum plus quam 200 annorum spatio adhaerentium, et sub protectione eiusdem Sedis Apostolicae existentium, per creationem alterius Metropolitani in partibus Galiciae dismembretur, ac imminuta persecutionibus pro obedientia Sanctae Sedi perpessis, multo plus per divisionem imminuatur et labefactetur, huncque nexum inter Ecclesias, quem tanto tempore servavit sub uno eodem-

que Metropolitano, deperdat, et cum tempore etiam suaे existentiae periculum subeat: unionis enim vinculo totum sustinetur, partium vero divisione perit.

Si quae ratio id suaderet, esset diversitas praeiens dominiorum quae minime prohibet commercium literale, per quod omnium Ecclesiarum necessitatibus subveniri potest. Si in temporalibus iuxta consuetudinem anno 1797, 15/26 Januarii, inter dominia quibus partes dismembratae Poloniae abvenerunt, initam, permissum esse Subditis unius dominii possessiones habere, de iisque disponere in altero dominio, cum in spiritualibus, quae nihil officium dominiis, similia non licebunt, potissimum in catholico dominio Augustissimi Romanorum Imperatoris. Neque admodum difficile Metropolitano manenti in uno dominio, praehabita facultate sui et alterius dominii guberniorum, proficii in dominium, in quo eius obsequium desideratur, ibique ea adimplere, quae vocationis suaे sunt, aut per delegatum ea perficere. Ill.mus Smogorzewski,<sup>78</sup> Antecessor meus, in Polonia manens, obtenta facultate a Gubernio Caesareo Leopoliensi, Leopolim in persona venit, et Ill.mum Bielanski<sup>79</sup> in episcopum illius dioecesis, praemisso canonico processu, consecravit. Ill.mum vero Horbacki,<sup>80</sup> episcopum Pinscensem, delegavit, ut, praehabita facultate Gubernatoris Albae Russiae, quae tunc iam in potestate huius Imperii Rossiaci fuit, modernum Archiepiscopum Polocensem in pastorem illius dioecesis ordinaret,<sup>81</sup> quemadmodum et ordinavit. Pari ratione etiam nunc similia obsequia praestari possunt.

(fol. 230v) In contrarium tali divisione, quae praetenditur, Hierarchiae unitorum praesideretur spes mutui adiutorii in criticis occurrentiis, quod a pertinentibus ad unum corpus expectari deberet, si non in Subsidis, ob Regnorum prohibitiones, saltem in procurandis instantiis respectivae Aulae, quae opem iniuriatis ferrent. In persecutionibus vero in aliqua Hierarchiae parte contingentibus, in quibus ad aliud dominium transferri ex mandato oporteret, prout accidit sub Catharina II, cum difficultate reciperentur, qui se transferre vellent, non habentes testimonia conversationis suaे a pertinentibus ad unum idemque Hierarchiae corpus.

<sup>78</sup> Jason Junosza Smogorzewskyj, Metropolita Kioviensis (1780-1788); obiit die 1 Novembris 1788. Cfr. *Epidstolae Metropolitarum Kioviensium catholicorum: Jason Junosza Smogorzewskyj* Romae 1965.

<sup>79</sup> Petrus Bielanskyj, Episcopus Leopoliensis, a metropolita Smogorzewskyj consecratus, die 12.IX.1781. Cfr. notam 77.

<sup>80</sup> Gedeon Daszkiewicz-Horbackyj, Episcopus Pinscensis fuit Consecrator Archiepiscopi Polocensis H. Lisowskyj (1784-1809) Petropoli, ubi et obiit post consecrationem (22.VII.1784). Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 13, pag. 135-6.

<sup>81</sup> Ordinatio haec locum habuit mense Januario 1784, in bonis principis Potemkin.

Ritus quoque et consuetudines, quae universim in Hierarchia indivisa custodiebantur, facilius mutationem subirent, concurrentibus diversis nationum moribus, quibus ipsi Pastores obnoxii essent, cessaretque cum tempore harmonia et nexus inter unius domini et alterius Pastores, per consequens mutuum sese iuvandi studium, et Sanctam Unionem defendendi. Ad haec privilegia a Sancta Sede Apostolica toti, ut fuit, Hierarchiae concessa, cui ex his divisis partibus inservire deberent, non levem excitarent quaestionem. Non facile enim credi potest Sanctam Sedem Apostolicam eadem privilegia concessuram novae post divisionem Hierarchiae, antiquam vero iis spoliaturam, cum haec, tantis persecutionibus pro fide et Romana Sede susceptis, semper constans, illa perdere non meruit; ad praesens vero spem quoque habet melioris obtainendae sortis et gratia et favore eiusdem Sanctae Sedis dignissimi Legati.

Metropolitanus modernus, qui per successionem ius metropoliticum in Galliciae episcopos obtinet, et illud variis in contingentibus exercuerat, qua ex ratione iure suo spoliari potest, quod Augustissima etiam Imperatoria Romanorum Aula, occasione creandi episcopi Praemisiensis et Leopoliensis modernorum, benigne recognovit. Multum ille pro Sancta Unione et obedientia S. Sedi Apostolicae perpessus est, ad quae si etiam hoc iure privaretur, et Hierarchiam, quae ad sua tempora integra permansit, dismembrari et diminui in catholico quoque Imperio pati, cogeretur infeliciorem se Antecessoribus suis, et in demeritum haec accidisse existimare deberet. Ita vere existimans Metropolitanus, profecto iuri suo renuntiare, et Hierarchiae atque Successoribus praeiudicare non potest.

(fol. 231v) Ruteni 1803.

**EPISTOLAE HERACLII LISOWSKYJ  
Metropolitae Kioviensis**

**(1806 - 1809)**





HERACLIUS LISOWSKYJ  
Metropolita Kioviensis (1806-1809)



## **BIOGRAPHIA HERACLII LISOWSKYJ**

Heraclius Lisowskyj, Metropolita Ecclesiarum Unitorum in Russia, et Archiepiscopus Polocensis (1784-1809), natus est anno 1734 in oppido Usiacz in Alba Russia, ut filius Josephi Odrowąż-Lisowskyj et Constantiae Lepkowskyj. Filius accepit in baptismo nomen Josephi et fuit Ritus Latini, usque ad suum ingressum in Ordinem Basilianorum. Scholam frequentavit apud PP. Dominicanos in Usiacz eamque excellenter absolvit; usque a juventute monstrabat prae dilectionem ad Ritum Ruthenum et diebus Dominicis et festis visitabat ecclesiam et monasterium Basilianorum et partem habebat in choro monastico, simul cum Religiosis Basilianis.

Absoluta schola in Usiacz ingressus est Ordinem Basiliandum in civitate Polocensi, ubi in ecclesia S. Sophiae accepit habitum Basilianorum et nomen mutavit in Heraclium. Ibidem professionem monasticam professus est et studiis philosophiae et theologiae sese dedit summo cum profectu. Hisce absolutis, ordinatus fuit sacerdos et varia obibat in Ordine munera.

Per aliquod tempus erat Superior Polociae, et dein abiit Orszam, ubi erat Superior novi fundati monasterii, fundati a suo avunculo Josepho Lepkowskyj, Archiepiscopo Smolensensi, de qua familia proveniebat etiam eius mater, Constantia Lepkowskyj. Anno 1776 Archiepiscopus Smolensensis Josephus elegit sibi Heraclium in suum coadiutorem in Archimandria Onufreensi, et postquam anno 1778 Lepkowskyj morbo fuit correptus, Archiepiscopus Polocensis Jason Smogorzewskyj nominavit Heraclium in Archimandritam Onufreensem.

Post primam exdivisionem Poloniae et ut Smogorzewskyj melius valeret suam amplam archidioecesim administrare, conabatur erigere novam eparchiam Mscislaviensem, in qua intendebat Heraclium collocare; sed tentamen Smogorzewskyj effectum non habuit. Et cum anno 1780 Smogorzewskyj electus fuit in Metropolitam Kiovensem (1780-1788) et abiit in Regnum Poloniae, eius vero futurus Successor in Archieparchia Polocensi-Maximilianus Ryllo accepit nominationem Peremysliensem ex gratia Mariae-Theresiae, Imperatricis Austriae, Archidioecesis Polocensis fere per quattuor annos vacabat, voluntate offensae hac re Imperatricis Moscoviae Catharinae II.

Instantibus Pio PP. VI et Nuntio Varsaviensi J. Archetti, tantummodo mense Januario 1784 Catharina II nominavit Archiepiscopum Polocensem Archimandritam Onufreensem Heraclium Lisowskyj (1784-1809). Die vero

18 Aprilis 1784 ab episcopo Pinscensi Gedeone Horbackyj, Lisowskyj consecratus fuit, quia Catharina II Metropolitae Kioviensi Smogorzewskyj adversa fuit eumque in Russiam admittere noluit.

Primis episcopatus sui annis Lisowskyj praesertim duobus occupabatur negotiis (1785-1788): reformatione liturgica, ad mentem Liturgiconis J. Goar, edito a Benedicto PP. XIV, et de bonis Archieparchiae Polocensis in parte, quae in Regno Poloniae remansit; cui rei tum Sedes Apostolica, tum Nuntius Varsaviensis Archetti favebat. Annis vero 1787-1891 Lisowskyj in magna lite erat cum Basilianis Albae Russiae, praesertim cum monachis senioribus, et Ambrosio Kiryatt, de iurisdictione, quam et Sedes Apostolica Lisowskyj agnovit.

Hac eadem periodo Lisowskyj gaudebat protectione principis Gregorii Potemkin, qui favoribus Imperatricis Catharinae II gaudebat, et quamdam pacem religiosam Ecclesiae Unitae procuravit. Sed mortuo principe Potemkin, Lisowskyj et sua Ecclesia validum protectorem amisit (1791), et iterum tempora difficillima pro Ecclesia Unita venerunt, data secunda et tertia divisione Regni Poloniae (1793, 1795), suppressione Hierarchiae unitae (1795) et traductione fidelium ad Ecclesiam orthodoxam dominantem; tunc Lisowskyj etiam maiorem iurisdictionem obtinuit in reliquias Ecclesiae Unitae in Alba Russia, Lithuania, Volhinia et Ucraina (1795-1798).

Post mortem Catharinae II (1796) et successione Pauli I, pars eparchiarum Ecclesiae Unitae restaurata fuit (Luceoriensis, Berestensis), sed Metropolita Kioviensis Theodosius Rostockyj ulterius in exilio Petropolitano remanebat, etiam post repentinam mortem Imperatoris Pauli I (1801), cui successit eius frater Alexander I (1801-1825).

Hoc tempore Lisowskyj multum agebat cum Legatis Apostolicis J. Litta (1796-98) et Th. Arezzo (1802-1803) de melioratione sortis Ecclesiae Unitae et restauratione Metropoliae Kioviensis. Sed Nuntii seu Legati Apostolici Litta et Arezzo Heraclio Lisowskyj diffidebant, praesertim eius propositioni adducendae ad Unionem catholicam Ecclesiae Moscoviticae, in fundamento propositionum Universitatis Sorbonensis anno 1717, Petro I, Czaro Moscoviae factis.

Anno 1803 Lisowskyj peregrinationem plurium mensium in Terram Sanctam fecit, quae Legato Th. Arezzo displicuit, quasi legem residentiae violasset, dum eius praesentia in dioecesi erat necessaria. Post suum redditum iterum Lisowskyj de melioratione sortis Ecclesiae Unitae apud Aulam Petropolitanam agebat, tum pro creatione separati Departamenti Ecclesiastici pro Unitis, tum pro restauratione Metropoliae post obitum Theodosii Rostockyj (I, 1805), tum multa in favorem Cleri saecularis in Imperio Rosiaco egit, etsi cum Regularibus nihil obtinuit ob novam litem.

Tandem anno 1806 (24. VII) Alexander I dignitatem metropolitanam

restauravit et Heraclium Lisowskyj in « Metropolitam Ecclesiarum Unitorum in Rossia » nominavit. Sed Lisowskyj approbationem Sedis Apostolicae procurare usque ad suam mortem non valuit, in parte etiam ob tristem sortem Sedis Apostolicae, temporibus Napoleonis I, Imperatoris, quam impossibilitatem plures Auctores spiritui gallicanico Lisowskyj adscripserunt, ob eius projectum Sorbonicum an. 1717.

Heraclius Lisowskyj, ut Metropolita, multum pro Ecclesia sua, Clero et Populo fecit; eius cura Seminariu姆 dioecesanum anno 1806 stetit, et usque ad mortem Gubernium Rossiacum exposcebat, ut Ecclesiae Unitae plenum favorem et protectionem concederet.

Obiit Heraclius Lisowskyj die 30 Augusti 1809, annorum vitae 75, in monasterio Onufreiensi, Abbatiali. Sepultus est in Strunie, prope Polociam, antiqua Residentia Archiepiscoporum Polocensium. Sedem suam Metropolitanam Gregorio Kochanowicz reliquit, quem in episcopum promovit (1806).

Heraclius Lisowskyj erat Vir operosus, Ecclesiasticus indefessus, Administrator optimus, de Ritu unito et Unione ecclesiastica Programmator insincabilis.

BIBLIOGRAPHIA: HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862; PELESZ J., *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, II, Wien 1880; LIKOWSKI E., *Dzieje Kościola Unickiego na Litwie i Rusi w XVIII i XIX stuleciu*, Warszawa 1906; THEINER A., *Die neuesten Zustaende der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1941; PIERLING P., *La Russie et le Saint Siege*, Paris 1912. V; SOLOWIJ M., *De restitutione Metropoliae Kiovensis in Imperio Rossiano sub Imperatore Alexandro I (anno 1806)*; in « Analecta OSBM », sec. II, vol. I, 224-248, Romae 1950; SOLOWIJ M., *De reformatione Liturgica H. Lisowskyj*, Romae 1952; NAZARKO I., *Kyjivski i Halycki mytropolity: Biografični Narysy (1590-1960)*, Rym 1962; TOLSTOJ D.A., *Rimskij katolicizm v Rossiji*, St. Petersburg 1876, II, etc.

A.G. WELYKYJ, OSBM.

## DOCUMENTA ROMANA BIOGRAPHICA

### I.

*Petropolis, 24. VII. 1806.*

*Alexander I nominat Heraclium Lisowskyj Metropolitanum Unitorum in Russia.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 483rv; vol. 18, fol. 477C.

MUH, vol. VII, pag. 301, nr. 137,2.

Copie. Ukas au Sénat dirigeant.

Nous nommons très gracieusement le Président du second département du Collège Ecclésiastique Romain Catholique, l'archevêque de Polosck Héraclius Lissowski, Métropolitain des Eglises Unies en Russie, avec tous le priviléges et prérogatives qu'avait le Métropolitain Rostocki (f. 483v) d'après les règles de l'Eglise Unie, et les Bulles qu'ont été données dans le tems différents.

Donné à Saint Pétersbourg, le 24 juillet 1806.

ALEXANDRE

Contrasigné: Ministre de Justice,  
Prince Lopouchin

### II.

*..... VIII. 1807.*

*Excerpta ex Relatione Legati Apostolici Thomae Arezzo de sua legatione, cap. IX: Diocesi di Polock.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 317-8.

ASV, *Polonia-Russia*, vol. 342, fol. 345...

MUH, vol. VII, pag. 320-322.

ROUËT DE JOURNEL, *Nonciatures de Russie*, IV, p. 449-496.

### DIOCESI DI POLOCK.

1. Polock é la capitale dell'antico palatinato di questo nome, posta nella Russia Bianca. Comprende questa diocesi il palatinato di Polock e di Smolensko, e di Mscislavia, ed ora anche il governo, ossia provincia di Mohilovia e di Witepsk.

2. Mons. Eraclio Lissowski, fatto Vescovo nel 1784, presiede a questa chiesa col titolo di arcivescovo. Egli è un poco attaccato alla Santa Sede, molto contrario alla sua (f. 317v) congregazione Basiliana, di cui ha ridotto a nulla tanti e tanto numerosi monasteri esistenti nella sua diocesi, ed è creduto sospetto della Santa Unione e alquanto propenso alla religione dominante in Russia. Questo è almeno il concetto, che si aveva di lui.

3. In una sua lettera, direttami al mio arrivo in Pietroburgo, protestava in parole dell'attaccamento e sommissione alla S. Sede; concepiva col mio mezzo delle ottime speranze per il vantaggio di tutti i Greci-uniti, e massime della sua diocesi, formava devoti per la riunione delle due chiese, e implorava il mio appoggio in vari interessi della sua chiesa, che si proponeva di far incamminare per mezzo di un suo procuratore spedito espressamente in Pietroburgo...

4. Fra le petizioni avanzatemi da quell'arcivescovo Lissowski eravi quella, che riguarda la necessità di avere un suffraganeo per accorrere ai bisogni spirituali di quella vasta diocesi, e a motivo dell'avanzata sua età, e de suoi incomodi di salute. Sollecitava egli perciò la promozione e l'istallazione del sacerdote greco D. Gregorio Kochanowicz, suo Vicario generale. Dall'Imperatore (f. 318) Paolo I era stato questi già designato a tal suffraganeato sotto il 3 agosto 1798, e dal signor Cardinal Litta se ne cominciò, e quasi terminò il processo. Insorse quindi qualche dubbio intorno alle sue qualità e sentimenti, e l'affare restò sospeso. Le più accurate informazioni però da me prese intorno a lui al mio arrivo in Russia dileguarono questi dubbi, e mi diedero una vantaggiosa idea del soggetto. E di fatti la diocesi di Polock, nell'assenza dell'arcivescovo, venne regolata con saviezza, e godeva sotto il suo governo di una tranquillità, che non aveva goduta per lo innanzi. Onde ciò, che può forse mancare al Kochanowicz per parte della scienza, non essendo egli molto istruito, pare che sia bastantemente supplito per parte della prudenza e savia condotta. E ben vero però, che gli osta sempre l'eccezione di non essere monaco Basiliano. Mi venne supposto, che il suo arcivescovo gli avesse fatta fare la professione dopo alcuni giorni di noviziato, ma questa essendo nulla, avrà sempre bisogno delle necessarie pontificie dispense. È stato egli ammogliato, ma cum unica, et vergine.

5. L'arcivescovo di Mohilovia<sup>82</sup>... di separare gli affari de' Greci (f. 318v) da quelli de' Latini, e di comettere il processo di quel suffraganeato ad uno de' vescovi greco-uniti. Trovò questo conveniente, e secondo anche i suoi principi, e la pratica della Chiesa Greca, che codesto processo fosse ad uno de' vescovi

---

<sup>82</sup> Archiepiscopus Mohiloviensis latinus, Stanislaus Bohusz Siestrzencewicz (1782-1825): antea tit. Mallensis (1773-1782); cfr. *Enc. Pow.*, vol. 23, pag. 447-9.

Greci, come erasi già commesso a Mons. Bulhak, vescovo greco-unito di Bresta. La tardanza de necessari documenti per la formazione del detto processo ne fece ritardare il compimento, che ebbe luogo dopo la mia partenza da Pietroburgo. Venne questo diretto da Mons. Bulhak all'arcivescovo di Mohilovia, che lo ritiene tuttora nelle sue mani.

6. È qui da osservarsi, che dopo la morte di Mons. Rostocki, Metropolita de' Greci uniti, l'attuale arcivescovo di Polock, per disposizione del Sinodo Ruteno di Zamoscia, resta amministratore nato della vacante metropolia, con tutte quelle attribuzioni e diritti, che a tenore della bolla di Unione di Clemente VIII sono annessi a una tale dignità. L'arcivescovo Lissowski potrà senz'altra formalità consagrare ed istallare il nuovo suo suffraganeo Kochanowicz. Questo arcivescovo in seguito è stato designato dal governo Russo alla vacante metropolia, ed una tale destinazione avrà luogo, quando cessate le attuali circostanze sarà il detto arcivescovo approvato ed istallato dalla Santa Sede a tenore della suddetta bolla di Clemente VIII. La diocesi di Polock ha molto sofferto ne' passati tempi per la diserzione di molte popolazioni passate o alla religione dominante, o al Rito Latino, come si vedrà altrove.

#### 7. STATO DELLA DIOCESI DI POLOCK (f. 319)

Congrua della mensa episcopale in beni stabili, rubli .....	18.000
Chiese parrocchiali.....	445
Preti secolari .....	452
Servi addetti ai villaggi del clero secolare ....	600
Capitali di detto Clero valutati in rubli .....	2.000
Reddite annue di detto Clero, rubli .....	3.100
Cattolici, maggiori dell'età pubere, numero.....	568.787
Monaci Basiliani: monasteri 22; religiosi .....	133
Monache Basiliane: monasteri 3; religiose .....	30
Servi addetti ai villaggi di tali monast. di due sessi .....	6.021
Capitali de' medesimi, rubli .....	111.452
Rendite annue de' medesimi, rubli .....	27.621

(Legatus Ap. – Thomas Arezzo)

#### III.

*Petropolis-Roma, .... VIII. 1807.*

*Excerpta ex Relatione Legati Apostolici Th. Arezzo, cap. XVI: Affari delle diocesi greco-unite.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 333-339v.  
MUH, vol. VII, pag. 337-338, nr. 146.

31. La metropolia de' Greci uniti si stendeva sotto il regno della Polonia sopra tutta la Russia Rossa, che ha per confine al Levante il Nieper, e a mezzodi il Niester, e Monti Karpacki, e contiene tre grandi provincie, la prima è la Russia propria, che si divide in due palatinati: 1º di Russia, che ha Leopoli per capitale, città abitata per la maggior parte de' Greci e Armeni. 2º di Blesko, che ha la capitale dello stesso nome. La seconda provincia della Russia Rossa è la Volhinia, che si divide in Alta e Bassa. L'Alta Volhinia è il palatinato di Luck, e la Bassa Volhinia il palatinato di Kiovia (f. 339v). La terza provincia della Russia Rossa è la Podolia, che si stende lungo il Nieper ed il Bog, e si divide similmente in Alta e Bassa. L'Alta Podolia è il palatinato di Kamieniek, e la Bassa Podolia forma parte dell'Ucraina.

Questa metropolia conteneva eziandi tutta la piccola Russia Bianca, compresa nel Gran Ducato di Lituania, che si divide in sei palatinati: 1º di Novogrodek, detto ancora la Russia Nera, con una piccola città dello stesso nome; 2º di Bresta, detto anche la Russia Lituana, situata a mezzodi del primo palatinato, ed ha sul Bug la capitale del nome stesso; 3º di Minsk, a settentrione del primo palatinato, e prende il nome della capitale; 4º Mtsislaw, che è la parte della Lituania più interna nella Russia ed ha la capitale del medesimo nome; 5º di Witespk, che ha la capitale del nome stesso tra le paludi; 6º di Smolensko e di Polock, etc.

In tutte queste immense provincie e palatinati di Russia Rossa, della Russia Nera, della Russia Lituana, e della piccola Russia Bianca, esercitava il metropolita greco-unito la sua giurisdizione metropolitica sotto l'antico regno della Polonia. Ed ecco la vera ragione, per cui nelle bolle pontificie anche in tempo di Benedetto XIV davasi a questo metropolitano il titolo de Metropolita di tutte le Russie.

(Mosgr. Thoma Arezzo)

#### IV.

*Luck, 3. VI. 1807.*

*Ex Informatione episcopi Luceoriensis Stephani Levinskyj de rebus catholiconum Ritus Graeci-rutheni in dominio Russiae.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Moscova, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 570.  
MUH, vol. VII, pag. 343, nr. 147.

Notitia de rebus Ruthenorum sub dominio Russiae existentium, sub die 3 iunii 1807 anno, ab Ill.mo D.no Stephano Lewinski, episcopo dioecesis Luceoriensis, Romam mandata (forsan Jordano Mickiewicz, Procuratori).

1. Ill.mus Heraclius Lisowski, archiepiscopus Polocensis, decoratus ordine S. Annae, declaratus Praeses Consistorii Graeco-Catholici super negotiis Ruthenorum, et nominatus metropolita cum omnibus iuribus et privilegiis

defuncti metropolitae Theodosii Rostocki ab imperatore Russiae Alexandro I, videns necessitatem consecrandi in episcopum R.dum P. Dominum Gregorium Kochanowicz, ab octo annis nominatum suffraganeum, nec valens propter nota S. Sedi Apostolicae Romanae impedimenta hic et nunc recurrere ad eamdem pro confirmatione sui in dignitate metropolitana sub die 11 Aprilis 1807 anno emisit professionem fidei iuxta formam in Synodo Zamostiana praescriptam, in praesentia Cleri et Notarii Apostolici, una cum iuramento et sponsione obedientiae Summo Romano Pontifici, et, hoc facto, qua nominatus metropolita et administrator metropoliae sede vacante, tam in spiritualibus quam in temporalibus, iuxta titulum V Synodi Zamoscianae « De Metropolitano », debuit accedere ad consecrationem supradicti Suffraganei in assistentia duorum episcorum, probabiliter Latini Ritus.

(Episcopus Luceoriensis-Stephanus Lewinskyj)

**EPISTOLAE HERACLII LISOWSKYJ**  
**Metropolitae Kioviensis**  
**(1806-1809)**

---

1.

*Orša, 29. VII. 1780.*

*H. Lisowskyj, Archimandrita Onufreiensis ad Archiep. Polocensem J. Smogorzewskyj petit consilium quid sibi agendum cum Mandato Gubernii insti-tuentis Consistoriorum Polocense.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Moscova, Polonia e Ruteni*, vol. 14, fol. 171rv.

Epistola Rmi P. Heraclij Lissowski, Archimandritae Onufrien., Officialis Rohaczovien. ad Archiepiscopum Polocensem.

Orsa, 29 Iulij, v.s., 1780, novi styli 9 Augusti (f. 171).

Ill.me, Excell.me et R.me Domine, Protector Maecenas Amplissime.

Intimatum mihi, et simile R. Patri Officiali Mscislaviensi<sup>ss</sup> a Cel.mo Co-mite Mandatum summo nos maerore ac timore affecit, exinde quoniam exigit a nobis id, quod nec de Jure, nec ex Officio nobis imposito pertinere valemus; tam repentina icti fulmine, decrevimus in Onufrey mittere ad Excell.m Vestram, expetendo consilium, atque mandatum expectando, quid nobis voluntate Monarchica obstrictis faciendum; deliberamus utique quid agendum; non enim accedere ad publicandum in ecclesijs Mandatum, jam in omnibus totius Gubernii Cancellariis publico denuntiatum; timendum est, ne ejusmodi progressu exilium nobis comparemus, aditumque demus ejus generis homini-bus, qui non modo facile illud publicationi tradere, verum etiam plurimas novitates proprio arbitrio inducere promptissimi exteterint; publicare autem arbitrio inducere promptissimi extiterint; publicare autem absque consensu Excellentiae Vestrae imprudentissimum esset, licet nobis videtur viderique cuilibet debetur, quod ob non adimpletam in solis tantummodo ecclesiis

---

<sup>ss</sup> Agitur tunc, ut videtur, de creatione s.d. Consistorii Polocensis, tribus constans membris: H. Lisowskyj, Innocentius Milanowskyj (ab anno 1780 electus in Cap. Torokanensi Provincialis Albae Russiae) et Ambrosius Kiryatt (ibidem electus Protocon-sultor), postquam Jasoni Smogorzewskyj reditus in Moscoviam prohibitus fuit. Officialis Mscislaviensis erat, ut videtur, Ambrosius Kiryatt.

publicationem, Excellentia Vestra non retinebit praesentem Pastoratum, a quo per Serenissimam Imperatoriam Majestatem factus est liber. In tali rerum tempestate velit Excellentia Vestra suo nos quantocius sublevare consilio; siquidem praeter factam in scriptis commendationem, oretenus Comes Vicarius ante aliquot dies, in Praedio Lopacin Ill.mi Siestrzencewicz<sup>84</sup> prandens, nobis ibi tunc praesentibus injunxerat, ut fundemus novum Consistorium, et relationem de singulis in Mandato expressis punctis quantocius eidem faciamus; expectamus igitur sine mora Resolutionem ejus generis, qua neque Aulam offendamus, nec nobis, nec Ecclesiasticis nostris detrimentum afferamus. Annecto hic Relationem eorum, quae super hac materia alicubi audiveram, et Pastorales paeosculando manus, permaneo.

Ill.mae, Excellentissimae et R.mae Dominationis Vestrae (f. 171v)  
humillimus Servus

HERACLIUS LISSOWSKI, Ordinis S.B.M. Archimandrita Onufriensis.

Orsae, 29 Iulij, 1780 Anno.

P.S. – Pater Milanowski si in Capitulo reperitur, acceleret suum ad Nos redditum, ita omnes consulunt, ut saltem primam Comiti Relationem subscrivat.

## 2.

*Polocia, 13. XII. 1784.*

*Heraclius Lisowskyj ad Nuntium Varsaviensem et Legatum Pontificium scribit expetendo auxilium et protectionem.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 592rv.

Illustrissime et Excellentissime Domine.

Mea erga Sanctam Romanam Sedem Summumque Pontificem reverentia, norma mihi est ad prosequendos maiori quo decet cultu Suae Sanctitatis Legatos.<sup>85</sup>

Quod vero litteris 8 Decembris anni currentis Varsavia ad me datis Excellentia Vestra humanissime nuntiare dignata est, sibi a Summo Pontifice Pio VI apud Rempublicam Polonam legationis munus commissum esse, id meum obsequendi studium reverentiamque erga Excellentiam (fol. 592v) Vestram non mediocriter adauget. Quo vero certo certius est, non Excellentiam Vestram mea, sed me illius ope indigere, eo maiori gratitudine exhibitas mihi suppetias excipio ferventiusque Suae Excellentiae tutelam rebus meis

<sup>84</sup> Stanislaus Bohusz Siestrzencewicz, Archiepiscopus Mohiloviensis latinus (1782-1825); antea tit. Mallensis (1773-1782); cfr. notam 82.

<sup>85</sup> Nuntius Varsaviensis Ferdinandus Maria Saluzzo (1784-1794).

imploro. Qua mearum partium erunt quoties tulerit occasio me muneri non defuturum, semperque cum sincero cultu ac reverentia permansurum profiteor.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Patroni Colentissimi, humilis Servus et Praecator

Polociae, 1784, die 13 X-bris, v.s.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

### 3.

....., 1784-5.

*H. Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis, de instantiis Metropolitae Kiovensis Smogorzewskyj de parte sua eparchiae, quae in Polonia remansit.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 548-549r.

(*In margine*): Eclaircissement del'Archeveque Uni de Polock Lisowski au sujet du desir mal fondé du Metropolitain Smogorzewski de demembrer dela Cathedrale d'ici une partie del'Archevechë de Polock qui est restée sur le territoire de la Pologne.

Mr. le Metropolitain Smogorzewski si derant Archeeveque de Polock a joui passiblement et sans aucun empêchement du coté dela Pologne même après la reunion dela Russie Blanche a l'Empire de Russie de Biens situés en Pologne et appartenants par fondation a Archevechë uni de Polock. Devenu Metropolitain en Pologne il a forme le dessein de demembrer de la Cathedrale de Polock et de reunir a jamais a son Diocese la partie susmentionnée del'Archevechë de Polock restée en Pologne avec 280 eglises ayant allegués a ses amis près dela Cour de S.M. Polonoise des raisons sur les quelles il pretend fonder sa demande.

1º. Qu'il a plu a S.M.J. de faire incorporer a l'Archevechë de Mohylow du Rit Latin une partie du Clergè dela Russie Blanche qui avoit appartenu au Diocese de Vilna.

2º. Que les Biens qui avoient appartenu au Chapitre de Vilna avoient été devolus au Fisc. 8.

3º. Que les Basiliens ont été soustracts a (fol. 548v) l'autorité du Protoarchimandrite.

Mais toutes ces raisons alleguées par Mr. Smogorzewski ne peuvent nullement favoriser la réalisation de ses désirs, car: 1º S.M.J. en faisant après le démembrement dela Russie Blanche reunir le Clergè d'ici a l'Archevechë de Mohylow n'a fait qu'user du droit de Souveraineté. 2º Quant au Chapitre de Vilna comme il n'a pas appartenu a Mr. Smogorzewski lors même qu'il

etoit ici Archeveque il ne doit pas par consequend se croire lesé, in demander pour equivalent la partie de l'Archevechë de Polock restée en Pologne. 3º Pour ce qui regarde l'autorité du Protoarchimandrite il suffit de dire, que tous les Monarques de l'Europe ayant supprimé la charge de Protoarchimandrite a plus forte raison la Russie, on cette charge est tout a fait inconnue ne la veut pas souffrir dans ses domaines.

Ce qu'il ya deplus fort, c'est qu'en vertu del'acte séparè du Traité de 1773 il est permis aux sujets Russes de posseder de Biens en Pologne et c'est sur cette base que les Biens situés a l'Archevechë de Polock ont appartenu a l'Archeveque d'ici pendant l'espace de dix années depuis (fol. 549r) le demembrement dela Russie Blanche.

Comme donc la repartition d'un Archevechë en deux parties est une affaire trop importante pour etre achevè a l'insçu et sans la participation del'Autorité Supreme que dans la suite de tenus? elle peut faire naitre des Contestations et des disputes inutiles, et que d'ailleurs cet Archivechë est ancien et de la fondation Russe, et non pas Polonoise, c'est pour quoi l'Archeveque actuel uni dela Russie Blanche supplie S.M.J. de vouloir bien le retablir dans la possession des sus dits Biens d'autant plus, qu'a la Diete actuelle Mr. le Metropolitain Smogorzewski tache de se procurer une Constitution pour se maintenir dans la jouissance de Biens en question.

Signé: HERACLE LISOWSKI, Archeveque des Eglises Unies

#### 4.

*Polocia, 2. I. 1785.*

*Heraclius Lisowskyj ad Nuntium Varsaviensem de mittendis Romam duobus Alumnis ex Archieparchia Polocensi.*

ASV, *Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 594-195r.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, D.ne Mecaenas Amplissime.

Non latet fortasse Suam Excellentiam, quantas post discessum Ill.mi Metropolitani ex hac Dioecesi Polocensi, in Imperio Rossiaco sitae, Noster Graeco-Catholicus Ritus expertus est iniurias atque persecutiones ita, ut nulla spes nobis erat, si aliquando ex tam gravi infelicitate eliberemur, et ideo, pressi tanta afflictione, tantoque moerore per quadriennium sine Pastore afflitti, instituto Sanctissimi Domini Nostri, in mittendis Romam duobus Archidioecesos Polocensis Clericis, satisfacere tantisper dissimulandum esse putavimus. Dei tandem Omnipotentis, Qui pro Sua iustitia diu castigando peccata nostra, tandem velut misericordiarum Pater misertus est, populumque suum moerore afflictum consolatus, clementia atque (fol. 594v) Sanctissimi

Domini Nostri Pii PP. VI, Ecclesiam Christi feliciter ad praesens Gubernantis, cura et erga religionem in nostro Graeco-Rutheno Ritu Catholicam summa contentione ac solicitudine ad praesuleam huius Dioeceseos Polocensis evectus dignitatem, omnem diligentiam adhibeo, ut in his praecipue partibus meae humilitati commissis ovibus, utpote inter Graecos adhuc non-Unitos (sed utinam cura Sanctissimi Domini Nostri quam primum uniendos oculis Nostris intueamur, ut ex saepissima cum ipsis et maxime cum Episcopis eorum conversatione animadvertisimus proximos esse, et intime Sanctam Unionem affectantes) versantibus, digni operarii in Vinea Christi efficiantur. Quem in finem Sanctissimus Dominus Noster p.mem. Clemens XIV, adhuc 1774 anno, duobus ex Dioecesi Polocensi clericis in Collegio Romano Propagandae (fol. 595r) Fidei, ut pro strenua salutis animarum, Fideique Catholicae tutione, altioribus litteris sedulam dent operam, locum designavit. Qua de causa, haud retardando, ut effectum talis gratiae mea cum Dioecesi consequar, obstrictum me existimo, duos honestis de parentibus, nempe, Vincentium Szumski et Joannem Pawlowski,<sup>86</sup> iuvenes, transmittere, enixissimis precibus Suam Excellentiam implorando, ut hi Summa Ipsius commendatione ad coetum applicantium ibi adnumerati, scopum suae vocationis his in Regionibus viriliter deservituri, assequantur.

Deum T.O.M. assiduis orationibus exposco pro felici statu Sanctae Romanae Ecclesiae, utpote indignus et vere fidelis Eius Filius atque

Illustrissimi, Excellentissimi Domini, Mecaenatis Amplissimi, humillimus Servus et Praecator.

Polociae 2 Januarii, 1785 Anno.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiep.pus Polocensis.

(fol. 594, in margine): Recepta 12 febr. 1785.

## 5.

*Polocia, 16. II. 1785 v.s.*

*H. Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis, litteras dat suo Clero et populo fideli, parans suum iter in Crimeam, ad paranda loca pro monachis suis. Petit orationem et Moleben pro sua persona et pro Pontifice.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 560rv-561rv (copia).

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 15, fol. 565-566.

<sup>86</sup> In elenchis Collegii Graeci et Urbaniani non invenitur nisi Joannes Pawlowskyj, Alumnus Coll. de Prop. Fide; qui ingressus est Collegium anno 1786 (seu iuramentum fecit) die 26 Augusti, proveniens ex Archidioecesi Polocensi. Cfr. D.M. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian and Bielorussian Students in the Pont. Coll. Urbaniano de Prop. Fide (1627-1846)*, in «Analecta OSBM», vol. IX (1971), pag. 220. Vincentius vero Szumskyj deest.

Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis, Vitebsensis, Orszanensis et Mohiloviensis Episcopus, Archimandrita Onuphriensis, toti Clero saeculari fideli et curae nostrae pastorali concredito, salutem et benedictionem.

Pars Dioecesis Archiepiscopal Polocensis, tum etiam quando noster Ill.mus Antecessor in iurisdictionem ecclesiarum hoc cordone comprehensarum non influebat, ab eodem auctoritate et nomine Archiepiscopi Polocensis administrata fuit; potestas etenim manendi circa cathedram Polocensem, in absentia eiusdem, data fuit R.mo in Christo Patri Caesario Czudowski, Ord. S. Basilii M., Archimandritae Boriso-Glebensi,<sup>87</sup> et Perillustri Adm. R.do Timothaeo Pawloski, Auditori nostro;<sup>88</sup> isque, licet manens in cordone Russico, eadem potestate utebatur, quoad Clerum Polocensem in Polonia degentem, (fol. 560v) qui usus non aliud denotabat, nisi iustum ac legitimum vinculum cum nostra hac Cathedrali. Tale vinculum per nominationem meam non modo conservatum, sed etiam confirmatum esse videtur, unde, licet ardens meum fuit desiderium Vos, charissimi fratres et Filii, prius alloqui et certiores reddere omnes, quod ex miseratione divina, ex gratiosa Serenissimae Imperatricis,<sup>89</sup> feliciter nobis dominantis, providentia et ex Suprema Sedis Apostolicae confirmatione, officium pastorale humeris Nostris impositum habendo, nihil magis exoptemus, quam providere omnibus de mediis ad salutem necessariis. Nihilominus iter cum Celsissimo Principe Potemkin, exercituum Russiae Feld-Mareschali in Krymeam, fine videndi ibi loca, pro fundatione nostrorum Monasteriorum apta, susceptum, atque ex causa eiusdem itineris contracta gravis et longa infirmitas et ex utraque hac ratione dilata, sed debita Maiestati gratiarum actio (ante cuius obligationis adimpletionem non visum nobis (fol. 561r) fuit publicare Nostram Iurisdictionem); hic primus passus per quem pastor propria voce se declarat suis ovibus suspensus extitit. Si officii mei est paterne vos admonere de conservando eo omni, quod ad augmentum gloriae divinae et virtutum christianarum, ad observantiam legis ecclesiasticae et disciplinae spectat, tum vos, charissimi Fratres et Filii, sentire onus debetis audiendi vocem Pastoris. Prima omnium res est, quam a Vobis desidero, ut receptis his litteris nostris, prima arrepta occasione et

<sup>87</sup> Caesareus Czudowski, Archimandrita Polocensis, qui post resignationem J. Smogorzewskyj hanc rexit Archimandriam ab anno 1774 et officium vicarii archieparchiae explebat. (Cfr. *Epistolae Metropolitarum Kiovienorum catholicorum*, vol. 8 pag. 160).

<sup>88</sup> De quonam Thimotheo Pawłowski agitur, an Basiliano, an vero sacerdoti saeculari – nescimus.

<sup>89</sup> Imperatrix Moscoviae Catharina II (1763-1796), quae anno 1784 consecrationem Heraclii Lisowskyj in Archiepiscopum Polocensem permisit.

congregato populo Missam de Spiritu Sancto absolvatis, offerendo eandem pro impetratōne nostrae imbecilitati gratiarum et donorum Spiritus Sancti ad hoc, ut utiliter possimus adimplere nostras obligationes pastorales. Quemadmodum vero erga Romanam Petri Sedem et erga Vicarium Christi ac Petri Successorem Pium VI, Episcopum Romanum, qui, qua universalis Pastor de Ecclesiis nostris, sede vacante, sollicitas non omittebat curas, nec non erga Maiestatem Polonam, quae easdem curas Sanctissimi Patris adiuvabat, quemadmodum, inquam, (fol. 561v) corda plena gratitudinis portare debemus, ita, pro felici tam Sanctissimi Papae Pii VI, quam Serenissimi Stanislai Augusti Regimine, ut ter solitas preces *Moleben* per tres dies festos consecutivos in omnibus ecclesiis, tam saecularibus, quam regularibus Dioecesis Nostrae absolvatis, exoptamus ac distincte praecipimus.

Datum ad Cathedram Polociae, die 16 Februarii, V.S., 1785 anno.

HERACLIUS, Archiepiscopus Polocensis.

## 6.

*Strunie, 8. II. 1786.*

*H. Lisowskyj ad Jasonem Smogorzewskyj, Metropolitanum Kioviensem, de puritate Ritus Rutheni et epuratione a variis introductionibus latinis; se iustificat de modis suis celebrandis.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 568r-570r.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, N.N. (alia traductio).

*In margine:* Traductio litterarum Ill.mi Heraclii Lisowski, Archiepiscopi Polocensis, ad Exc.mum D.num Jasonem Smogorzewski, Metropolitam totius Russiae, de 8 Febr. 1786, ex Strunie.

Pergenti mihi ad Ill.mum D.num Zaba,<sup>90</sup> Palatinum Polocensem, accidit in Monasterio Hlebo-Borisensi legere litteras Excellentissimae D.V. ad Rev.mum Abbatem<sup>91</sup> datas, quibus mediantibus iubet sibi relationem fieri, quomodo et in quo ego caeremonias ecclesiasticas contra Synodi Zamoscianaē constitutiones haud observem. Ad quod egomet ipse, tamquam optime intentionis finisque operationum mearum gnarus, opportunum duxi respondere Dominationi Vestrae Exc.mae eandemque plene informare.

Synodus Zamosciana, licet nonnullos Ritus antiquos Ecclesiae Nostrae immutaverit, nihilominus a Sede Apostolica cum hac clausula approbationem

<sup>90</sup> Thaddaeus Zaba, Palatinus Polocensis (1784-1785).

<sup>91</sup> Forsan agitur de Archimandrita Polocensi, Caesareo Czudowski, qui devenit Archimandrita, anno 1774.

obtinuit: «Approbamus non derogando antiquis». – Caeremonias tamen in Missae Sacrificiis et in administratione Sacramentorum antiquas observari iussit, atque ideo Metropolitano commendavit invigilare, quatenus fine observandae uniformitatis (fol. 568v) Ritus Ecclesiastici in tota Hierarchia, confiat Euchologium illudque pro examine et approbatione Sedi Apostolicae porrigit. En ergo post Synodum talia Missalia, Pontificalia et Ritualia Supraslili confecta, quae si Roma videret satius reprobaret, quam approbaret eadem, dum cum Euchologio Romano,<sup>92</sup> quod r.f. Benedictus XIV in suis Encyclicis quae incipiunt: «Allatae sunt»,<sup>93</sup> commendat his verbis: «Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos, Venerabiles Fratres, certiores faciamus, absolutum iam esse opus correctionis Graeci Euchologii post diuturnum rerum omnium examen, accuratissima castigatione emendatum, ideoque Vos hortemur, ut hoc potissimum in Sacris Actionibus adhibeatis».

Quod Euchologium et ad Nostros Episcopos Roma transmissum fuisse non ignoro, idque non alio profecto fine, nisi ut in Caeremoniis Ecclesiasticis eidem Nos conformemus. Cum itaque dicta Missalia, Pontificalia et Ritualia cum praefato Romano Euchologio conferemus ac praeterea in supradictis Encyclicis (fol. 569r) etimologiam antiquarum Caeremoniarum Nostrae Ecclesiae diligenter considerabimus, pudebit Nos nimis nostri novi Ritualis Suprasliensis et praecipue conversionis ad populum cum expansione manuum ad haec verba: «*In saecula saeculorum*», translationis Missalis ex loco ad locum, omissionis Introitum, translationum calicis atque etiam ipsorummet *pacificorum* nec non aliorum, ut ita dicam, mirabilium, de quibus totum librum edidit Advocatus Romanus Rodotta, vocando has nostras novas Caeremonias *spurium Ritum*; anterius vero, Goar, librum Ritualem Nostrorum Basiliatorum in Occidente viventium, quorum vestigia Nostri sequuntur, pulchre nimis laudavit in notis in Missam S. Chrisostomi: «Septimum, inquit, Rituale, suo S. Basilii Monachi in Occidente utuntur, quod quamvis ab errore aut suspecto cultu, non tamen a novitate quadam inducta pro affectata ab ipsis maiore cum Latinis conformitate, alienum est censemendum».

Si adhuc id nostrum carum Rituale non praeberet magnum scandalum rudi populo et ab Unitate Sancta eundem (fol. 569v) non arceret, quemadmodum et Dominatio Vestra Exc.ma in Ukraina experitur, possemus adhuc ad aliquod tempus illo uti, sed cum ego plurimas ecclesias, vacante Sede, ex causa huius Ritualis ad non-Unionem avulsas non sine dolore cordis video, constitui non utendum ulterius eodem in hisce oris, tamquam non appro-

<sup>92</sup> Euchologium Romanum auctore J. Goar, editum anno 1751.

<sup>93</sup> Littera Encyclica «Allatae sunt» Benedicti XIV, edita die 26.VII.1755; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 158-161, nr. 746.

bato, *data prius de hoc notitia Sedi Apostolicae*. Subtaceo hic quantum erubescere cogor ad quamlibet interrogationem Magnatum, qui Ritum Ecclesiae Dei bene intelligunt, in quibus fundamentis hae novitates ad Unitos introductae, cum nequeam me defendere neque auctoritate SS. Patrum neque Constitutionibus Synodi Zamosciana, quae quoad traditionem SS. Patrum omnia fideliter observanda preecepit Titulo 3º «*De Sacramentis*», sperando quod etiam Metropolitanus, quem obstrinxit, novum Rituale imprimi iubebit, illudque suis Ecclesiis observandum fideliter tradet. En igitur ego, qui absolvo Divina Ritu a SS. Patribus constituto et in Euchologio Romano descripto, non aliud intendo, nisi (fol. 570r) ut relinquam non-Unitis id loquendum dumtaxat, quod Uniti differant ab iisdem *Oratione* tantum pro Papa Romano et additione ad Symbolum «*Filioque*», non autem ut dicant de Nobis, quod non simus nec Romani nec Graeci.

Clare itaque me explicando, do meum consilium Excellentiae Vestrae, quatenus ad maiorem utilitatem Ecclesiae Sanctae et ad nostram existimationem, exclusis omnibus novitatibus ex Ritu, quem tenemus, ad mentem Synodi Zamosciana, Euchologium consone cum Romano componi quantocius iubeat, adimplendo id, quod Antecessores sui adimplere neglexerunt. Circa praemissa habeo honorem me subscribendi.

(HERACLIUS LISOWSKI)

## 7.

*Polocia, 22. II. 1786.*

*Heraclius Lisowskyj ad S. Congregationem de Propaganda Fide de suo modo epurationis Ritus a latinismis, ad mentem Euchologii Goariani et instructionum Benedicti XIV.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 70, fol. 302r-304v; *copia*: Ib., vol. 149, fol. 546r-547v.

Eminentissimi Domini.

Cum primis adhuc Septembbris anni elapsi 1785 iteratas supplices litteras meas ad S. Sedem Apostolicam dederim, humiliter expetens permissionem corruptelas, quae in Ritum nostrum ac praesertim in sacras caeremonias Missae, incuria atque inscitia nostrorum, sensim irrepere, reformati, nullam tamen ad usque resolutionem obtinui, vehementer suspicor hasce litteras meas ab adversariis meis interceptas esse; quare easdem iterum hic adiungo ita, ut scriptae erant, in modum sequentem:

Ex quo Petropoli primas litteras meas scripsi, non licuit per tempus, aliis distento, integre exponere, quae me permoverant Sanctae Sedi Apostolicae supplicare, ut mihi benigne permitteret adiuvarerque abusus, qui in Ritum nostrum a tempore Zamosciana Synodi, et vel maxime in Sacrae

Missae caeremonias irrepserunt, reformare. Evidem Synodus Zamosciana, *Tit. 3º De Sacramentis*, decernit caeremonias a Patribus sibi traditas esse retinendas, at in hoc secum ipsa pugnat, cum plures easque antiquissimas tum ibidem in sequentibus decretis tum alibi tollit, unde etiam conditionatam nonnisi S. Sedis Apostolicae, prout f.r. Benedictus XIV in sua Epistola, quae incipit «*Allatae sunt*», nr. 16,<sup>94</sup> id notat, approbationem obtinuit sub hac clausula: «Ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum et Decretis Conciliorum Generalium emanatis super ritibus Graecorum».

Ninimirum Patribus (fol. 302v) huius Synodi contigit quod idem s. mem. Pontifex in Sua Encyclica, quae incipit: «*Ex quo primum*», ubi sub initium, absolutum correctionis Euchologii Graeci opus commendat, sapientissime advertit, inter alia aiens: «In iusta quippe et fallax Ecclesiaeque paci atque unitati contraria est eorum iudicandi ratio, qui latinorum tantummodo Ritualium notitiam habentes nec aliud scientes praeter ea, quae tradiderunt nonnulli ex nostris scriptoribus, nostrarum quidem rerum periti, sed Graecorum consuetudinum rudes, eiusque rationis ignari, quam semper cum ipsis secuta est Apostolica Romana Sedes, non dubitarunt in Sacris Graecorum Ritibus ea omnia dammare, quaecumque Latino Ritui conformia et consenteant non reperiebant». Atque hoc est quod eosdem Patres excusare potius quam accusare malui. Quod vero ibidem demandant Metropolitano curare componi Rituale, quo omnes Ecclesiae nostrae utantur, id quidem etsi male ad rem tamen effectum est, cur vero alterum, nempe ut hoc Rituale a S. Sede approbaretur, hactenus omissum divinare non possum; certus nihilominus sum, nunquam obtineri posse huius novi nostri Ritualis ex Graeco et Latino inepte commixti Apostolicam approbationem, cui in antecessum Jacobus Goar in notis in S. Chrisostomi Missam de corrupto similem in modum, quo Monachi Ordinis S. Basilii in Occidente iam tunc utebantur Rituali agens hanc censuram affigit: «Quamvis — inquit — ab errore aut suspecto cultu non tamen a novitate quadam inducta pro affectata ab ipsis maiore cum Latinis conformitate alienum est cendum». Cuius apud nos ita corrupta post Synodum Zamoscianam Ritualis occasione multa inter ipsos (fol. 303r) Unidos suborta scandala praesertim in rudi populo, qui in hanc diem novum istum Ritum pati neutiquam potest. Unde statim notabilis pars Ukrainae ad non-Unitos transivit, tum denuo, paucos ante annos, plus quam ad trecentas ibidem parochias hac ipsa de causa a suo Unito Pastore defecerunt, unice contra hoc clamitantes: «Nos nolumus, ut nobis Unio, sed ut Ortho-

---

<sup>94</sup> *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 160, nr. 746.

doxia nobis celebretur »; ita nimirum hunc novum Ritum detestando, ipsam Unionem, quam in novo isto Ritu unice consistentem existimant, abhorrent. Maxime vero in praesens, ubi non-Unitis iam suus Episcopus datus, timendum est, ne, ut nosco indolem populi, huius antiqui Ritus tenacissimi, tota Ukraina ad eum transeat, nisi idem antiquior Ritus in totum etiam ibi restituatur, qui utique post susceptam a Nostris Unionem anno 1596 usque ad annum 1720, videlicet ad Synodum Zamoscianam ut integre servabatur. Verum quod magis et singulariter mea interest, in mea Eparchia, sede vacante et post, plus quam centum Parochiae eadem de causa ob aversionem nempe huius novi Ritus ovile suum deseruere et nisi proposito a me medio tempestive occurratur, exemplo harum plures ad parem defectionem non uno in loco dispositae sunt.

Et haec quidem paucis retuli quoad rudem populum, apud quem impersuasum est, non idem esse antiquum Ritum et orthodoxiam, restat, ut breviter narrem, quanto rubore non semel suffundor, quoties inter Magnates Russiae Ritus non-Uniti versari me contigit, qui istas nobis novas caeremonias duriter exprobrant, uti : « Quare vos — dicunt — sub tempus Missae convertimini versus populum ad haec verba: *per omnia saecula saeculorum*, quod nec latini sacerdotes faciunt; nonne melius, et ad Latinum Ritum etiam conformius, nostri Presbyteri convertunt se ad populum (fol. 303v) sub ista verba: *Pax omnibus*, item *Gratia Domini Nostri Jesu Christi et charitas Dei et Patris et communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis?* Quare — aiunt — adhuc Graeci Uniti alibi, immo in ipsa Roma Ritum antiquum integre servant, et apud vos pro more polono ita Ritus sicut apud illos forma vestis quotannis nova excogitatur? Quippe, ut retuli, quisque etiam privatus de suo aliquid addit, vel immutat, nec est certa regula, cui adstringatur, cum etiam quot novae huiusmodi Ritualium editiones, tot ferme variationes, unde apud vulgus quoque in proverbium abiit: « *alius sacerdos, alia caeremonia* ». Hinc ulterius inquunt: « *Vester Ritus nec Latinus est nec Graecus, sed quid medium idque spurium, quia non a Sanctis Patribus acceptum* ». Immo ipse altissimus princeps Potemkin, Latinorum et Unitorum in Russia ab Augustissima Imperatrice designatus Protector, dum in ecclesia nostra sub tempus solemniter celebratae Missae aderat, postquam finitam, usque ad confusione mei summas ex Goario ineptias novi huius nostri Ritus perquam argute perstringebat, et quid ad haec reponerem certe non inventiebam, praeterquam quod me offeram daturum operam ista reformandi.

Quia vero corruptus Ritus ille tum nostris tum Latinis simplicioribus multum perplacet idque ex falsa hac persuasione, ac si esset Ritus proprius ac characteristicus Unitorum, quo ab non-Unitis discernantur, ideo sciens me cum S. Paulo doctis et indoctis debitorem esse, supplicavi et nunc iterum supplico humiliter Sanctae Sedi Apostolicae, permettere immo demandare

mihi huiusmodi abusum et corruptelam, utpote scandali plenam, de mea Eparchia quantocius tollere, alias diu has inconvenientias tolerare nullo pacto potero.

Porro Rituale nullum (fol. 304r) ego formare volo, quod scilicet revisioni et approbationi S. Sedis subiicere debeam, sed in toto Euchologium correctionis Romanae, quod nunc primum ad manus meas pervenit, assumere exopto, de quo laudatus supra s.m. Benedictus XIV in dicta Encyclica sub initium ait: « Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos, Nobiles Fratres, certiores faciamus, absolutum iam esse opus correctionis Graeci Euchologii post diuturnum rerum omnium examen accuratissima castigatione emendatum ideoque Vos exhortamur, ut hoc potissimum in Sacris Actionibus adhibeatis ».

Et quia hoc Euchologium aliunde scio in omnibus fere conforme esse Ritualibus, quibus hic in Russia non-Uniti utantur, unde praevideo sicut meum factum illis multum placere, ita a supra recognita nostri vexatione et populi ad se evocatione ex tunc cessare, neque ab Unione ita abhorrere, a qua praecipue ista corruptela Ritus animos eorum alienos usque adhuc reddiderat.

Notum est etiam Sanctae Sedi Apostolicae, quam tenacissimi sunt omnes Orientales antiqui sui Ritus; hinc quoties de Unione cum Graecis actum erat, praeprimis id sibi cavebant, ut Ritus eorum illaesus servaretur, quod et Nostri ineundo cum Sede Apostolica 1596 anno unionem solemniter sibi praecustodiverant, quemadmodum refert idem laudatus f.r. Pontifex Benedictus XIV in praefata Epistola: « Allatae sunt », nr. 14, atque hae meae iteratae preces ad S. Apostolicam Sedem de reformando in archidioecesi Polocensi Ritu.

Quantum vero attinet petitam a me dispensationem super festis, per Synodum Zamoscianam ultro congruum multiplicatis, praesertim sub tempus laborum rusticis destinatum, uti S. Joannis Evangelistae bis in anno, in Septembri (fol. 304v) scilicet et in Maio, quod Festum nec semel apud Latinos quoad populum celebratur, S. Nicolai item bis in anno: in Decembri et Maio; S. Georgii in Aprili; S. Eliae, S. Annae, SS. Romani et Davidis denuo in Lulio; Decollationis S. Joannis, Praecursoris Domini, in Augusto; inter Festa mobilia Festum Corporis Christi Domini et Dolorosae Beatissimae, tum Beati Josaphat 26 Septembris noviter per Synodum Zamoscianam constituta, quae utpote apud nos nova, plebs ad observandum nullo modo adduci potest; proinde nonnisi cum illis dispensemur periculo se peccandi continuo exponunt; atque super his potissimum facultas dispensandi per me a S. Sede expetitur, necnon super reliquis, quae primae non sunt classis et quoties iurisdictio saecularis id a me instanter requiret, conformiter videlicet ad facultatem Ill.mo Archiepiscopo Mohiloviensi latino 1777 anno, die 6 Aprilis, concessam, qui utique

in sua Eparchia paucissimos habet rusticos labori adscriptos. Cum his itaque benignam gratiam atque indilatam resolutionem Sanctae Sedis Apostolicae iterante expetens, cum profundissimo cultu maneo.

Polociae, 22 Febr. 1786.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

## 8.

*In Monasterio Onuphriensi, 1. VII. 1786.*

*Heraclius Lisowskyj ad Nuntium Varsaviensem de non receptis responsis ad suas litteras Romam missas, de praetensionibus Metropolitae Smogorzewskyj nec non obiectionibus sibi datis de non servando Synodo Zamosciana.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 606rv.

Illusterrissime, Excellentissime Domine, Protector Amplissime.

Providendo necessitati Archidioecesos Polocensis ex munere meo preces supplices ter misi ad Sacram Sedem Apostolicam,<sup>95</sup> quarum novissimum exemplar, hic inclusum, Illustrissimo, Excellentissimo Domino communico, ex quo spero patebit me pro litteris Excellentiae Vestrae Domini, quas cum summo cultu recepi, satis respondisse. Agnosco principalem causam, atque eam Excellentissimo Domino patefacio, tam missarum ad me epistolarum, quam a me ad invicem datarum adveniendi incertitudinem atque difficultatem inde quod avulsa bona Cathedrae Polocensis per Illustrissimum Metropolitanum Jasonem, me destituerunt et commoda sustentatione et habitandi Polociae ad limites Regni Poloniae consuetudine (unde facilior esset debita a me cum Sacra Sede correspondentia) adeo, ut saepius in residentia Archiepiscoporum Smolenscensium iam suppressorum permanendo, quae est medium archidioecesos meae, extra limites Imperii in magna distantia, propriis tabellariis epistolas evehere sum coactus. Arbitror caetera ad Sacram Sedem Apostolicam a me scripta Excellentiae Vestrae Domino communicationae, ex quibus apparebit nihil pro me proprio ausu, tam cum praeiudicio Synodi Zamoscianae, quam maxima autem Sanctae Matris Ecclesiae authoritatis (quamvis in gravibus necessitatibus Dioecesos meae) correxisse, statuisse (fol. 606v) aut exegui. His igitur sincerrime delatis cum piissimo cultu, ac observantia semper permanere me promitto.

---

<sup>95</sup> De rebus liturgicis H. Lisowskyj ter scripsit Romam sed, ut videtur, quaedam litterae Romam non pervenerunt.

Illustrissimi, Excellentissimi Domini, D.ni Protectoris Amplissimi, humilimus Servus et Exorator

In Monasterio Onuphriensi, 1 Julii 1786.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

(fol. 606, in margine): Ric. 22 Luglio 1788.

9.

*Ex Monasterio Onuphriensi, 28. XII. 1786.*

*Heraclius Lisowskyj ad Nuntium Varsaviensem de litteris missis et receptis; de sua reformatione liturgica quoad S. Liturgiam et Sacra menta; de melioribus conditionibus cum orthodoxis; de meliori attentione Sedis Apostolicae in scribendo de Orthodoxis; de pecuniis Metropolitani in favorem Seminarii erigendi etc.*

ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, v. 149, fol. 608r-615v.

SOLOWIJ M. M., OSBM, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj, Archiep. pi Polocensis*, Romae 1950, pag. 120-125 (partim).

Postquam primis litteris Exc.tiae V.rae Ill.mae 13 Maii anni huius 1786 ad me datis, graviter impeditus, festinantius, super quo veniam exposco, rescripsi, diu anceps haerebam, an responsum hoc meum ad manus Exc.tiae V.rae pervenerit, iamque in animo habebam ex Clero aliquem destinare mittendum Varsaviam, cum ecce alterae litterae eius 26 Augusti scriptae, cum binis ex Urbe ad me sunt perlatae,<sup>96</sup> quibus inspectis vehementer laetus sum, ubi cognovi postremas saltem meas epistulas haud interceptas commeasse Romam, quae me suspicione, ac si quid tale molirer, quod Sanctam Sedem vellem quodammodo celare, liberarunt; quare immunem me esse, ut etiam Exc.tia Ill.ma probe intelligat, explicare me praesentibus prolixius statui, ex quibus clare pateat, me cum devotissimum erga Sanctam Sedem Apostolicam constanti animo permanere, tum iusta praesentique Dioeceseos meae statui maxime necessaria iam tertio ab eadem petere; non ut haec, quae non vitiosa neque in se non reprehendenda, aut quibus religio ac pietas exercetur, sicuti Exc.tia Vestra scribit, sed quae offensioni et scandalo multis sunt ac rudem populum, inter Ritum et Fidem differentiae ignarum et hoc in puncto minime persuasum ad defectionem a Sancta Unione proxime disponunt Nostramque Ecclesiam Unitam ultra modum deformant indeque summo non-Unitorum contemptui obnoxiam reddunt, non modo permitteret adiuvaretque, verum insuper demandaret idque non soli mihi, sed omnibus nostris Ruthenis Unitis quantocius (fol. 608v) reformare.

---

<sup>96</sup> Agitur de litteris S.C. de Prop. Fide de data 29.VII.1786; cfr. *Litterae S.C. de Prop. Fide*, vol. VI, pag. 241-245, nnr. 2954-2956, Romae 1957.

Quod vero Sacra Congregatio ac V.ra Exc.tia a me requirit, ut distincte atque singulatim caeremonias seu verius corruptelas in Ecclesiam nostram noviter irreptas declarem, quas e re Catholica putarem ab eadem Ecclesia auferri, licet praecipuas in dictis litteris meis Romam datis attigerim, voluntati tamen Sacrae Congregationis morem gerens, quantum mihi in Domino videtur ajo.

Omnes illas auferendas esse, quae antiquum Ritum Graecum a Sanctis Patribus traditum et a Ruthena gente post susceptam fidem Christianam perpetua consensione in Unitorum quoque Ecclesia usque ad annum circiter 1730, alias ad aliquot annos post Synodum Zamoscianam servatum, funditus evertunt, et inepte affectata in morem simiae imitatione cum Ritu Latino permiscent, quae non legitima auctoritate inductae, nec consuetudine adeo diuturna firmatae, sed privatorum temeritate pedetentim in Ruthenam Graeco-Catholicam Ecclesiam inserptae usque adeo, ut vix remanserit aliqua ex sanctis antiquis caeremoniis, quae pro libitu horum non immutaretur aut cum contemptu non omitteretur, cuius immutationis aut omissionis nullam ab iis redi rationem aliam audies, quam quod eiusmodi caeremoniae ad substantiam Ritus minime spectant; quodsi ulterius quaeras, quaenam caeremoniae de substantia Ritus sint, non video aliud iis restare ad respondendum, quam ut hoc quaesito pressi dicant, eas solas esse, quae ad conficiendi Sacramenti valorem pertinent.

Ecce novos bellos interpretes Sacro-Sanctae Synodi Tridentinae, Canonis XIII, Sessionis VII (fol. 609r) De Sacramentis: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro arbitrio omitti aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit ». Porro antiquus Ritus Graeco-Ruthenus non modo a Sancta Sede Apostolica toties approbatus, verum et in decreto Unionis cum eadem Sancta Sede, ab Episcopis Ruthenis anno 1596 initae, solemniter cautum esse, ut idem antiquus Ritus illaesus in post servaretur et in subsequenti Paulus V, Summus Pontifex, per Breve declaravit,<sup>97</sup> non esse voluntatem Ecclesiae Romanae, intentionem aut mentem eundem antiquum Ritum Ruthenum tollere, quin immo eum benigne Ruthenis Episcopis et Clero indultum atque concessum esse, quemadmodum refert haec omnia fel. record. Benedictus XIV in sua Epistula, quae incipit: « *Allatae sunt* ».<sup>98</sup>

<sup>97</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. I, pag. 355, nr. 250, de dat. 29.V.1615.

<sup>98</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, de dat. 26.VII.1755, pag. 158-161, nr. 746.

Qui Ritus plus quam integro saeculo, post susceptam mox laudatam Unionem, utcumque illaese in tota Unita Ruthena Ecclesia servabatur, ac primum post Synodum Zamoscianam sensim coepit oscitatione nostrorum Episcoporum corrupti et pessime, inconsulta Sede Apostolica, pro libitu cuiusvis privati in dies immutari adeo, ut vix duae ecclesiae in totum conformes sibi in administrandis (fol. 609v) Divinis nunc cerni facile queant.

Quas corruptelas atque insulsas novitates, si omnes singillatim recensere vellem, deficeret me tempus enumerantem. Mandatis nihilominus Sanctae Sedis Apostolicae obtemperans, peculiares declaro, quas etiam Exc.tiae V.rae Ill.mae pro notitia exscribo quae scilicet in novis nostris Ritualibus, post Synodum Zamoscianam editis, praesertim Suprasliensi, Vilnensi, Unioniensi etc. contra decretum eiusdem Synodi, quae Titulo tertio «*De Sacramentis*» praecavendo, ne ulla in Divinorum peragendorum ordine sit confusio aut discordia praecipit: «ut uno eodemque Rituali, nihil ei addendo nec quidquam ex eo detrahendo ecclesiae nostri Ritus utantur. Id autem Illustrissimus Metropolitanus componi et a Sancta Sede Apostolica approbatum imprimi curabit»; quae, inquam, in his Ritualibus, quorum quot editiones tot discrepantiae et varietas cum notabili disformatione antiqui Ritus passim occurunt, atque imprimis in administrandis Sacramentis:

*In Baptismate* orationes Catechumenorum aliae expunctae aliae brevitatis studio truncatae. Solemnis benedictio aquae et olei in toto praetermissa et seorsim dumtaxat breviusculae una pro aqua, altera pro oleo benedicendo orationes appositae, neque hae semper adhibentur, sed aqua per multos menses, oleum per annum et amplius semel his oratiunculis benedicta asservantur.

*In Sacrificio Missae* eadem Rituala praescribunt multas insulsas et affectatas novas (fol. 610r) caeremonias, uti conversionem Sacerdotis cum expansione manuum ad haec verba: «Nunc et semper et per omnia saecula saeculorum» loco antiqui moris convertendi se ad eundem populum cum benedictione, manu dextra eidem populo impertienda, sub haec verba: «*Pax omnibus*», et «*Gratia Domini nostri Jesu Christi et Charitas Dei et Patris et Communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*» et his similia. Item sub hymnos et orationes etiam ante Canonem crebras manuum expansiones et genuflexiones. Praeterea unusquisque visa hac impuni licentia aut addit quidquam aut demit, uti initio Missae, ubi latinus Sacerdos iuxta Ritum suum praemittens generalem Confessionem convertit se ad servitorem percutiendo pectus ad haec verba: «*mea culpa*», nostri plures inepte Sacerdotem latinum imitando id ipsum faciunt ad istos versiculos: «*Gloria in excelsis Deo*» et «*Domine, labia mea aperies*». Alii, praesertim in templo latino, Missam partim cantatam partim lectam celebrant; alii in Missa pro defunctis «*Alleluia*» et populi benedictionem in fine contra omnia Euchologia Graeca

omittunt; alii Evangelium ad finem Missae iterato legunt; alii, immo fere omnes, in Proskomidia usum lanceae praetermittunt neque sub id tempus, licet Ritualia nova omnia quoque id praescribant, hostiam (fol. 610v) ex Prosphora et his litteris: IC XP HI KA signata excidunt, sed extra Missam servitor templi plures simul hostias ex una bucella absque ullo signo Crucis aut Passionis Domini abscindit, pro una et altera septimana asserandas. Similiter omnes fere sub tempus Missae cantatae solemnes introitus: Minorem cum Evangelio, et Maiorem cum Calice per totum intermittunt, quae caeremonia in Orientali Ecclesia antiquissima et magnifica adstantesque multum ad devotionem excitans et quam fel. record. Benedictus XIV in sua Epistula, quae incipit: «*Ex quo primum*» honorifice vindicat.

*In Sacramento Poenitentiae* expunctae sunt orationes admodum piae et ad conterendum cor poenitentis peraccommodae, quae absolutioni praemitti solent.

*Sacramentum Extremae Unctionis*, quod apud Graecos in praesentia aegroti Ritu solemni, ubi omnes hymni et praeces, sicuti et ipsa forma ad aegrotum praesentem diriguntur, cum crebra horum verborum repetitione: «Sana, Domine, istum servum tuum» non peragitur, apud nos autem per Lithuaniam et Albam Russiam Presbyteri in Coena Domini his ipsis orationibus etsi mutilatis et aegroti, quamquam nullus adest, allocutionibus perficiunt, in quo pertemere actum Ordinis Episcopi latini imitari (fol. 611r) praesumunt et orationibus non ad solam benedictionem olei, sed potiori ex parte ad impetrandam aegroto corporis et animae salutem praepostere abutuntur.

*In collatione Ordinum* Maiorum Diaconatus et Presbyteratus, immo et Episcopatus non solum omnia cum Ritu Latino permixta et confusa cernuntur, verum et binae formae: una ex Rituali graeco circa impositionem manuum, altera circa traditionem instrumentorum ex latino desumpta adhibetur, atque sic iterari Sacramentum quodammodo suspicitur.

Iam vero in aliis extra collationem Sacramentorum, in utraque Ecclesia adhiberi solitis orationibus, officiis, benedictionibus, alias Sacramentalia vocatis, quas tum latina tum graeca Ritualia nobis exhibent, proprio Ritui accommodatas, quales in novis nostris Ritualibus his ineptissime consarcinati ex utroque Ritu centones conspiciendi in quovis pene folio ultro se offerunt; si omnes singillatim recensere vellem, librum non epistulam scriberem, quibus si addas sublatam in Basilicis nostris intus et extra formam Ecclesiae Graecae, uti Bema, Altare circumvagabile, Ara (fol. 611v) maior nuncupatum etc., neglectas in festis celebrioribus Vigiliis, quae apud Graecos in maxima reverentia habentur, immo et matutina Officia ex more Graeco in ecclesia semper celebrari solita, apud nos vero privatim ex Breviario de communi, etiam Dominicis et solemnioribus Festivis, pro consueto recitantur. Missae quoque can-

tatae ut plurimum intermittuntur, unde sensim antiqua devotio populi refrigescit. In multis item locis introducta Organa, Musica, Rosaria etc.

Quae omnia quis non videt maxime aliena esse a Ritu Ecclesiae Orientalis eaque pluria talia, quae sicuti a Graeco longe recedunt, ita inepte et ridicule Latinum Ritum imitantur, quae tantum abest, ut coniunctionis cum Romana Ecclesia tesseram quampiam praeseferant, quin potius eam, ac si ista cum contemptu SS. Patrum Graecorum in ecclesiis nostris fieri videt, criminacioni apud non-Unitos exponant causamque aversandi Sanctam Unionem praebeant.

Atque haec satis, ut opinor, indicavi, ex quibus Exc.tia V.ra Ill.ma aequius dijudicare non gravabitur, cuinam istud Domini in Evangelio dictum verius quadret: «Vae vobis, Pharisei hypocritae, qui decimatis mentam et (fol. 612r) anetum et ciminum et reliquistis quae graviora sunt Legis» — An mihi, qui in simplicitate cordis hoc unicum intendo ac de hoc diu noctuque cogito, quomodo in his oris Sanctae Unionis promotioni, in eaque concrediti mihi gregis Dominici conservationi tempestive consulere possem, — an iis, qui aliunde mihi infensi sinistre Ex.iam Vr.am ac Sacram Congregationem informant meumque rectum propositum, quod neque ipsi palam condemnare audeant, speciosis rationibus vere in sensu Domini «menta et aneto» similibus impedire moramque ei iniicere ex occulto satagunt, et ut ex contentis litterarum eius in ante ad me datarum conicio, coram Sancta Sede, ac si minus fida erga Illam oboedientia essem, me iniuste, Deus videt, insimulant.

Non sum equidem ita facilis, ut ex levi quaque conjectura male de quopiam suspicari soleam. Attamen missis aliis multis, hac sola schedula manu nota Excellentiae Vestrae ad quemdam scripta satis de his quae coniecto me non imprudenter suspicantem reddit, quam hic cum declaracione contentorum in seorsiva charta in secreto ei communico atque una enixissime rogo Excellentiam Vestram Ill.mam, ut scriptori schedulae huius (fol. 612v) serio suadeat, quatenus desistat talia contra me clam machinari, quae nec licent, nec decent characterem illius. Si forte me notet, quod amicitiam cum Episcopis non-unitis colam, ego magnopere inde laetor, quod ab eis non despiciar, quin imo animo in me esse bono eos experior. Profecto Excellentia Vestra Ill.ma si conferat tempus anterius cum praesenti, in quo scilicet statu res Catholica in his ditionibus ante erat, et in quo nunc est, fatebitur ipse et mecum miram Providentiam Divinam glorificabit, talia nunc in hoc inclyto Imperio oculos nostros videre, quae nunquam speranda, quisque rerum anteactarum gnarus, prudenter iudicabat.

Antea latini Episcopi aliique Ecclesiastici isthinc expellebantur, modo novi Episcopatus, aliaeque Praebendae ex aerario Imperii liberaliter fundantur. Antea templa latina diruebantur, modo nova eriguntur; antea Catho-

licos ut suaे religionis hostes aversabantur, modo fere uti fratres amoris et amicitiae studio prosequuntur. Cuius rei clarissimum documentum recens exhibuit ipsa Augustissima Imperatrix, in suscipiendo tam honoratissime in sua Imperiali Legatum Sanctissimi Domini.

Quantum vero (fol. 613r) ad meam Dioecesim, haec, Sede vacante, pene iam desperata erat, ut illi aliquando possit dari Episcopus suus cum Sancta Sede Romana communionem habens, idque unice ex hac causa quod Ill.mus Praedecessor meus, ut notum omnibus, infensos sibi non-Unitos habuit, indeque Aulam ipsam Imperialem; atque ex hac occasione potissimum plures ecclesiae a Sancta Unione se abruprē, quibus etiam Imperiali edicto id indultum erat, interim mira gratia Divina, per me licet indignum avertit ista omnia molimina et odia, quae videbantur implacabilia, commutavit in benevolentiae signa, quam experior tum apud Serenissimam Aulam et optimates Imperii, tum apud omnes Episcopos perinde ac Ill.mus Siestrzencewicz, Archiepiscopus Mohiloviensis, cum quo omnia mea consilia communico et una cum illo allaboramus per privata amica colloquia cum Episcopis non-unitis semina Sanctae Unionis in corda eorum spargere, nec videmus illos, ut ante difficiles, dum modo ablata imprimis omni offensione res in charitate et animorum unione pertractaretur et Sancta Sedes Apostolica sua quoque studia in id (fol. 613v) conferret.

Quo circa acceptis nunc quoque litteris Sacrae Congregationis, quibus minime forsitan ad haec attentus Dominus Secretarius inseruit bina verba nimis odiosa: « Pseudo Episcopo, intruso », quorum alterum offendit Episcopos, alterum Ipsam Serenissimam Imperatricem. Statim praefato Ill.mo Archiepiscopo Mohiloviensi easdem litteras communicavi rogans, ut etiam ipse scribat ad Sacram Congregationem, quatenus in mittendis ad has horas epistolis suis, nolit admiscere quod omnibus Catholicis hic degentibus noceret, tales voces, quae aut Religionem Graecam, aut Maiestatem Imperialem laederent.

Notum enim est Sacrae Congregationi et ut spero ipsi Excellentiae Vestrae, quomodo nos hic mandato Imperiali graviter obstricti sumus, quascunque litteras Sedis Romanae ad nos datas in Senatu repraesentare. Hinc saepe in tali statu hic reperimus, ut merito exclamemus: « Angustiae nobis undique », prout et mihi in praesens contigit. Atque his adductus, quod mihi plene persuasum habeo, in sinceritate cordis libere edico: nullo pacto in his oris Fidem Catholicam Romanam, ut fauste coepit, posse diu florere, si non cessemus, ut consueti eramus sub dominio (fol. 414r) Reipublicae Polonae, non-Unitos persequi: Pseudo Episcopos et Schismaticos (quod nunc in Polonia etiam Constitutione Regni inhibitum est) eos proclamando, nobisque, quod omni pariete disiungimus ab illis, nimium complaudentes, talis offensionis ansam iis praebendo, ut non pridem praebuere Basiliani Lituanae Pro-

vinciae, per Libellos a quodam Ordinis sui Monacho cognomento Stebelski<sup>99</sup> editos, atque per has etiam ditiones sparsos, qui iam, ut audio, Petropolim cum gravi expostulatione sunt missi, unde ne quid grandis mali Monachos illos in mea quoque Dioecesi maneat, valde timeo, atque una doleo, amarum istum zelum potissimum esse causam diutini huius inter Orientis et Occidentis Ecclesiae dolendi dissidii.

Et tales in praesenti video zelotas nostros, quibus novus ille a me hic recensitus spurius Ritus adeo nimis arridet, ut se illo quasi nota certa a Schismaticis discerni ac disiungi glorientur, non advertentes se novo hoc Ritu a SS. Patribus Graecis disiunctos esse.

Sed ne mea simplicitas cordis longius forte, ut par erat, ori ista suggestoris molesta Exc.tiae V.rae atque importuna sit, breviter concludo meamque cogitationem aperio:

Si Euchologium iussu fel. record. Benedicti XIV vulgatum, omni castigatione, ut ait idem Sanctus Pontifex, emendatum (fol. 614v) omnibusque Archiep.pis, Ep.pis, Ecclesiasticis Ritus Graeci communionem cum Sede App.lica habentibus, ut hoc potissimum in Sacris Actionibus adhibeant, ab eodem s. mem. Pontifice Epistula Encyclica, quae incipit: « *Ex quo primum* » commendatum, immo, si, ut in litteris Sacrae Congregationis modo lego, idem Euchologium rectissimum et sanctissimum sit, ac quammaxime optandum, ut etiam Rutheni illo utantur, primae curae mihi erit dictum Euchologium, quam potero ocius in linguam Slavonicam ad verbum converti, (quod etiam Ill.mo Metropolitanus nostro per litteras significo atque hoc consilium illi quoque suggero), sicque conversum revisioni Sanctae Sedis Apostolicae, an integra fide translatum sit, subdere, tum expectare, si quid melius hac in re alii apud se statuent ac praesertim Ill.mus Metropolitanus noster, decreto Synodi Zamoscianae ad hoc obstrictus, a Sancta Sede approbandum, approbatumque mihi demandandum.

Interim iuxta receptum nunc monitum Sacrae Congregationis: « pro-videndum, inquit, ne in Schismaticorum odium et offenditionem incurramus, si eas caeremonias reiicimus, quae veterum Patrum usu et totius Ecclesiae Graecae comprobatae sunt », cum aliunde notum habeo, Ritualia, quibus nunc in tota Russia non-Uniti utantur, ex Veneto Euchologio emendata cum praefato Euchologio Romano integre convenire, et non modo errores eorum, si qui erant, in ante Ritualibus contra Ecclesiam Romanam inscripti expunctos, sed et formam indicativam absolutionis: « *Dominus noster Jesus Christus... et ego... te absolvo* » superadditam esse, (fol. 615r) nihil verendum

<sup>99</sup> Agitur de Ignatio Stebelskyj et eius operibus, praesertim de *Chronologia*, Vilnae 1782; *Dwa wielkie swiatla*, Vilnae 1781; *Przydatek do Chronologii*, Vilnae 1783.

mihi puto, ne quid erroris in Sacra meae Ecclesiae inseram, si toties memorato Euchologio, sicuti rectissimo et sanctissimo omniqe castigatione emendato, donec aliter mihi a Sancta Sede demandatum fuerit, salvis Synodi Zamoscianae statutis utar, probe sciens et non-Unitis hoc esse gratum et Sanctae Sedi Apostolicae honorificum maximamque ei laudem et existimationem ut certo praevideo apud omnes conciliaturum fore. Audio enim saepissime, quoties in colloquio aliquo sermo de hoc incidit, non modo Episcopos, sed et saeculares Dominos contra deformationem antiqui Ritus a nostris improbe, ut isti aiunt, factam plurimum stomachari indigneque ferre, ac Sedem Romanam, quod talia permittat, incusare, ad quae pro defensione Sanctae Sedis aliud respondere non habeo praeter hoc unicum: Sedem scilicet Romanam non modo ista non probare, sed neque explorare scire utpote a nemine hactenus de his plene informatam.

His longius fortasse ac debui expositis supplices adhuc preces Cleri mei adiicio, qui continuo mihi conqueritur de Summa ex contributione Dioecesana pro fundando Seminario per plures annos collecta atque ad viginti circiter millia Imperialium, vulgo Talerorum, aucta ab Ill.mo Praedecessore meo Jasone Smogorzewski, ad praesens Metropolitano nostro, stante eius regimine in usus proprios conversa, quatenus in hac repetenda, si non adiuvem saltem permittam Parochis, qui fortiter id urgent (fol. 615v), supplicem libellum ad Serenissimam Aulam Petropolitanam porrigere; quod si facient, attentis iustis eorum petitis, seria repetitio dictae Summae pro certo subsequatur, quod tamen ego nolle, ne vel inde etiam offensum se Ill.mus Metropolitanus a me queratur, inhibere tamen eis tuta conscientia non possum, quin hac etiam via, quae nulla sane pro illis celerior, quod ipsa iustitia exigit, petant. Quocirca sicuti ex corde opto, ut Ill.mus Metropolitanus et conscientiae et honori suo consulendo, nolit se his querelis Cleri apud Serenissimam Aulam Petropolitanam, aliunde sat sibi infensam, prostitui, ita enixe quoque Excellentiae Ill.mae supplico, eidem Ill.mo Metropolitano serio suadere, ne quod scit alienum ex lachrymis fere pauperis cleri elicitum et in usum perquam pium et pernecessarium destinatum, ad quod nos Episcopi de proprio etiam contribui obligamur, restituere differat.

Interea adiunctas hic ad Sacram Congregationem litteras meas, quo tuto pervenire possint, ut a se Excellentia Vestra dirigere faveat humillime rogans, cum profundissimo cultu maneo.

Excellentissimi, Illustrissimi Domini, Patroni mei Amplissimi, humilimus Servus et Exorator.

Ex Monasterio Onuphriensi, 28. Xbris 1786.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

(fol. 616) N.B. Przy ordynacyi na Kapłaństwo y institucyi na beneficia

osoby przyimującą kapłaństwo lub beneficium jakowe, zwykły czynić profesionem fidei, ktorey aryngą czy z Konsystorza, czy z Kancellaryi Arcybiskupiey Ruskiej, aby mogła być przekopiowana, tak iak teraz jest używana, usilna zanosię prożba.

(fol. 617) N.B. Schedulæ huius, de qua superius mentio, contenta latine quoad verbum ita sonat: « Circa conferendos ordines Presbyteratus et institutiones ad beneficia, ex quo personae quae suscipiunt Presbyteratum, vel ad aliquod beneficium instituuntur, solent emitti profesionem fidei, cuius formula ex Consistorio, sive ex Cancellaria Archiepiscopali Ruthena ut possit exscribi ita, sicut modo usurpata est, enixa interponitur petitio ».

Ista schedula scripta manu Ill.mi Metropolitani, ut spero Excellentiae Vestrae nota, per manus civium et mercatorum Polocensium volitans, a quodam mihi addicto intercepta et mihi redditā, qua inspecta acerbissimo dolore percussus feci, tantum virum tam inique et tam temere, ac si et profesionem fidei iam immutarem de me suspicari, hancque sinistram suspicionem usque per civitatem istam, ubi mea cathedralis, qua, o bone Deus, conscientia propagare! Conjicio quidem malevolentiae huius causas, sed hic et nunc dolens eas taceo. Suo tempore, quam iniustae sint, et ex quo turbido fonte promanatae, luculenter Excellentiae Vestrae Illustrissimae declarabo.

Idem qui supra.

## 10.

*Onufrey, 21. XII. 1786.*

*Amplissima littera H. Lisowskyj de rebus liturgicis et purificatione Ritus, ad mentem Euchologionis Goarii, per singulas partes explanata quoad Liturgiam et Sacraamenta, nec non varias orationes; de mente Sedis Apostolicae et Benedicti XIV; brevis historia latinizationis Ritus Rutheni, etc. nec non de festis diebus breviandis in Ecclesia.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 876, fol. 352-356v.

Eminentissimi Domini.

Cum iam pene omni spe excideram literas meas, post meum Petropoli redditum bis ad Sacram Congregationem scriptas, tuto illuc pervenisse, ex quo tamdiu responsum expectans, nullum obtinere potui, ex inopinato Ill.mus Dominus Nuntius Varsaviensis binas ad me 29 Iulii consignatas una cum suis 26 Augusti datis misit, quibus inspectis summo gaudio impletus fui, tum quod intellexi ex his, posteriores saltem epistolas meas sine vi manus alienae ad Urbem perlatas fuisse, quae me, ut confido, suspicione liberarunt,

ac si quid tale hic molirer, quod Sanctam Sedem Apostolicam celare vellem, uti me de hoc dictus Ill.mus Dominus Nuntius prioribus suis literis, 13 Maii ad me scriptis, admonuit. – « Mirum, inquit, Sacrae Congregationi, nec immrito sane in re tam gravi tam diuturnum silentium tuum, et post plura: at illud, ait, Tibi magnopere verendum est, ne diutius quid agas celatos nos esse velis, moliri aliquid suspicemur, quod non in Latinorum tantummodo, sed in Graecorum quoque ac Ruthenorum, qui cum Latinis communicant, offensionem incurrat », quam suspicionem utpote immeritam aegerrime ad hanc diem ferebam. Tum quod cognovi ex iisdem literis clementissimum erga me paternum animum Sanctissimi Domini, quem injuriae meae in avulsa parte Episcopatus mei mihi illatae paterne condolere juribusque meis, captata occasione, benigne favere non ommissuram diserte, ac perquam suaviter significant; quae pro certo summam existimationem Sanctae Sedis apud Senatum hujus Imperii, atque praecipue apud Celsissimum Principem Potemkin conciliarent, tamque vigilem erga Subjectos sibi paternam curam Sanctissimi Domini, indeque amicam erga hoc inclytum Imperium ejus contestationem magnopere commendarent, si, ut debui, possem secure eas monstrare.

Verum quia adverti bina verba, nimis hic odiosa, minime fortasse attento quorsumnam scribitur calamo, iisdem literis inserta: « Pseudo Episcopo, intruso », quorum alterum offendit Episcopos, alterum ipsam Serenissimam Aulam, ut per se cuique claret, idcirco nulli eas communicare potui, praeterquam Illustrissimo Siestrzencevicz, Archiepiscopo Mohiloviensi latino, quem etiam rogavi, ut ipse ad Sacram Congregationem scriberet, commonstrando in his oris talia omnibus Catholicis multum nocere posse, ac quod maximum Sanctam Sedem adeo amice, (f. 352v) ac reverenter in praesens hoc in Imperio honoratam, reddere ut ante invisam, quod et ego potissimum extimesco, ac proinde per Deum oro, in mittendis ad has ditiones quibuscunque scriptis declinare voces, et expressiones tales, quae aut Imperiale Majestatem, aut Religionem Graecam quoquomodo laederent.

Notum enim est Sacrae Congregationi, quomodo nos hic gravissime obstricti sumus Imperiali Edicto, quascunque Literas Sedis Romanae ad nos datas in Senatu repraesentare. Hinc saepe in tali statu hic reperimus, ut merito exclamemus: angustiae nobis undique sunt, prout et mihi in praesenti contigit; unde ego saepe mecum plenus metu cogito, nullo pacto posse diu, ut fauste caepit, Religionem Catholicam Romanam in his oris florere, si non cessemus, ut consueti eramus sub dominio Reipublicae Polonae non Unidos persequi: Pseudo Episcopos, et Schismaticos (quod nunc in Polonia etiam Constitutione Regni inhibitum est) eos proclamando, nobisque nimium, quod omni pariete ab illis disjungimur, complaudentes, talis offensionis ansam eis praebendo; ut non pridem praebuere Basiliani Lituanae Provinciae

per Libellos a quodam Ordinis sui monacho, cognomento Stebelski,<sup>100</sup> editos, atque per has ditiones sparsos, qui jam, ut audio, Petropolim cum gravi expostulatione sunt missi, unde ne quid ingentis mali monachos illos in mea quoque Dioecesi maneat, valde timeo, atque una doleo; amarum istum zelum potissimum esse causam diuturni hujus Orientem inter, et Occidentem dolendi dissidii, quod dum stabit orbis non extinguetur, nisi prius odia utrinque, praesertim inter Ecclesiasticos, deverbuerint. Profecto si conferamus tempus anterius cum praesenti, in quo scilicet statu res Catholica in his ditionibus ante erat, et in quo nunc est, fatebitur quisque pius Catholicus, et mecum miram Providentiam Divinam glorificabit, talia nunc in hoc inclyto Imperio oculos nostros videre, quae nunquam speranda quisquis rerum ante actarum gnarus prudenter judicabat. Antea Episcopi latini isthinc expellebantur, modo novi Episcopatus ex aerario Imperii liberaliter fundantur; antea tempa antiqua latina diruebantur, modo nova eriguntur; antea Latinos, tanto magis nos Unidos, ut suae Religionis hostes aversabantur, modo uti fratres ferme amoris, et amicitiae studio prosequuntur; cuius rei clarissimum documentum recens exhibuit ipsa Augustissima Imperatrix, in suscipiendo tam honoratissime in sua Imperiali Legatum (f. 353) Sanctissimi Domini. Quantum vero ad meam Dioecesim, haec, sede vacante, jam pene desperata erat, ut illi aliquando possit dari Episcopus suus, cum Sancta Sede Romana communionem habens, idque unice ex hac causa, quod Ill.mus Praedecessor<sup>101</sup> meus, ut omnibus notum, infenos sibi non Unidos habuit, indeque ipsam Aulam Imperiale, ex qua occasione plures quoque ecclesiae unitae a Sancta Unione se abrupere; quibus Imperiali etiam edicto id indultum erat. Interim mira Divina gratia per me, licet indignum, avertit omnia ista molimina et odia, quae videbantur implacabilia, commutavit in benevolentiae signa, quam experior tum apud Serenissimam Aulam et Imperii Optimates, tum apud omnes Episcopos perinde ac Ill.mus Siestrzencewicz, Mohiloviensis Archiepiscopus latinus, cum quo omnia mea consilia communico et una cum illo allaboramus per privata amica colloquia cum Episcopis non unitis, semina Sanctae Unionis in corda eorum spargere, nec videmus illos, ut ante difficiles, dummodo imprimis seclusa omni offensione res in charitate et animorum unione pertractaretur, et Sancta Sedes sua quoque studia in id conferret. Atque haec ex occasione istius geminae odiosae vocis in sinceritate cordis expressa, spero in bonam accipi partem, si quo animo scripto sunt Sancta Sedes interpraetari velit.

<sup>100</sup> Cfr. notam praecedentem, nr. 99.

<sup>101</sup> Jason Junosza Smogorzewskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), dein Metropolita Kiovensis (1780-1788).

Quo vero ad secundas literas, quibus Sacra Congregatio me jubet, ut distincte ac singulatim declarem eas caeremonias, sive corruptelas, quas e re Catholica esse putaverim, ab Ecclesiis Ruthenis auferri debere, licet si nonnullas satis, ut mihi videtur, ante declaravi, mandato tamen ejus obtemperans, quantum mihi in Domino visum est, ajo imprimis: eas omnes necessario auferendas esse, quae antiquum Ritum Graecum a Sanctis Patribus traditum et a Ruthena gente, post susceptam fidem Christianam, perpetua consensione in Unitorum quoque Ecclesia usque ad annum circiter 1730, alias ad aliquot annos post Synodum Zamoscianam servatum funditus evertunt, et inepte affectata in morem simiae imitatione cum Ritu Latino permiscunt, quae nec legitima auctoritate inductae nec consuetudine adeo diurna firmatae, sed privatorum temeritate pedetentim in Ruthenam Graeco-Catholicam Ecclesiam inserptae usque adeo, ut si remanserit aliqua ex sanctis antiquis caeremoniis, quae pro libito horum non immutaretur, aut cum contemptu non omitteretur. Cujus immutationis, aut omissionis nullam ab iis redi rationem audies, quam quod ejusmodi caeremoniae ad substantiam Ritus minime spectent; quod si ulterius (f. 353v) quaeres, quaenam caeremoniae de substantia, Ritus sint? non video aliud eis restare ad respondendum, quam ut hoc quaesito pressi dicant: eas solas esse quae ad confiendi Sacramenti valorem pertinent, ecce novos bellos interpretes Sacro-Sanctae Synodi Tridentinae Canonis XIII, Sessione VIII: de Sacramentis: « Si quis dixerit receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit ». Porro, antiquus Ritus Graeco-Ruthenus non modo a Sancta Sede Apostolica toties approbatus, verum et in Decreto Unionis, cum eadem Sancta Sede ab Episcopis Ruthenis anno 1596 initae, solemniter cautum est, ut idem antiquus Ritus illaesus in post servaretur, et in subsequenti Paulus V, Summus Pontifex, per Breve declaravit,<sup>102</sup> non esse Ecclesiae Romanae mentem, et intentionem, vel voluntatem eundem antiquum Ritum tollere, quinimo eum benigne Ruthenis Episcopis et Clero indulsum, atque concessum esse, quemadmodum refert haec omnia felic. record. Benedictus XIV, in sua Epistola, quae incipit: *Allatae sunt*,<sup>103</sup> qui Ritus plus quam integro saeculo post susceptam mox laudatam Unionem utcunque illaese in tota Unita Ecclesia Ruthena servabatur, ac primum post Synodum Zamoscianam sensim caepit oscitatione nostrorum Episcoporum corrumpi, et pessime, inconsulta Sede Apostolica, pro libito

---

<sup>102</sup> Cfr. supra, adn. 97.<sup>103</sup> Cfr. supra, adn. 98.

cujusvis privati indies immutari adeo, ut vix duae ecclesiae in totum conformatas sibi in administrandis Divinis nunc cerni facile queant; quas corruptelas atque insulsas novitates, si omnes sigillatim recensere vellem, deficeret me tempus enarrantem. Mandata tamen Sanctae Sedis adimplens, peculiares enarro, quae scilicet in novis nostris Ritualibus, praesertim Suprasliensi, Vilnensi, Unioviensi, post Synodum Zamoscianam editis, contra Decretum ejusdem Synodi, quae titulo 3tio: de Sacramentis, praecavendo ne ulla in Divinorum peragendorum ordine sit confusio atque discordia, praecipit: « Ut uno eodemque Rituali, nihil ei addendo, nec quidquam ex eo detrahendo, Ecclesiae nostri (f. 354) Ritus utantur, id autem Ill.mus Metropolitanus componi, et a Sancta Sede approbatum imprimi curabit ».

Quae, inquam, in his Ritualibus, quorum quot editiones tot discrepantiae, et varietates cum notabili deformatione antiqui Ritus passim occurunt?

Atque imprimis in administrandis Sacramentis, *in Baptismate*: Orationes Cathechumenorum aliae expunctae, aliae brevitatis studio truncatae; solemnis benedictio aquae, et olei in toto praetermissa, et seorsim duntaxat breviuersculae: una pro aqua, altera pro oleo benedicendo orationes appositae, neque hae semper adhibentur, sed aqua per multos menses, oleum per annum, et amplius semel his oratiunculis benedicta asservantur.

*In Sacrificio Missae* eadem Ritualia praescribunt multas insulsas, et affectatas novas caeremonias, uti conversionem Sacerdotis cum expansione manuum ad haec verba: « Nunc et semper et per omnia saecula saeculorum », loco antiqui moris convertendi se ad eundem Populum cum benedictione manu dextra eidem Populo impertienda sub haec verba: « Pax omnibus »; item: « Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et Patris, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis », et his similia. Item sub hymnos, et orationes, etiam ante Canonem, crebras manuum expansiones, ac genuflexiones. Praeterea unusquisque visa hac impuni licentia, aut addit quidpiam, aut demit, uti ipso initio Missae, ubi latinus Sacerdos, juxta Ritum suum, praemittens generalem confessionem, convertit se ad servitorem percutiendo pectus ad haec verba; « Mea culpa », nostri plures inepte Sacerdotem latinum imitando, id ipsum faciunt ad istos versiculos: « Gloria in Excelsis Deo », et: « Domine, labia mea aperies », alii, praesertim in templo latino Missam partim cantatam, partim lectam celebrant; alii in Missa pro Defunctis Alleluja, et Populi benedictionem in fine, contra omnia Euchologia Graeca, omittunt; alii Evangelium ad finem Missae iterato legunt; alii, imo fere omnes, in Proskomidia usum lanceae praetermittunt neque (f. 354v) sub id tempus, licet Ritualia nova quoque omnia id praescribant, hostiam ex prosphora cruce, et his literis (IC-XP-HI-KA) signata excidunt, sed extra Missam servitor templi plures simul hostias ex una buccella, absque ullo signo Crucis vel Passionis

Domini abscidit, pro una et altera septimana asservandas. Similiter omnes fere sub tempus Missae cantatae solemnes introitus, minorem cum Evangelio et majorem cum Calice per totum intermittunt, quae caeremonia in Orientali Ecclesia antiquissima, et magnifica, adstantesque multum ad devotionem excitans, et quam felic. record. Benedictus XIV, in sua Epistola, quae incipit: *Ex quo primum*, honorifice vindicat.

*In Sacramento Poenitentiae* expunctae sunt orationes admodum piae et ad conterendum cor poenitentis peraccomdae, quae absolutioni praemitti solent.

*Sacramentum Extremae Unctionis*, quod apud Graecos in praesentia aegroti Ritu solemni, ubi omnes hymni, et preces sicuti et ipsa forma ad aegrotum praesentem diriguntur, cum crebra horum verborum repetitione: « Sana, Domine, istum Servum Tuum », peragitur; apud nos autem per Lituaniam, et Albam Russiam Presbyteri in Caena Domini his ipsis orationibus, etsi mutilatis, et aegroti, quamvis nullus adest, allocutionibus conficiunt, in quo pertemere actum ordinis Episcopi latini imitari praesumunt, et orationibus non ad solam benedictionem Olei, sed potiori ex parte ad impe-trandam aegroto corporis et animae salutem ordinatis praepostere abutuntur.

*In collatione ordinum* majorum Diaconatus et Presbyteratus, imo et Episcopatus non solum omnia cum Ritu Latino permixta, et confusa cernuntur, verum etiam et binae formae, una ex Rituali Graeco circa impositionem manuum, altera circa traditionem instrumentorum, ex Latinis de-sumpta, adhibetur, atque sic iterari Sacramentum quodammodo suspicitur.

Jam vero in aliis extra collationem Sacramentorum, in utraque Ecclesia adhiberi solitis, orationibus, officiis, benedictionibus etc. alias *Sacramentalia* vocatis, quas tum Latina tum Graeca Ritualia nobis exhibent, proprio Ritu accomodatas, qualis in novis his nostris Ritualibus ineptissime consarcinati ex utroque Ritu centones conspiciendi, in quovis pene (f. 355) folio ultro se offerunt, si omnes sigillatim recensere vellem, librum non epistolam scriberem; quibus si addas sublatam in Basilicis nostris intus et extra formam ecclesiae Graecae, uti bema, altare circumvagabile, ara major nuncupata etc., neglectas in festis celebrioribus vigiliis, quae apud Graecos in maxima reverentia habentur, imo et matutina officia ex more Graeco semper in Ecclesia celebrari solita, apud nos vero privatim ex Breviario de communi, etiam Dominicis et solemnioribus festivis pro consueto recitantur, Missae quoque cantatae, ut plurimum, intermittuntur, unde sensim antiqua devotio Populi refrigescit. In multis item locis introducta Organa, Musica, Rosaria etc.

Quae omnia quis non videt maxime aliena esse a Ritu Ecclesiae Orientalis, eaque plurima talia, quae sicut a Graeco longe recedunt, ita inepte, et ridicule Latinum Ritum imitantur, quae tantum abest, ut conjunctionis cum Romana Ecclesia tesseram quampiam praeseferant, quin potius eam, ac

si ista cum contemptu Sanctorum Patrum Graecorum in ecclesiis nostris fieri velit, criminacioni apud non Unitos exponant, causamque aversandi Sanctam Unionem praebeant; atque haec satis imo plus fortasse ac debui indicavi, ex quibus Sancta Sedes Apostolica facile cognoscet, qua necessitate hic premor, et in dies urgeor ad avertendum non Unitorum scandalum, nostrae Ecclesiae Unitae derisum, et Pascuae meae detrimentum, recensitas hic corruptelas Ritus nostri nullo modo amplius in mea Eparchia pati posse.

Itaque candide cogitationem meam aperio: si Euchologium jussu felicis recordationis Benedicti XIV evulgatum, omni castigatione, ut ait idem S. Pontifex, emendatum, omnibusque Archiepiscopis, Episcopis, et Ecclesiasticis Ritus Graeci communionem cum Sede Apostolica habentibus, ut hoc potissimum in Sacris actionibus adhibeant, ab eodem sanctae memor. Pontifice Epistola Encyclica, quae incipit: *Ex quo primum*, commendatum, imo si, ut in literis Sacrae Congregationis modo lego: « Idem Euchologium rectissimum, ac sanctissimum sit, ac quam-maxime optandum, ut etiam Rutheni illo uterentur », primae curae mihi (f. 355v) erit dictum Euchologium, quam potero ocius, in linguam Sclavonicam ad verbum converti (quod etiam Ill.mo Metropolitano nostro per literas significo, atque hoc consilium illi quoque suggero) sique conversum revisioni Sanctae Sedis Apostolicae, an integra fide translatum sit, subdere, tum expectare si quid melius hac in re alii, ac praesertim Ill.mus Metropolitanus noster, Decreto Synodi Zamosciana ad haec obstrictus, apud se statuent, a Sancta Sede approbandum, approbatumque mihi demandandum; neque spero consilium meum Sanctae Sedi displicere, si monitum sequendo modo laudati felic. record. sapientissimi, aeque ac sanctissimi Pontificis, sub finem dictae Encyclicae suae: « Vestrum, inquit, erit in posterum correcta hac Euchologii editione uti, ac diligenter curare, ut si nova aliqua ejusdem editio fiat, ea ad normam hujus omnibus numeris exigatur, quo interclusus sit aditus erroribus omnibus, et absurdis, quae superioribus temporibus in alias quasdam editiones irrepserunt, easque faedarunt ». Imo, quod Sacra Congregatio ad praesens mihi suis in literis insinuat, observando: « providendum, ait, ne in Schismaticorum odium, et offensionem incurramus, si eas caeremonias rejicimus, quae veterum Patrum usu, et totius Ecclesiae Graecae comprobata sunt », cum aliunde certum habeo: Ritualia, quibus nunc in tota Russia non Uniti utuntur, ex Veneto Euchologio emendata, cum praefato Euchologio Romano integre convenire, et non modo errores si qui erant in ante Ritualibus eorum contra Ecclesiam Romanam inserpti expunctos, sed et formam indicativam absolutionis: « Dominus noster Jesus Christus — et ego — te absolvo », superadditam esse, nihil verendum mihi puto, ne quid erroris eorum in Sacra meae Ecclesiae inferam, si toties memorato Euchologio secuti rectissimo, et sanctissimo omniue castigatione emendato, donec aliter mihi a Sancta Sede demanda-

tum fuerit, salvis Synodi Zamosciana statutis, utar, probe sciens et non Unitis hoc esse gratum, et Sanctae Sedi Apostolicae honorificum, maximamque ei (f. 356) laudem, et existimationem, ut certo praevideo, apud omnes conciliaturum fore; audio enim saepissime, quoties in colloquio aliquo sermo de hoc incidit, non modo Episcopos, sed et saeculares Dominos contra deformationem antiqui Ritus, a nostris improbe, ut illi ajunt, factam plurimum stomachari, indigneque ferre ac Sedem Romanam, quod talia permittat, incusare, ad quae pro defensione Sanctae Sedis aliud respondere non habeo, praeter hoc unicum: Sedem, scilicet, Romanam non modo ista non probare, sed neque explorare scire, utpote a nemine hactenus de his plene informatam.

Quantum vero ad festos dies, pro quibus jam tertio a S. Sede Apostolica facultatem expeto dispensandi populum ab audienda hisce diebus Missa, et cessatione ab operibus servilibus, conformiter ad datam Illustrissimo Siestrzeniewicz, Archiepiscopo Mohiloviensi latino, die 11 Aprilis 1777 anno, satis ut mihi videtur in literis meis ad Sacram Congregationem iterato scriptis illucque, ut ex Responso certum habeo, perlatis, distinctim illa festa ultra morem Ecclesiae Orientalis multiplicata recensui, ut supervacaneum esset id repetere, et, ut fert proverbium, actum agere; quocirca magis expedire puto pro informatione Sanctae Sedis, quae juxta consuetudinem ejusdem Ecclesiac Orientalis retinenda sunt, indicare: scilicet, praeter dies Dominicos, Solemnitates: Nativitatis Christi Domini, Circumcisionis, Theophaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Transfigurationis, Exaltationis Crucis. Item festivitates solemiores Beatissimae: Nativitatis, Protectionis, Praesentationis in templo, Conceptionis, Purificationis, (f. 356v) Annuntiationis, et Assumptionis sive Obdormitionis, tum festa: Nativitatis Sancti Joannis Baptiste et 6. Xmbbris Sancti Nicolai, uti principalis Patroni Russiae. Quam dispensationem quomodo hic urgenter a me requirunt Optimates Imperii fideliter, Deo teste, refero, atque animadversioni Sanctae Sedis non leviter dispiciendae subdo; quae scilicet accepi non pridem ex dictis hac super re certi viri in Senatu, et Consilio Imperii plurimum pollutis. Si dif fert, inquit, Sedes Romana indulgere licentiam Populo unito Rutheno exercendi diebus minorum festorum opera servilia, quam jam indulsit pro Ritu Latino, cum in pari casu, et pari, imo majori necessitate id postulante, quod uni conceditur, praesumi debet, justitia ipsa exigente, concessum alteri, et nos immerito injuria afficimur frustrati debitibus nostrorum subditorum, quas longe plures habemus huius Ritus, quam Ritus Latini, proinde hanc licentiam nos ipsi edicto publico declarabimus; quod, avertat Deus; si subsequeretur, in summum Religionis Catholicae contemptum, et auctoritatis Sedis Romanae despectionem cederet.

Ecce quibus hic angustiis undique pressus imploro opem, et auxiliatricem

manum Sanctae Matris Ecclesiae Romanae, uti devotissimus, et obedientissimus ejus Filius, qui uti ad extreum vitae meae halitum, ita hac quoque grata vice scribendi me profiteor indesinenti cultu, ac profunda veneratione.

Eminentiarum Vestrarum humillimum ac addictissimum Servum et Exoratorem.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Ex Monasterio Onufriensi, 28. Xmbris 1786.

## 11.

*Polocia, 7. III. 1787.*

*H. Lisowskyj Congregationi de Prop. Fide de variis rebus et praesertim de quodam Suffraganeatu in regione Polocensi, in Polonia remanenti etc.*

APF., *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 876, fol. 351rv.

Eminentissimi Domini.

Cum nihil sanctius, ac reverentius in vita mea habeam, quam filiali devotione parere monitis Sanctissimi Domini, quae ut primum accepi in literis Sacrae Congregationis 29 Iulii anni elapsi 1786 ad me datis: « Si paci, inquit, et concordiae favere studebis, pro certo habeo tuam caritatem tibi suasuram, nonnullam potius jurisdictionis ac redditus jacturam ad tempus tolerare, quam propriis tuendis turbas, ac dissensiones concitare », firmissime apud animum statui, ne unum quidem passum facere, quo hac in re Imperiale, atque Regiam Majestates inquietarem, tanto magis ansam cuiuspiam offensionis, aut inter eas dissensionis quoquo modo preeberem; memor tamen clementissimi paterni promissi Sanctitatis Suae, quod eadem Sacra Congregatio in laudatis literis refert: « Sanctitas Sua, ait, de hoc negotio valde sollicita esse non desinet, et cum opportuna oblata fuerit occasio, tuis juribus, et auctoritati favere, quantum fas est non omittet »; siquidem ea occasio in praesens pree caeteris commodior ultro se offerat, post ascensum scilicet Rev.mum Lewinski ad Episcopatum Luceoriensem,<sup>104</sup> ut communis hic fert fama, unde cessavit ea, quae maxime difficilem reddebat Serenissimum Poloniae Regem ratio in revocando suo, ut ad sinistra narrata edito, Decreto; in hoc enim honor Regius vertebatur, ne dictus Rev.mus Lewinski, utpote vir bene apud Regem emeritus, multumque sibi carus, hacce dignitate, qua

<sup>104</sup> Stephanus Levynskyj, Canonicus Leopoliensis et Luceoriensis, Procurator Ecclesiae Unitae Varsaviae, Archimandrita Supraslensis (1778-1782), Episcopus tit. Tegeanus (1784), Administrator Luceoriensis temporibus M. Stadnicki et S. Mlocki (1787-1795), demum Episcopus Luceoriensis (1798-1806); obiit 23.I.1806; cfr. *Polski Słownik Biogr.*, vol. 17, pag. 250-1.

eum ornavit, indecore spoliaretur; hinc variae praetexebantur causae, pro aequitate facti Regii, cum haec, ut ego conijcio, unica, ac potissima erat, ne hoc in puncto auctoritati ejus quidquam derogaretur; at in praesentiarum cum ista pars Archiepiscopatus, a me avulsa, vacans evasit, nihil laesa existimatione sua Serenissimus Rex, si voluerit, restituere eam, neque pro jure suo novo (f. 351v) Privilegio benevole munire facile potest, et hoc est quod ego semel clementissimis, secundum monita Sanctitatis Suae, modis tentare velim, si benigna tempestiva Sanctissimi Domini pro me intercessio conatus hos meos apud Serenissimum Regem Poloniae adjuvare haud dignaretur; sane restituta hac parte Dioecesis Polocensis, firmius in post Sancta Unio stabiliretur in his oris, utpote Serenissimum Regem Poloniarum habitura semper praecipuum sui Protectorem, neque Archiepiscopo Polocensi unquam deesset major opportunitas, sua consilia, ac negotia communicandi, tum cum Sancta Sede Apostolica, tum cum Episcopis Catholicis, tam Ruthenis quam etiam Latinis, quod cum unice desidero, libenter me etiam offero, si id Serenissimus Rex Poloniae a me poposcerit, Episcopum Suffraganeum subditum Reipublicae Polonae in hac parte Dioeceseos, salva unitate Archiepiscopatus Polocensis, constituendum curare, qui cum suis meritis, tum recomendatione Serenissimi Regis primus foret, post fata mea, ad succendendum in Cathedram Archiepiscopalem Polocensem.<sup>105</sup> Quas preces meas ante solium Sanctae Sedis Apostolicae una mecum sternens, cum profundissimo cultu maneo.

Polociae, anno 1787, Mar. die 7.

Eminentiarum Vestrarum deditissimus et humillimus Servus ac quotidianus Exorator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

## 12.

*Ex Monasterio S. Omuphrii, 27. VI. 1787.*

*Nuntio Varsaviensi de fundo olim collecto pro erigendo Seminario a J. Smogorzewskyj querelae Cleri, et de impositione manuum Ordinandis, una vel pluribus vicibus, verbis in singulari vel plurali positis.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 618-619r.

Excellentissime, Illustrissime Domine, D.ne Patrone Amplissime.

Expeditis anno exeunte 1786 ultimis X-bris tum ad Sacram Congrega-

<sup>105</sup> Suffraganeum talem Lisowskyj tunc non obtinuit, sed anno 1806 sibi Gregorium Kochanowicz consecravit, qui tamen iam anno 1807 Luceoriam abiit (1807-1814) et devenit ab anno 1809 Metropolita Unitorum in Russia.

tionem, tum ad Excellentiam Vestram Ill.mam litteris meis, quarum alteris circa finem adiunxi preces pro Clero meo in haec verba: « His longius fortasse ac debui expositis, supplices adhuc preces Cleri mei adjicio, qui continuo mihi conqueritur de Summa ex contributione Dioecesana pro fundando Seminario per plures annos collecta et ad viginti circiter millia Imperialium vulgo Talerorum aucta, ab Ill.mo Praedecessore meo Jasone Smogorzewski, ad praesens Metropolitano nostro, stante eius regimine in usos proprios conversa, quatenus in hac repetenda si non adiuvem saltem permittam Parochis, qui fortiter id urgent supplicem libellum ad Serenissimam Aulam Petropolitanam porrigerere, quod si facient, attentis corum iustis petitis, seria repetitio dictae Summae pro certo subsequetur, quod tamen ego nolle, ne vel inde etiam offensionem se Ill.mus Metropolitanus a me queratur; inhibere attamen eis tuta conscientia non possum, quin hac etiam via, quae nulla sane pro illis celerior, quod ipsa iustitia exigit, petant. Quocirca sicuti ex corde opto, ut Ill.mus Metropolitanus et conscientiae et honori suo consulendo, nolit se his querelis Cleri apud Serenissimam Aulam Petropolitanam aliunde sat sibi infensam prostitui, ita enixe quoque Excellentiae Ill.mae supplico eidem Ill.mo Metropolitanu serio suadere, ne quod sit alienum ex lacrymis fere pauperis cleri elicitum et in usum per quam pium et pernecessarium destinatum, ad quod nos Episcopi de proprio quoque contribuere graviter obligamur, restituere differat ».

Tandem in mense januario anni praesentis, sub imminentem profectionem Kioviam Serenissimae Imperatricis,<sup>106</sup> postquam convocaverim tum de Ordine, tum de Clero principaliores in assistentiam mei, solemniter processuro obviam, pro more ac iuxta mandatum Senatus, salutandi causa eandem Serenissimam Augustam iter agentem, qua solemnitate peracta obtulerunt (fol. 618v) mihi, qui de Clero aderant, denuo petitionem suam in scripto respectu praefatae Summae, apud Ill.mum Metropolitanum detentae, quam petitionem hic annexam benignae dijudicationi Excellentiae Vestrae Ill.mae subdo atque una humillime supplico de hac certiore facere Ill.mum Dominum Metropolitanum eumque pro sua auctoritate admonere ne has iustas lacrymabundi Cleri quaerelas, media saltem parte dictae Summae restituta, consopire abnuat, reliquum ego de meo supplere offero, ut tandem aliquando cessent inter nos ansae, bonum Ecclesiae Catholicae et Sanctae Unionis iunctis viribus promovendum remorantes. Distuli adusque istud petitum Cleri mihi porrectum Excellentiae Ill.mae dimittere, sperans in dies litteris meis, initio huius epistolae memoratis, responsurum, quod medio anno expectans

<sup>106</sup> Iter Catharinae II Kioviam et in Ucrainam in genere locum habuit in Januario 1787, ductu principis Gregorii Potemkin (unde notae sunt s.d. « villae Potemkianae »).

in dubitationem adducor, eas ad manus Excellentiae Vestrae pervenisse. Quare et ad Sacram Congregationem has met ipsas, quarum apographum Excellentiae Vestrae Ill.mae communicavi, iterum alia via mittere coactus fui, quibus insuper post finem adjunxi, quod prius animo excidit exscribere, quodve non leve dubium mihi injicit, utrum tuta conscientia liceat, inconsulta Sancta Sede, tales innovationes contra antiquissimum morem Ecclesiae Orientalis inducere, quod cupiens notum quoque esse Excellentiae Vestrae Ill.mae hic quoad verbum appono. Cum primum scribebam hanc epistolam, excidit mihi e memoria recensere notabilem abusum in nostra Unita Ecclesia sub tempus ordinationis presbyteri noviter irreptum, ubi Episcopus duodecim et aliquando plures simul ordinando, imponit una capiti eorum manus, quarum vix digito unum quemque tangit, proferendo simul super omnes formam: – *Divina gratia, quae semper infirma sanat et quae desunt supplet, promovet Titium, Cajum etc. Venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eis, ut descendat super illis gratia Spiritus Sancti.*<sup>107</sup> – Plane ego hic non dispicio quo modo in tanto Sacramento, privato ausu fas sibi putent nostri, tum materiae, tum formae immutationem facere, ut per se liquet; nec enim vera est manuum ordinando impositio, qui vix digito tangitur, nec forma, quae vel ex ipsis verbis et praxi Ecclesiae pro uno destinata, dum super plures profertur genuinum retinet sensum, quem (fol. 619) admodum si super plures baptisandos simul quis dicat: *Baptisatur servus Dei Petrus, Andreas, Joannes etc.*, non ne contra communem morem Ecclesiae faceret? Praeterea in praesenti etiam quoad verba circa finem formae immutatur, ubi loco: *Oremus pro eo ut descendat super illum gratia Spiritus Sancti*, nostri dicere solent, et in novis Ritualibus nostris ita extat: *Oremus pro eis, ut descendat super illos etc.* At demum valere ordinationem, quod non inficior, illicitam tamen esse omnino ajo, tum quod inconsulta S. Sede id facere prae-sumant, tum quod non-Unitis, praesertim in locis, ubi Uniti et non-Uniti permixtim degunt, occasionem scandali, atque sic ansam Sanctae Unionis aversandae praebeant, criminacionesque et odia eorum in se ultro concident. Dijudicet hic S. Sedes Apostolica pro sua in nos aequitate, quorum hac in parte sunt rationes, an meae pro restauranda antiqua Ecclesiae disciplina et restituendo pristino Ritu nostro? An eorum pro nuperrime inductis abusibus et corruptelis retinendis, quas mordicus defendendo, me undique mor-dent, insimulant ac criminantur. Consulto haec pro notitia Excellentiae Vestrae exscripsi, ut his perpensis faveat ex aequo et bono pro utraque parte pronunciare. Quis nostrum plus hic delinquit, an qui adjutorio S. Sedis Apostolicae expedito cupit, quod destructum reaedificare, an qui spreta auctori-

---

<sup>107</sup> Textus Liturgiconis de consecratione diaconi in presbyterum.

tate eiusdem S. Sedis pergit reliquum funditus destruere, atque sic utra ex parte decimatur anetum et relinquuntur, quae maiora sunt Legis. Commando me protectrici gratiae eius, summa veneratione ac cultu perpetuo me quoad vixero prostituendo.

Excellentiae Vestrae Illustrissimae, Patroni mei Amplissimi devotissimum et humillimum Servum et indesinentem ad aras Oratorem

In Monasterio S. Onuphrei, 1787, Junio die 27.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiep.pus Polocensis.

### 13.

*Polocia, 23. XII. 1787.*

*Cardinalibus de Prop. Fide de suo itinere in regionem Tauricam, in Crimea, simul cum Archiepiscopo Siestrzencowicz et principe Potemkin, deque variis operibus ibidem factis. Nec non de diebus festis in Ecclesia Ruthena, simul cum elenco.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 879, fol. 35-40v.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 628-631r.

Eminentissimi Domini.

Litterae S. Congregationis, quas primis huius mensis accepi, quo diutius a me expectatae, eo jucundiores, suavioresque mihi accidere, quibus summa cum animi voluptate lectis, singulares gratias cum Deo Optimo Maximo egi, quod hanc benevolam erga me Sanctae Sedi mentem inspiraverit, tum S. Congregationi, quod meas tandem justas preces, posthabita sinistra informatione, exaudiverit, meque non qualis sim, sed qualis esse debeam, perquam officiose admonuerit. Sane haec paterna Sanctae Sedi Apostolicae monita in corde meo semper haerebunt, summoque mihi incitamento erunt, ut quoad potero pro Religionis Catholicae, Sanctaeque Unionis propagatione, omnem curam meam, adjuvante Deo, convertam (f. 35v) quemadmodum jam, auxiliante gratia ejus, in Crimea, ex suo antiquo nomine Taurica nunc vocata, feliciter hujus conatus nostri semina, non sine spe boni fructus, jacta extitere, quo una cum Ill.mo Archiepiscopo latino Mohiloviensi, postquam a Celsissimo Principe Potemkin in mense Junio anni hujus perhumaniter invitati, advenientesque honorifice excepti fuerimus; ultra expectationem nostram assignata sunt pro nostris ecclesiis in civitate Theodosia, a Turcis Kaffa nuncupata, pro latina antiquum magnificaे structurae templum Graecum, a Muselmannis in balneum conversum; pro unita vero fanum turicum nuper extructum, vulgo meczet dictum, quod cum exqua reparazione indigerit, continuo expurgatis superstitionis turcicae sordibus, dirutisque Mahometis insignibus, atque sculpturis, tum erecto nostro Altari, ac debite

adornato, et Cruce fastigio templi superimposita Ill.mus Mohiloviensis, a me ad id rogatus, privato ritu, in praesentia ingentis multitudinis varii populi Armenorum, Graecorum, Germanorum etc. (f. 36) duarumque Legionum exercitus Russici, Officialium, ac Praefectorum benedixit, ac primus in hac nova, et usque adhuc ibi inaudita Rutheno-unita ecclesia Divinam hostiam, assistantibus Canonicis, obtulit, penes quam ecclesiam tantisper, dum presbyteri Basiliani illuc a me mittantur, Sacerdos armenus catholicus hujus loci Missionarius, nomine Jacobus, qui ante aliquot annos isthinc visitandi gratia limina SS. Apostolorum Romam peregrinatus fuit, pro peragendis Divinis, annuente Ill.mo Mohiloviensi, constitutus est. Postea monstrata nobis fuit extra civitatem insignis terrae fertilissimae portio pro praediis, ac domibus operariorum seu agricultorum, ad utramque ecclesiam, centum ad Latinam, et totidem ad Unitam, pro commoda sustentatione Ecclesiasticorum imminentis anni vere, si bellum non obstiterit, dimetienda, atque in perpetuum, sicuti solemniter promissum est, hisce nostris ecclesiis donanda; profecto binae hae catholicae ecclesiae, (f. 36v) si Deo benedicente ita, ut cupimus illic stabilitae extiterint, instar anchorae ad firmandam in hoc inclyto Imperio Religionem Catholicam cum tempore nobis erunt. Utinam immutatio dexteræ Altissimi omnia fana hostium Crucis Domini, quemadmodum illi, peccatis nostris ita poscentibus, nobis fecere, allata desuper militi Russico sub praesens bellum ope, in ecclesias catholicas cum gaudio orbis Christiani optato ocyus convertat?

Post redditum meum ex Taurica, Visitationi Monasteriorum, iuxta commissam mihi a Sancta Sede potestatem, ac statuta Imperatoria, signanter gloriosae memoriae Magni Petri<sup>108</sup> in sua ordinatione, *Reglement duchovnyj* dicta, operam impendo, tum ad continendam in suis cancellis disciplinam monasticam, tum ad coercendam quorumdam levitatem, sensim ad transgreendiendas Leges Imperiales pronam, quod certe crimen status redolet, poenamque exterminii expressa lege minatur; hac Visitatione peracta, quae necessario statuenda advertam, S. Congregationem certiorem de his facere haud tardabo. Interea benigne mihi a Sancta Sede (f. 37).concessam regendi eadem monasteria ad triennium facultatem, renovari, renovatamque ob loci, temporis, ac status rerum praesentis graves circumstantias, atque rationes ad Quinquennium saltem clementer indulgere tempestive hic, ac supplicissime oro.

Quantum vero ad demandatam mihi Provinciam planum faciendi S. Con-

---

<sup>108</sup> Petrus I, Czar Moscoviae (1682-1725). *Reglement duchovnyj* editum fuit an. 1721, quo anno Patriarchatus Moscoviae abolitus fuit et s.d. «Synodus Sancta» instituta, quae usque ad annum 1917 perduravit.

gregationi, quae festa apud non Unitos per annum observantur quoad Populum, cum obligatione abstinendi ab opere servili, ex parvo Calendario in annum imminentem 1788, polonico idiomate recens in lucem Polociae edito, fidelissime exscribo.

#### FESTA IMMOBILIA.

##### *Januario.*

Die 1. – Circumcisionis Christi Domini, et una S. Basilii Magni, a quo die novus etiam annus in Russia numerari incipit, quamvis officium de eo celebratur cum Graecis 7bris die 1.

Die 6. – Theophaniae Christi Domini.

##### *In Februario.*

Die 2. – Purificationis Beatissimae.

##### *In Martio.* (f. 37v)

Die 25. – Annunciationis ejusdem Beatissimae.

##### *In Aprili.*

Nullum festum occurrit quoad Populum.

##### *In Majo.*

Die 9. – Translationis in Bar reliquiarum S. Nicolai, in Russia tantum (apud Graecos enim non colitur) idque solum ubi gratiosa imago ejusdem Sancti, vel titulus ecclesiae.

##### *In Iunio.*

Die 24. – Nativitatis Sancti Joannis Baptistae.

Die 29. – SS. Apostolorum Petri et Pauli.

##### *In Iulio.*

Nullum quoad Populum.

##### *In Augusto.*

Die 6. – Transfigurationis Christi Domini.

Die 15. – Obdormitionis Beatissimae.

Die 29. – Decollationis S. Joannis Baptistae, qua die jejunium etiam, licetsi Dominica sit, stricte observatur.

*In Septembri.*

Die 8. – Nativitatis Beatissimae.

Die 14. – Exaltationis S. Crucis; hac die jejunium quoque strictissime servatur, quamvis Dominica sit.

(f. 38) Die 26. – S. Joannis Apostoli, et Evangelistae.

*In Octobri.*

Die 1. – Protectionis Beatissimae.

*In Novembri.*

Die 8. – S. Michaelis Archangeli.

Die 21. – Ingressus Beatissimae in templum.

*In Decembri.*

Die 6. – S. Nicolai.

Die 25. – Festa Nativitatis Christi Domini, per triduum.

**FESTA MOBILIA.**

Resurrectionis Christi Domini ex Lege Ecclesiae per biduum, ex consuetudine per triduum.

Ascensionis ejusdem in Coelum.

Pentecostes, seu descensionis Spiritus S., per biduum.

Atque haec ipsa festa, nec alia, nec plura Uniti etiam ante Synodum Zamoscianam observabant, ut patet ex hujus temporis praxi, nondum ex hominum memoria deleta. Jam quod S. Congregatio in antecessum commendat, inter dies, qui observandi erunt, referendum esse festum Beati Josaphat, equidem nihil justius, Rutheno-Unitae Ecclesiae convenientius, multisque modis nos ad id (f. 38v) devincient arctius; meo tamen judicio praestaret magis, praecipue hoc in Imperio, hujus Sacro Martyri festum per Synodum Zamoscianam die 16. 7bris institutum, in proximam Dominicam transferendum esse; quemadmodum in Polonia p.m. Theodosius Rudnicki, Alumnus Pontificius, postea Episcopus Luceoriensis, post suam in hunc Episcopatum anno 1730 promotionem, pro tota Dioecesi sua constituerat; cuius literae typo impressae et per Dioecesim distributae penes plures Parochiales usque dum extant; nec suppono Virum istum, utpote pium, et doctum, et in Collegio Pontificio educatum, inscia Sancta Sede id fecisse; nam cum multi hic Domini non Uniti sint, difficile adduci poterunt, ut suos subditos Unidos illo festo ipsis ignoto ad opera servilia non cogant. Idem meum consilium

de festo Corporis Christi Domini, quae bina festa sic in Dominicam diem translata non modo contemptui non-Unitorum minime exponerentur, verum reverentia eorum apud illos quoque, praesertim devotiones, qui nostras ecclesias devotionis causa saepius adire solent, sensim invalesceret.

(f. 39) Quod attinet ad Decretum S. Congregationis in epistola ad me data expressum, huic ego libentissime adhaerens scripsi ad Ill.mum Metropolitanum et ad alios, hancque epistolam S. Congregationis illis in transcriptis exemplaribus misi, exponendo: Cum necessitatem, qua hic premor corruptelas Ritus Nostri, ne sit idem Ritus amplius irrisioni, ac scandalo non Unitorum, ad Orientalis Ecclesiae normam, a SS. Patribus traditam, quanto celerius emendandi, sicque emendatum et S. Sedi praezentatum tam in Parochialibus, quam vel maxime in Monasteriis, unde hae depravationes primum emanatae, in animis omnium alte insederunt, concorditer ab omnibus observari serio intimandi. Tum quod nihil congruentius, S. Sedi Apostolicae gratius, nostraequae Ecclesiae gloriósius, quam si absque ulla procrastinatione, quod S. Sedes praecepit, concordibus animis, ac mutuis studiis exequamur, nec opus hic longo labore, aut deliberatione, cum ad manus habeamus; minime nos Decretum S. Congregationis terrere debet; (f. 39v) quippe abunde satis est, ad majorem Catholicae Fidei et unitatis protestationem, si in Rituali nostro commemorationem Summi Romani Pontificis, et in Symbolo additionem Filioque, retineamus; de quo etiam non-Uniti minime nos reprehendunt, probe scientes in hoc summam Unionis cum Sede Romana consistere. Verum praevideo nostrorum hac in parte oscitantem moram, quare meditatam a me versionem praefati Euchologii in linguam Sclavonicam haud perfecero, ad revidendum S. Sedi Apostolicae, an cum originali plane et exacte consentiat, mittendum impense curabo, nec ita verso in Sclavonicum idioma utar, quam si a S. Sede, utrum fide integre translatum est, revisum fuerit.

Unum restat S. Congregationi cum supplici prece referre: Redeuntibus ex Taurica in Civitatem Kremienczuk, ubi Residentia solita Celsissimi Potemkin, supplicatum nobis ab Aula ejusdem Celsissimi, in qua multi Poloni, atque Itali in variis officiis, et obsequiis continuo permanent, ut illorum spirituali necessitati subveniendo detur Presbyter catholicus, linguae Polonicae, ac praesertim Italicae bene gnarus, qualem cum Ill.mus Mohiloviensis in (f. 40) promptu apud se reperiri non perspiceret, petiit me, ut ex Monachis Basilianis aliquem destinarem, cui ille curam suorum quoque committeret; postquam ergo in Dioecesim meam rediverim, in Monasterio Polocensi reperi virum plane ad hoc spirituale obsequium idoneum, et hoc onus in se suscipere ultro paratum, Arsenium Teodorowicz,<sup>109</sup> qui octo annis in studiis Theo-

---

<sup>109</sup> Arsenius Teodorowicz, Basilianus; non erat Alumnus Romae et inde nescimus unde nam cognovit linguam italicam. Ut scribitur inferius, quod Romae commorabatur

logicis, tum aliis sui Ordinis occupationibus Romae non inutiliter tempus contrivit; quem ego hisce diebus in dictam Civitatem Krzemienczuk mittere omnino apud me constitui; Sed quia ibi nullus Presbyter Ritus Latini reperitur, qui consecret hostias pro Catholicis latinis, idcirco scribo ad Ill.mum Dominum Nuntium Varsaviensem rogando, ut hanc illi facultatem, donec ibi moratus fuerit, impetriri velit, quam etiam a S. Sede obtinere pro ipso, et aliis cuperem; qui in ipsa quoque Roma adhuc morando,<sup>110</sup> circa annum 1774, ut ipse refert, cum p.m. Reverendissimo Ignatio Wolodzko,<sup>111</sup> Congregat. Ruthenae O.S.B.M. Generali Procuratore, et post Abbatem Zydyczynensi, pro Populo latino, ad aedes (f. 40v) Beatae Virginis Mariae de Pasculo, pie-tatis causa concurrente, ex commisso ejusdem Ignatii Wolodzko Hostias latinas in sua Ruthena Missa consecrabat, quod dictus pie functus Wolodzko pro eodem Populo latino communicando saepius fecerat, sciente, nec contradicente S. Congregatione de Propaganda Fide; tanto magis licere id puto in illis oris, ubi extrema pene necessitas id postulat.

Reliqua quae pro bono Ecclesiae, ac praesertim pro pristina ejus pace in commune cum Ill.mo Mohiloviensi conferre pro viribus intendimus, ne in praesens nimium forte longa scriptione molestus sim, commodo tempore significaturum me polliceor, prout indesinenti cultu, et veneratione semper manens

Eminentiarum Vestrarum quotidianus Orator et humillimus Servus  
HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Polociae, 23. Xbris 1787.

#### 14.

*Polocia, 23. XII. 1787.*

*De sua actione in Taurica in favorem Unionis; de querela Cleri sui pro recuperandis summis ad erendum Seminarium eparchiale etc.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 622-624rv.

Excellentissime, Illustrissime Domine, Domine Patrone Amplissime.

Post redditum meum in mense 7-bri labentis anni 1787 ex Crimea, suo antiquo nomine Taurica modo vocata, quo una cum Ill.mo Archiepiscopo

et quidem per «octo annos in studiis theologici»; forsitan erat sacristanus in ecclesia SS. Sergii et Bacchi?

<sup>110</sup> Ex elenchis Alumnorum, quos paravit tum pro Collegio Graeco tum pro Urbaniiano Dm. BLAZEJOWSKYJ, non nobis constat de eius commoratione Romae; cfr. «Anlecta OSBM», vol. IX (1971) vol. X (1979).

<sup>111</sup> Ignatius Wolodzko, Procurator generalis in Urbe (1760-1772); dein Archimandrita Zydyczynensis (1780-1782). Obiit die 13 Aprilis 1782.

latino Mohiloviensi proficisci Ecclesiae negotium nos impellebat, de quo fuse in meo responso hic adnexo, ultra expectationem ferme meam accepi epistolam Excellentiae Vestrae recti consilii, magnaenque erga me benevolentiae plenam, cum exemplo prioris 14 Aprilis ad me datae, cuius originale meas ad manus, seu casu, seu malevolentia quorundam haud pervenit. Brevi post redditae mihi litterae S. Congregationis, quarum apographum, meique responsi exemplar hic adnectere non importunum ei puto. Inde enim Excellentia Vestra Ill.ma facile agnoscat, cum Sanctae (fol. 622v) Sedi plene persuasum esse, me non alia ratione duci, ut tam anxie molesteque a Sancta Sede implorare me opem, auxiliumque mihi afferri, in evelendis corruptelis ac deformationibus temeritate privatorum in Ritum Ecclesiae nostrae Ruthenae sensim irreptis, quas etiam Sedes Apostolica, a me singulatim sibi relatas, eiusmodi esse agnoscit, quam ad Christianae charitatis vinculum, etiam cum illis, qui a nobis dissident, salva catholica fide et unitate in pene servandum, non attento, quod quidam improvidi vane metuunt orire inde scandalum, unde maior fidelium aedificatio, meliorque de nobis vel ipsorum non-Unitorum existimatio sperari certo debet; quid enim non modo illos, sed catholicos quoque, rerum ecclesiasticarum bene peritos, magis scandalizare potest, quam haec nostra tam notabilis, ac tam temera a praescripto SS. Patrum et antiquissima Ecclesiae Orientalis consuetudine, inconsulta Sede Apostolica, discessio, atque aliena ab omni probato ab Ecclesia Ritu novitas. Tum mei erga Sanctam Sedem devoti animi (fol. 623) sincerique obsequii atque filialis pietatis declarationem, cuius sicuti consiliis me regi, ita monitis ac mandatis obtemperare in votis perpetuis habeo. Ex eodem responso meo Excellentia Vestra Ill.ma clare perspiciet, quid in Taurica egimus, et quod commodum pro Ecclesiis nostris Dei gratia reportavimus? quibusve post reditum meum hic distineor? Ibidem latius expressi causas quae me impulerunt Excellentiae Vestrae Illustrissimae humiliter supplicare, ut perpensis his omnino, ut mihi videtur iustis rationibus, velit imperfiri religioso Arsenio Teodorowicz, OSBM, presbytero, pro spirituali obsequio catholicorum ad aulam Celsissimi Principis Potemkin, a me hisce diebusmittendo, facultatem consecrandi in Missa sua Ruthena hostias pro Catholicis latinis, quam gratiam pro illo uti enixissime rogo, ita sine mora obtinere eandem quam maxime cupio, atque supplicissime accelerationem huius pii favoris exoro.

Quoad consilium Excellentiae Vestrae Ill.mae, quo me adhortatur, ut ego ipse ex vi muneric et obligationis meae tuendi iura Cleri mei, exponerem Ill.mo Metropolitano querelas eiusdem (fol. 623v) Cleri, ratione pecuniae pro Seminario contributae et apud ipsum nescio, quo iuris colore hactenus retentae; equidem ego adverti(?) illud ternis litteris ad eundem Ill.mum Metropolitanum datis, quibus et supplices Cleri mihi porrectas, quas priori epistola

mea 14 Aprilis Excellentiae Vestrae communicavi, adiunxeram; Clerus etiam iustum suam petitionem commonstrando submississime scripsit; at nullum usque adhuc tum mihi, tum Clero responsum datum. Interea ego, ut amans pacis, ita assuetus patientiae, oblationi praesens occasione scribendi, tum ad ipsum Ill.mum Metropolitanum, tum ad alios collegas unitos, hortando et rogando ut executionem decreti S. Congregationis in litteris modo datis expressi accelerent; circa haec iterato eundem Ill.mum Metropolitanum perhumaniter rogo, ut et meae et suae conscientiae et existimationi consulens, quibusvis amicis mediis quaerimoniam hanc Cleri tandem velit consopire; si mihi (fol. 624) hac super re quidpiam rescribet, Excellentiae Vestrae significare, et si causa postulabit novum consilium atque opem expetere non omittam; modo rediens ad mox dictum decretum S. Congregationis, si hoc in puncto Excellentia Vestra Illustrissima aliquas sibi comissas, ut spero, a S. Sede habet partes, per amorem Dei et S. Religionis Catholicae oro, non desistat urgere nostros, ut sine mora, quam ego hic gravissimis ex causis diu pati non potero, huic decreto parere haud recusent. Ad haec petita mea si Excellentia Vestra dignata fuerit mihi respondere, quo tuto ac libere eius litterae ad me pervenire possint, nullus securior modus mihi videtur, quam a Praefecto Tabellariorum Varsaviensi cautionem in scripto de certo reddendis Praefecto eorundem Polocensi, ad ipsos limites Russiae manenti, exigere, quemadmodum et ego abhinc facere constitui. Finem impono epistole, ubi me indesinenti cultu ac veneratione profiteor.

Excellentiae Vestrae Illustrissimae devotissimus et humillimus Servus.  
Polociae, 23. X-bris 1787.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiep. Polocensis.

(fol. 622, *alia manu*): Ric. 26 Aprile 1788; Risp. 3 Maggio 1788.

## 15.

*Polocia, 1788.*

*Heraclius Lisowskyj dat Litteras circulares ad monachos Basilianos, de eligendis Superioribus, de Capitulis, de dependentia Religiosorum ab episcopo etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 885, fol. 271-272v.

Copia Circularium ab Ill.mo Heraclio Lissowski,  
Archiepiscopo Polocensi, ad Monasteria Basiliana.

In ditionibus Serenissimae Imperatricis Catherinae II, Dominae totius Russiae, etc. HERACLIUS ODROWAŻ LISSOWSKI, Dei et Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Polocensis, etc., Archimandrita Onuphriensis, Sancti Stanislai Eques. – Omnibus Monasteriorum Albae Russiae Ord. S.B. Magni Superioribus, Officialibus, et toti Clero monastico pacem in Domino.

Inter alia rationum motiva, Antecessor noster piae memoriae Excellentissimus Dominus Jason Junosza Smogorzewski, Metropolita, incurrit in odium Serenissimae Imperatricis, ut bene est notum singulis Fratribus nostris, ob hanc praecipue causam, quod in regendis Religiosis Albae Russiae, habens Jurisdictionem cum tanta potestate, quanta iam per publicas Patentialium Monarchicarum insinuationes Regimini nostro est demandata, nonmodo secundum praescripta ejusdem jurisdictionis non processerit, verum quoque passus sit privatum Religiosorum Regimen libere et aperte cum interpretativa quadam eorundem nobis, et potestati nostrae prejudiciosa facultate exerceri, et ratione huius conniventiae ac incuriae suae, tantam in se contraxit a Serenissima Imperatrice invidiam, ut eum etiam pro consecratione nostra, preseferens suum erga Personam ejus odium, in limites totius Russiae publicis circularibus admitti prohibuit. Ad similem fortassis statum, Fratres nostri, et nos pertrahere, et sibi ultimam stragem cum pauculis nostris Unitis procurare constituerunt, tuendo pertinaciter animi sui propositum, volendoque, ut quemadmodum stante Regimine p.m. Smogorzewski, ita et nostro, contra mentem Legislatricis, sibi in Codice Legum Monarchicarum satis claris verbis et scriptis explicatam Regimen in Ordine suo continent, renientes, se suaque negotia supremae Dominatricis resolutioni subiicere, ducentes sibi hanc subiectionem opprobrio, etiamsi a nobis ad parendum voluntati ejusdem fuerint solici.

Quare nos bene cognitum perspectumque habentes illos, quorum seriem multo minorem esse, quam bene cogitantum, non dubitamus, nunquam in hoc consensuros, ut eo modo Regimini nostro submissi teneantur, quem nobis Leges hujus Imperii praescribunt, praesertim in nominandis, et constituendis monasteriorum Superioribus, uti volunt verba Serenissimae Imperatricis, in dato ad Senatus Consultum die 17 Januarij 1782 anno mandato taliter expressa: – «Determinatio Superiorum in Monasteriis (f. 271v) et variorum Officialium, semper dependeat a potestate Archi-Episcopi, cui demandamus, ut Superiores eos tantum, qui in subditatu nostro, aut sunt nati, aut a nobis pro talibus agniti, instituat». Idem insinuatur et in altero Imperatricis mandato, sub anno 1783, in haec verba: – «Dependendo unice ab Archi-Episcopo, ejus Coadjutore et Consistorio etc.».

Sed in suam privatam sententiam ituros volentes, congregari Capitulum, et in illo solummodo sub praesidentia nostra, a semet-ipsis Superioribus et Officiales ad respectivum monasteriorum Regimen determinari, et beneficia Officiorum pluralitate votorum inter se distribui, minime advertentes hoc sibi jus nullatenus competere ac suffragari, cum Serenissima Imperatrix eligendi et determinandi Superioribus solis Archi-Episcopis cum plena jurisdictione super religiosis Personis idem jus praecomisit. Insuper videntes nos, quod vel maximum est, disciplinam Vitae Religiosae in monasteriis adeo

collapsam, ut alii in variis causis ad Officium a nobis in his Regionibus permisum recursum faciant, alii ad nos ipsos confugiant, tum etiam alteri ab alteris adeo opprimuntur, ut oppressi cogantur expetere a nobis facultatem transferendi se extra limites Imperii, quos et ipsi oppressores volentes nolentes, sequi debebunt, si illorum intima consilia, et gesta Legibus publicis contraria ab ipsis oppressis Fratribus publico patefacta fuerint.

Ad extremum docemur experimento, quod praesentanei Superiores, Religiosos, licetsi per se ad Curiam nostram dispositos, varijs oeconomicis et Spiritualibus modo muneribus perfungentes quia non idem cum ipsis sentiunt, infamant, circumscribunt, et aliis quibus possunt modis, persequuntur, statuendo inter se illos ad nullam Officiorum distributionem, quam sibi indebitae appropriant, admittendo. Taliter autem se querentes, Juventutem Religiosam, Regimini suo subiectam, ad hoc permovent, ut solum de illis uti suis Benefactoribus bene mereantur, nostram autem auctoritatem minime pensent.

In sequelam denegatae nobis debitae suae attentionis, conantur omnia Regiminis munia penes se retinere, explicantes in favorem sui mandata Serenissimae Imperatricis, contra mentem Sedis Romanae, concedentis nobis visitare monasteria, quoties placuerit, mutare ac corrigere mores et hoc omne statuere, quod nobis ad commodum et incrementum Boni publici videbitur, sic argumentantes: – Licet Serenissima Imperatrix in uno ad nos missa Circulari dicat: Religiosi dependeant unice ab Archi-Episcopo etc. In altera, determinatio Superiorum dependet a potestate Archi-Episcopi etc., quibus mandatis, videtur, praeterire silentio, penes quem ad regendos (f. 272) Religiosos potestas remaneat; supponit nihilominus penes Religiosos, juxta Canones, eandem regendi Personas suas potestatem remanere. Non attendunt nostri Fratres quod Serenissima Imperatrix neque suae Religionis monachis, sub potestate Episcoporum existentibus, privatam regendi se independenter ab Episcopis facultatem permisit. Utique et Jesuitae non ponent tantum curae in excutienda a se potestate Archiepiscopali, si nescirent, quam late extendatur eadem potestas; nam sufficeret eis acquiescere favorabili in partem sui Canonum explicationi, et antiquae Ordinis sui consuetudini, sine recursu ad Thronum, pro obtainenda exemptione, licetsi isti ab institutione sui Ordinis Privilegio exemptionis gaudebant, nostri autem Fratres in Polonia degentes, non pridem exemptionis gratiam a Sede Apostolica obtinuerunt.

His itaque pensatis, concludendum restat, quis cui debeat subjacere? nam Fratres nostri volentes omnino ut electio Superiorum ac omnium Officialium ad ipsos solos, confirmatio vero ad nos spectet, procedunt contra mentem Serenissimae Imperatricis, jus nobis pro munere Pastorali illimitatum regendi tribuentis, et volentis, ut nos quos viderimus benemeritos et digniores eligamus ac promoveamus ad Officia, et conantur nos Pastorem, a se quodammodo dependere debere, cum in tali statu constituti proprio

arbitrio oeconomica negotia promoveant; Officiales inter se, scientibus quidem, non tamen consentientibus nobis constituant; Processus juridicos forment; Summas Capitales, ad suum velle levent; derelicta post fata Religiosorum, cui placet, applicent; ad Novitiatum ejusmodi farinae homines admittant, qui oneratis Monasteriis exsolvendo pro illis annum Censum ad Erarium, apostatant; et alias insolitas, sine consensu et scitu Imperialis ac nostrae Pastoralis potestatis, exercent praxes.

His permoti rationibus, statuimus tenore praesentium: Omnibus Monasteriis denuntiare, quod quemadmodum Fratres nostri varie explicantes, et limitantes potestatem nostram, regimini, nobis a Serenissima Imperatrice commisso, et per Sanctam Sedem Apostolicam confirmato, in creandis Superioribus et Officialibus submittere se nolunt, ita nos nullum ab illis modo introductum, et deinceps introducendum Officium admittimus, aut quando admissuri et pro rato habituri sumus. Et quoniam modo Quadriennium Lithuaniae et Polonae Provinciae est terminatum, et mutatio Superiorum, secundum vigentem in illis Provinciis, quibus hac in parte favent jura Civilia, consuetudinem, est subsecuta, eo ipso et in his Regionibus, in quibus huc usque Fratres nostri (f. 272v) conformiter ad illos regebantur, Superioratus et Officia Regiminis religiosi una cum Jurisdictione respectivorum Officialium cessarunt, et nos nullum Superiorem et Officiale pro talibus abhinc recognoscimus, neque recognoscemus, hucusque donec recens a nobis instituendum Regimen respectu suarum personarum Fratres nostri expostula- verint, et actu obtinuerint.

Sic disposuimus praesentibus, ut honori nostro, et obstrictae jurejurando erga Serenissimam Imperatricem fidelitati nostrae subveniamus, ex sequentibus legitimis causis: – 1º. Multi, imo plures in Superioratibus et variis Officiis extiterant ex aliis Ditionibus, ad has advenae, non obtenta confirmatione sui a Serenissima Imperatrice, quae Legibus cavit ad Officia omnia Patriotas tantum, aut approbatos a se viros promovendos. 2º. Ejusmodi Superioratus et Officia cum summo nostrae apud Imperatricem periculo amittendae fidelitatis, patiebamur, sperantes tandem aliquando recursum ad nos, pro obtinenda in scriptis, quae hucusque est neglecta, approbatione. 3º. Literis nobis quibusdam est delatum, Fratres ex aliis Provincijs huc translatos, multas in varijs monasterijs excitare dissensiones.

Hanc nostram dispositionem videntes et legentes omnes Fratres minores, et majores decidunt apud se: Quid sibi utilius putent! an ad nos pro obtinenda Officiorum confirmatione recurrere? an scrupulis respondendo, quod hic vocationi suaee non plene satisfacientes, ad alias Provincias ex Imperio Rossico excedere? an demum intra limites hujus Dominij, Regimini a se constituendo sine recursu ad nos acquiescere? sequendo in hac materia canones favorabiles pro parte sui explicatos, et expetendo a suis anteactis

Superioribus, illorumque Patronis, ut illi, quemadmodum neverunt motiva persuadendi sibi, et interpretandi Regimen, a summa Imperij potestate monasteriis praescriptum, ita securitatem cujusque Personae, Officij, et Indigenatus, de quo nulla in spatio quinquennalis muneris nostri Pastoralis facta est diligentia, si tantum serius (quam fas erat) resipiscentibus, pretermisso ad nostram plenam potestatem recursu, votis satisfieri poterit, sua auctoritate tueatur.

Restat ut quisque, attenta tutiore parte, hanc vel illam amplectatur; pro Capitulo autem futuro iter arripiendum, quod componitur ex multis Personis judicio inter se discrepantibus, ex quibus certa in Regione conturbatio, et ex hac scandalum, ratione variorum discordiarum exsurgit, minime nobis probatur; scriptum hoc non tangit Personas, quas nos aestimamus, et amore prosequimur, sed solos Interessantes.

HERACLIUS, Archiepiscopus (mpr).

## 16.

*Onufrey, 3. VII. 1790.*

*Nuntio Varsaviensi H. Lisowskyj de negotio Seminarii, de exemptione monachorum, de Consistorio monachorum, etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 16, fol. 507-509v.  
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 635-636rv.

Excellentissime, Illustrissime Domine, Domine Patrone Amplissime.

Quod plus quam integro biennio nullas, tum ad Sacram Congregationem, tum ad Excellentiam Vestram Illustrissimam dederim literas, Monachi mei vere reverendi, et ne factione ipsorum Sancta Unio hic subvertatur, multum metuendi, praesertim Ambrosius Kyryatt, et Hieronymus Doroszewski,<sup>112</sup> cum suis praecipuis Asseclis: Samuele Nowakowski, Procuratore eorum Petropoli, et Michael Szelepin,<sup>113</sup> Varsaviae nunc ut audio molimina quaedam per consuetos suos cuniculos clanculum struente, in causa fuere; ego, quemadmodum ante, memor moniti Excellentiae Ill.mae in negotio Seminarii 10. 7bris 1787 mihi intimati in haec verba: «Oro et obtestor, ut secum ipse consideret, quanti res futura sit scandali, si (hocce negotium) in controversiam apud

<sup>112</sup> Ambrosius Kiryatt, lector in Collegio Vilnensi, membrum Consistorii Polocensis (1780-1784); Hieronymus Doroszkovskyj, Alumnus Coll. Graecorum in Urbe annis 1771-1773; venit iam sacerdos; egressus 11.IV.1773. Cfr. Dm. BLAZEJOVSKYJ, *Ukrainian and Bielorusian Students in Coll. Graeco*, in «Analecta OSBM» vol. X (1979), pag. 173.

<sup>113</sup> Samuel Nowakowskyj, Basilianus bialorussus; Procurator Archieparchiae Polocensis Petropoli; cfr. de ipso plures notitias in litteris H. Lisowskyj.

magistratus, aut judices laicos deferatur », malui, ut pecunia periret, sicuti iam plene periit, quam ut salubri admonitioni Excellentiae Ill.mae morem haud libens gererem, ita postquam dicti Reverendi Monachi, plus aequo exemptionis suae studiosi, quam illi maxime in constitutione Superiorum in monasteriis, praesertim pinguioribus, sibi duntaxat competere praetendunt, contra expressum suae Imperatoriae Majestatis mandatum dirigenti Senatui 26 Januarii 1782 intimatum sub punto 8vo, in haec verba: « Constitutio in Monasteriis Praepositorum vel Superiorum, et in Parochiis Sacerdotum saecularium, ac aliorum Ecclesiasticorum Officiorum spectat ad potestatem Archi-Episcopi a nobis praefecti ». Cum illam, perpensis datis mihi a Sancta Sede Apostolica facultatibus, tueri apud eandem Sanctam Sedem posse desperassent, apud Regentem Senatum Imperii subdolis, et fraudulentis viis, cum mendacissima mei calumniatione, hanc caram exemptionem suam, tamquam ii, qui (f. 507v) sub immediata Sedis Apostolicae protectione ac directione (hoc quippe Decretum Concilii Tridentini de Regularibus, cap. VIII, stare pro se magnopere jactant), quamvis eidem Sanctae Sedi, uti ex spretis ejus facultatibus mihi datis liquido constat, refractarii et inobedientes deprehendantur, in mense 7bri anni elapsi, per conciliata sibi ingenti mammona, ut ipsi Monachi nunc summussant, Patronos promovere adorsi fuerint, habui me patienter ac commoventer brevi nonnisi ad requisitionem Senatus dato in scriptis responso, permittendo eis, quod in proverbio est: « Si tua mala causa, sis primus accusans ». Tandem 28 Februarii, anni nunc currentis 1790, obtinuerunt aerigmaticum pro et contra exponibile Decretum, quo cum plausu, et tripudio magno, ne dicam ridiculo, suscepto, ubi contra supremas leges Imperii perperam illud interpretari coeperint, ad hanc usque temeritatem devenerunt, ut contra omnes canones, contra omnem ab initio christianitatis praxim, contra supremum ejus Imperatoriae Majestatis, anno jam memorato 1782, 26 Januarii, sub punto 11, mandatum: « Confirmamus quatenus omnes Religiosorum Ordines, dependendo unice ab Archi-Episcopo, ipsisque Consistorio ». Alias juxta mandata Imperatoria anno 1779, 14. Xbris sub punto 5º et anno 1782, 26 Januarii sub punto 6º, tum anno 1774, die 12 Maii, penes domum suam, sub sua Praesidentia, adscitis e medio suorum Ecclesiasticorum, juxta beneplacitum suum, duobus aut tribus Assessoribus, per ipsum Archiepiscopum constituendos, « quibus ego mandatis obtemperans, ejusmodi Consistorium 1787, die 9 Iunij, ad latus meum constitui (imo contra Decretum ipsius Regentis Senatus), formato sibi independenter ab Archi-Episcopo Consistorio, cuius praefatus Ambrosius Kiryatt, se Praesidem in publicis scriptis declaravit, sicuti etiam Monasteriorum Visitatorem itidem contra supremum mandatum Imperatorium 1780 anno, die 2 Januarii, intimo Suae Imperatoriae Majestatis Consiliario datum, sub punto 2do: « ne quis ex Ecclesiasticis Romanis, functionem Spiritualem, Visitationem, aliaque

secundum Ritum hujus Religioni (f. 509) Officia adire praesumat, nisi qui Episcopi licentiam habent ac benedictionem, eamque scriptam exhibere possint ». « Sin autem aliqui eorum absque illius scitu in negotia Ecclesiae, et Officia sese ingerere reperti fuerint, tales ex districtu, in districtum et ex praefectura una ad alteram producantur versus fines, ut ejiciantur ». Subque hujus fatui sui Consistorii pallio ordinariam sibi potestatem et jurisdictionem, acsi sede vacante, non solum in Monachos, praecipue suae factionis socios, (nam pars major minime iis obedit) ex quibus non pridem Glycerium Dolinski, impudentissimae proterviae hominem, superbissimum ac mihi inimicissimum, invito me, ac sine approbatione mea, in Cathedra mea concionatorem obtruderunt, et monasterio Cathedrali meo Orszensi Superiore, absque scitu meo, constituerunt, aliasque pluribus in monasteriis ordinationes suas ex famoso Consistorio suo publicarunt. Sed etiam in Clerum, quem ego videns inique a Monachis tractari, mea Constitutione die 7 Januarii anni hujus 1790 in perpetuum cum in Consistorio meo domestico, superius memorato, tum in tota Eparchia mea quoad regimen secrevi, perquam temere et impudenter arrogare audent, de quo fusius perscribo, ad Illustrissimum Dominum Lewinski, Coadjutorem et Administratorem Episcopatus Luceoriensis, atque enixe rogo, utpote qui propria experientia novit, quomodo in Polonia etiam a caris illis Curatoribus non pridem Clerus oppressus erat, ut Excellentiam Illustrissimam, de violenta eorum ambitione, plenius informet. Porro ego totus nunc in eo sum, ne conquerendo contra pravos Monachos pessimamque eorum mei calumniam a me retundendo, bonis officiam. Quare statui apud me contra personas tantum, non vero contra Ordinem conqueri, atque hac cum querela misi jam Fratrem meum ad Celsissimum Principem Potemkin, uti Ecclesiae nostrae Unitae Protectorem, quod et quale responsum ac consilium ibi obtinuero, Excellentiae Vestrae Illustrissimae (f. 509v) continuo referre non omittam.

Interim Missam S. Chrisostomi ex Euchologio felicis recor. Benedicti XIV, a R.mo Vicario meo Latine et Sclavonice redditam, donec ipsum interpretem cum toto Rituali Varsaviam dimisero, hic adiungo, ac summa cum veneratione maneo.

Excellentiae Vestrae Illustrissimae, Patroni mei Amplissimi, devotissimus ad Altare Dei Precator ac demississimus Servus

HERACLIUS LISOWSKI, Archi-Episcopus Polocensis.

Onufrei, 1790 Anno, Julii 3 die.

---

(f. 508) Varsavia, 13 Ottobre 1790:

*NOTA* – Le carte annesse a questa lettera di questo Arcivescovo di Odessa trasmesse a Mons. Nunzio, le quali sono tre quinterni della Messa di

S. Gio. Crisostomo, tradotti in Latino, e Schiavonico Moscovita dalla Liturgia del medesimo Santo, stampata nell'Eucologio di Benedetto XIV, furono da me consegnati a D. Serafino de Simone, Maestro di lingua Illirica, per confrontare la traduzione Moscovita.

Vi è un quinterno annesso di osservazioni latine, fatte a detta traduzione in Polonia.

## 17.

*Onuphrey, 16. XI. 1790.*

*H. Lisowskyj Nuntio Varsaviensi de exemptione et subiectione monachorum Archiepiscopo, nec non de Euchologio Benedicti XIV etc.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 637-638r.

Excellentissime, Illustrissime Domine. D.ne Patronne Amplissime.

Postquam ultimis Augusti anni huius 1790, datis ad Excellentiam Vestram Illustrissimam (proviso sat tuto medio, ut ad manus eius pervenirent) litteris, exposuerim qua de causa cum ad Sacram Congregationem, tum ad Excellentiam Illustrissimam biennio pene toto nihil quidquam scribere potui, videlicet ob Monachorum meorum litigia inique contra me in Senatu Imperii mota, praestolans adusque eventum, utinam et Ecclesiae meae et illis non lethaliter exitiosum, quam tragediam late exscripsi in iisdem litteris, atque simul ad Ill.mum Dominum Lewinski, Coadiutorem et Administratorem Episcopatus Luceoriensis, rogans enixe, ut Excellentiam Vestram Ill.mam amplius super his informet, utpote qui sua experientia melius novit, quomodo sancta illa oboedientia monachalis nec umbram subiectionis suo Episcopo pati a novitiatu assueta, seu potius a suis Superioribus ita edocta vix ulli Episcoporum non molesta fuit, quare repetere hic ista supervacaneum existimo; unum tantummodo conqueror, quod his multum praejudiciosis monachorum tricis diu noctuque me excrucians, in dies viribus deficio et quod me, ante conflictum cum morte, non semel vix non mori facit, quia praevideo ex his nimis isthic odiosis exiguae istius nostrae unitae cohorticulae intestinis dissidiis nullum, utinam fallar, post fata mea, Ecclesiae (fol. 637v) nostrae dari hic Episcopum et eo fortasse fine in decreto Senatus insertum id, de quo nulla mentio erat in expostulatione contra me eidem Senatui proposita, nimirum confirmatio Consistorii, pro tempore Sedis vacantis, mandato Imperatorio propter Unitos ex quattuor spiritualibus personis instituti; quae personae tunc Consistorium istud componentes, quia ex solis monachis erant, id ipsum in praesens, etiam vi huius Decreti perperam per illos interpretati, acsi soli monachi personae spirituales essent, omnino praetendunt in vanum improvidi, sperantes non modo suam hocce decreto quasi plene iam vindicatam

exemptionem, sed et in Clerum vicariam, quodve in terminis pugnat, ab Archiepiscopo minus dependentem iurisdictionem (quod factis etiam pluribus iam monstrarunt), in eodem Consistorio tanquam in Pantheo perennaturam, minime prospicientes, inconsideratissimi, sine Episcopo non modo illorum Ordinem, verum ipsam quoque Sanctam Unionem nullo pacto hic subsistere posse. Plura Reverendissimus Vicarius meus, brevi ad Regiam profecturus, Excellentiae Vestrae Ill.mae de hac, uti multum praesumptuosa, ita nimis caeca dictorum monachorum imprudentia referet, unaque exponet, quomodo ego patienter ista ferens, ne exemplum ex persona mea nostris Ecclesiasticis hic degentibus litigandi inter (fol. 638) se, coram iudicio laico praebeam; expecto in dies commodum tempus proficisci ad Celsissimum Principem Potemkin, uti religionis nostrae Unitae Protectorem, ut nempe eius interventu per privatos supplices ad Serenissimam Imperatricem porrectos fomes iste pessimus sopiri possit; qui etiam Liturgicon ex Euchologio, Felic. Recordationis, Benedicti XIV, opera sua latine et sclavonice redditum V.E. Ill.mae praesentabit, e quo Liturgico – Missa Sancti Chrisostomi, litteris meis supramemoratis annexa tantisper fuerat, ad quas litteras dum responsum expectabam, accepi aliam die 6, iuxta vetus, mensis et anni praesentis, dignissimam, mihi gratissimam Excellentiae Ill.mae epistolam, 31 Julii huius anni ad me datam, verum adusque per manus tabellariorum huc illuc erratam, quae me de intermissione scribendi tam ad Sacram Congregationem, quam ad Excellentiam Ill.mam perhumaniter admonuit, cui hisce, accidente benigna V.E. Ill.mae venia, satisfacere me abunde puto; unicum demississime exoro, atque supplicissime rogo, ut pro sua in me bonitate, donec ego per eundem Reverendissimum Vicarium meum, demandatam responsionem ad Sacram Congregationem, quo tutius ad Urbem pervenire posset, direxero; faveat E. Ill.ma (fol. 638v) me coram eadem Sacra Congregatione, mentione injecta de afflictione mea, ut facile potest, comiter excusare; ego enim vero animo constanter permaneo debitor erga Sanctam Sedem Apostolicam reverentia, ac fideli oboeditione, prouti etiam indesinenti plenissimo cultu Excellentiae Illustrissimae Vestrae, Domini Patroni Amplissimi, devotissimus et humillimus Servus.

Onuphrei, 16. 9-bris 1790.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiep. Polocensis.

## 18.

(*Onuphrei*) 24/13. XII. 1790.

*Transmittit traductionem Euchologii Goariani; de suo itinere Moldaviam ad principem Potemkin.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 639r.

Excellentissime, Illustrissime Domine, D.ne Patrone Amplissime.

Dimittens Rev.mum in Spiritualibus Vicarium meum Gregorium Grot Turkiewicz<sup>114</sup> Varsaviam, uti promiseram, quatenus Excellentiae Vestrae Illustrissimae tum versionem suam, Latine et Ruthenice ex Euchologio F.R. Benedicti XIV factam, repreaesentet; tum ea, quae binis litteris meis ad Excellentiam Illustrissimam anno hoc datis exprimere non potui. Ipse coram planius explicet, quem singulari gratiae Excellentiae Vestrae Illustrissimae ex animo commendo, utpote qui pro augmentatione Sanctae Unionis multum hic non inutiliter laboravit; per eundem etiam Vicarium meum, quae ad Sacram Congregationem scribo, fidele exemplum, donec ipse pervenerit Varsaviam, hisce ordinario cursu missis adjungo, enixissime rogans, ut hae litterae meae tuto ad Urbem per Excellentiam Illustrissimam directae pervenire possint. Ego in procinctu iam viae sum ad Celsissimum Principem Potemkin, Moldaviam, eo scilicet fine, ut interventu huius multum apud Serenissimam Imperatricem, potentis Protectoris nostri, fomes iste noxius per Monachos meos excitatus celerius extingui queat. Interea cum profundissima veneratione maneo.

Excellentiae Vestrae Illustrissimae, Patroni Amplissimi, devotissimus et humillimus Servus.

Anno 1790, 24/13 X-bris.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiep. Polocensis.

## 19.

*Onufrey, 16/27. XII. 1790.*

*De litibus monachorum cum Archiepiscopo, de exemptione, de P. Ambr. Kiryat etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 16, fol. 535-540v.  
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 640-643v.

Eminentissimi Domini!

Postquam mira Providentia Dei, ultra omnem expectationem, et ubi prorsus iam desperatum fuit, ut hic Unitis suus aliquando daretur Episcopus, ego, licet immeritus, Cathedram Archi-Episcopalem concenderim, non modo exortam, Sede vacante, gravem nostrae Unitae Ecclesiae perturbationem singulari Numinis auxilio averti, infensoisque nobis usque ad hoc tempus dura aemulatione Episcopos non-unitos leni et amica cum illis conversatione

<sup>114</sup> Gregorius Grot Turkiewicz, Vicarius in Spiritualibus Polociae, qui multum iuvabat Heraclium in reformatione liturgica. Hic, ut videtur, Euchologium J. Goar in linguam slavicam traduxit; cfr. M. M. SOLOWIJS, OSBM, *De reformatione liturgica Herachi Lisowskyj, Archiepiscopi Polocensis (1784-1809)*, Romae 1950, in variis locis.

conciliavi, nobisque bene faventes effeci, verum media etiam pristinae inter Orientis et Occidentis Ecclesiae concordiae restituendae maiori eorundem Episcoporum parti (quae media summopere illis placuerunt) insinuare curavi; et dum omni iam externo turbine liber esse mini videbar, nihilque amplius cogitabam quam rectum imprimis disciplinae ecclesiasticae ordinem in Eparchia mea stabilire, ex inopinato invidus pacis inimicus pejorem prima intestinam commovit tempestatem, idque per eos, qui amore tranquillae vitae, fugiendo saeculi (f. 535v) tumultus, in cellis religiosis sese incluserant, per meos nempe caros Fratres Basilianos, non quidem omnes, sed quosdam, nonnisi eorum paucos primores, qui vocari volunt emeriti Rabbi, qui non modo umbram subiectionis suo Episcopo aversantur, verum debitae etiam observantiae legem sibi imponi iniquum putant, atque eo malo arrogantiae spiritu elati, ubi post adjunctam Imperio Russiae hancce Provinciam, suam prae vita cariorem exemptionem, tum supremis Legibus Imperii, tum Sanctae Sedis Apostolicae Decretis circumscribi subolevarint, variis technis, ac molimentis, tum ipso actu consecrationis meae, tum post circumvenire me conati sunt, ut eorum caram hanc exemptionem sine ulla diminutione perstare sinerem, quae astuta eorum molimina recensere hic nimis longum esset; frustra meae per annos quinque frequentes tum verbis tum scriptis representationes, atque commonitiones erant; quanti scilicet periculi res est, in hocce Dominio Supremae potestatis dispositionibus tam proterve refragari (f. 536) et in quanto metu ego totus versor, ne a me primo harum inconvenientiarum, quae pestis instar pedetentim per Monasteria serpunt, si notoriae fiant, cum ingente confusione mea ratio exigatur.

Tandem, ubi surdas aures me pulsare adverti, Anno praeterito 1789, in mense Julio, inhaerens tum supremis legibus Imperii, et quidem 1: in mandato suaे Imperatoriae Maiestatis Senatui dato 1772 anno, 14. Xbris, sub puncto 4º: de Unito Archi-Episcopo, qui eo temporis erat, p.m. praedecessor meus, Jason Smogorzewski, ita disponitur: « Unitus hodiernus Archiepiscopus in eadem Dioecesi, in qua nunc est Archiepiscopus, maneat, et ipsi committuntur unice in omnibus his acquisitis Provinciis monasteria, et ecclesiae unitae cum suis Parochianis in regimen Spirituale »; 2. In mandato suaे Imperatoriae Maiestatis, per intimum Consiliarium Wolkowium publicato Anno 1780, die 2 Januarii, sub puncto 2º cavetur: « Ne quis ex Ecclesiasticis Romanis functionem spiritualem, visitationem, correctionem, aliaque secundum Ritum huius Religionis Officia (f. 536v) arrogare sibi praesumat, nisi praememorati Episcopi, uti secundum voluntatem nostram constituti legitimi Romanae Ecclesiae Pastores, habeant super his consensum, ac benedictionem; eamque in scripto exhibere possint »; 3. In mandato suaे Imperatoriae Maiestatis Anno 1782, 26 Januarii, ex dirigente Senatu publicato, habetur sub puncto 8vo: « Constitutio in monasteriis Praepositorum vel

Superiorum, et in Parochiis sacerdotum saecularium spectat ad potestatem Archiepiscopi, a nobis praefecti ». Et ibidem, sub puncto 11º: « Confirmamus quatenus omnes Religiosorum Ordines Romanae fidei, dependendo unice ab Archiepiscopo, haud praesumant subdere se subordinationi cuiuscumque alterius potestatis spiritualis ». Quae bina posteriora mandata, uti et alia plura, quamvis pro parte Ill.mi Siestrzencevicz, Archiepiscopi latini Mohiloviensis edita, attamen in speciali supremo mandato sua Imperatoriae Maiestatis, pro parte mea Anno 1785, die 7<sup>a</sup> Januarii, emanato in haec verba: « Mandamus omnibus in genere Monasteriis, atque omnibus Ecclesiasticis, cuiuscumque status et communitatis sint, in Imperio (f. 537) Russiae existentibus, Religionis unitae, omni modo subesse jurisdictioni Archiepiscopi Polocensis, conformiter ad nostra praescripta de monasteriis Romanae Ecclesiae, et subiectione eorum Mohiloviensi eiusdem Ecclesiae Archiepiscopo ». In quo mandato, mox relato, perquam claris verbis jubeor me referre in regendis monasteriis ad supremas dispositiones sua Imperatoriae Maiestatis pro Monasteriis latinis Ill.mo Siestrzencevicz, Archiepiscopo latino datos; tum binis Decretis Sanctae Sedis Apostolicae, perbene Sacrae Congregationi notis, feci publicari per Monasteria declarationem meam, quia ego, post longam patientiam meam, videns tot admonitiones meas nihil proficere, disciplinamque Monasticam in peius sensim prolabi, ac foede depravari, unaque timens, ne pro dissimulatione mea in gravi sim responsione, cogor uti potestate data mihi, cum a Sancta Sede Apostolica, tum a sua Maiestate Imperatoria regendi monasteria in hac Provincia, ditioni Russiae subiecta; post quam declarationem, ubi Visitatorem Provincialem (f. 537v), qui nullus hactenus solemni jure constitutus erat, et aliquos Superiores designaverim, aegerrime tulerunt hanc meam dispositionem; primus, Ambrosius Kiriatt,<sup>115</sup> Superior Polocensis, qui perpetuus esse Visitator Provinciae, nescio quo iure, quia neque a me praeter verbotenus ad ulteriorem ordinationem meam, neque a Sancta Sede, neque ab ulla, quoad scio, competente jurisdictione commissam sibi id habet, summa cum ambitione praetendit, et pro tali usque adhuc intrusus sese gerit; alter, Hieronymus Doroszewski,<sup>116</sup> Superior Vitebsensis,

<sup>115</sup> Ambrosius Kiryatt, Superior Polocensis, defensor Ordinis contra aggressionem Heraclii Lisowskyj contra exemptionem, cuius erat strenuus defensor; Alumnus Coll. Graecorum annis 1761-1765, natus 10 Septembris 1739, ingr. 17 Novembris 1761, egr. 5 Maji 1765, ordinatus sacerdos eodem anno 1765. « Satisfecit in omnibus ». Cfr. D.M. BLAZEJOVSKYJ, *Ukrainian and Bielorussian Students...*, in « Analecta OSBM », vol. X (1979), pag. 170. Habuit fratrem Heraclium, qui operam Ambrosii ulterius promovebat.

<sup>116</sup> Hieronymus Doroszewski, Alumnus Coll. Graecorum de Urbe (1771-1773). Scriptum in Chronicis Collegii: « Optimo pollet ingenio, et diligentia, ac religiosis moribus plene satisfecit ». Anno vero 1790 fuit Superior Vitebsensis. Cfr. D.M. BLAZEJOVSKYJ, *Ukrainian and Bielorussian Students...*, in « Analecta OSBM », vol. X (1979), pag. 172.

qui jus quasi haereditarium tum ad eundem Superioratum, tum ad alia, quo autem pacto ille solus fortassis scire potest, arrogantissime vindicat; atque illi duo emeriti Patres, cum paucis suis Asseclis, inito secum consilio, fraude pessima, non quod ego per monasteria publicavi, sed quod nec somniavi unquam, uti primo: ac si ego in possessionem bonorum ad monasterium Polocense spectantium, quod monasterium a Cathedra Archi-Episcopali distinctum nunquam (f. 538) Polociae extabat, neque modo extat, violenter involavi; 2do. Ac si praefatum Ambrosium Kiriatt et eius Vicarium Michaelem Szelepin ex Monasterio ignominiose, nullo praevio decreto, expuli etc. etc. mendacissime, summa cum denigratione mei, clanculariis viis, postquam ad Senatum detulerint, perque conciliatos sibi plena auri manu Patronos et Advocatos, qui Senatui, maioris momenti negotiis distento, facile quaevis falsa, nemine ex parte accusata respondentे, pro veris insinuare ex arte edocti, procurarunt Decretum meae jurisdictioni Pastorali multum praejudicans, et quod mihi, et Ecclesiae meae iniuriosissimum, in Decreto illo subdole, de quo nulla mentio in expostulatione contra me erat, insertum est, videlicet, primum; silentio praetermissо meo Consistorio, secundum supremas dispositiones Imperatorias: 1. In mandato superius memorato 1772, die 14. Xbris, sub punto 5to: «ambo hi Episcopi (Latinus et Unitus) penes domos suas spiritualia Consistoria propter expedienda negotia sua spiritualia habento, in quibus illi designare possunt (f. 538v), secundum suam consuetudinem, duos vel tres e medio suorum Ecclesiasticorum Assessores; 2. In diplomate pro fundatione Episcopatus Catholici in Alba Russia 1774 anno, die 12 Mai, ubi disponitur: «et penes eum (Episcopum) constituendo Consistorium cum Assessoribus, juxta beneplacitum eius instituendis», praetermissо, inquam, hocce Consistorio meo iam in Anno 1787, die 9 Junii, juxta has supremas Dispositiones Imperatorias solemniter instituto Consistorio, Sede vacante, pro commodo Unitorum ex quatuor Personis spiritualibus constitui, mandato Imperatorio permisum 1780 anno, die 2a Iulii, in praesens etiam valere pro omni communitate spirituali unitae Religionis et Parochiis, idque factum astutissimo dolo supramemoratorum Patrum, ut scilicet in isto Consistorio tanquam in Pantheo suam omnimodam exemptionem tutari pro semper possint, atque eo fine statim ac procuratum mox recensitum Senatus Decretum, inscio et invito me, Consistorium illud acephalum ac si me mortuo ex semetipsis, quasi illi soli Personae ecclesiasticae et spirituales (f. 539) essent, formarunt, praefatusque Ambrosius Kiriatt, Praeses huius Consistorii, me excluso, contra expressum mandatum suaе Imperatoriaie Maiestatis Anno 1782, die 26 Januarii, emanatum, ubi sub punto 5to habetur: «Archiepiscopus sub praesidentia sua Consistorium constituat», sese declaravit, atque ex eo acephalo Consistorio non solum ad monasteria suas varias dispositiones, litteras obedientiales etc. etc. edere coepit, et adusque

pro libito suo edit, sed et per Dioecesim etiam sua mandata, decreta, litteras pro benedictione ecclesiarum, etc. mittit, auctoritatemque sibi ordinariam in Parochos et Parochias, non attenta mea reclamatione, pertemere arrogat, mihiique solum vacuum pene nomen Archiepiscopi relinquit; sane inaudita haec tam proterva monachorum ambitio Sacrae Congregationi vix credibilis forte videbitur, et tamen ita est vera, ut nulla tergiversatione obtegi queat, cum plene probantia ad manus documenta habeam; 2dum: Idem vafri Patres suggesserunt Advocatis suis primas facultates Sanctae Sedis pro regendis eorum Monasteriis mihi datas, mihiique per Celsissimum Principem (f. 539v) Potemkin Petropoli in exemplari missas, in Senatu haud fuisse representatas, meque illis, contra mandatum suae Imperatoriae Maiestatis Anno 1772, die 14. Xbris, sub punto 9: «cum in his Provinciis etc. in visitandis Monasteriis usum, et ideo per memoratum Senatus Decretum acriter reprehensum, tum secundas pro quinquennio a Sancta Sede indultas, plusquam per duos iam annos in Cancellaria eiusdem Senatus ad hanc diem retinendi eosdemmet Caros Patres, ut vehementer suspicor, in causa esse, atque ita pro impedita Decretorum Sanctae Sedis Apostolicae executione in censuram Bullae Coenae Domini, § 14, forte incurrisse. Praeterea qua conscientia Divinis se immiscent, verosque Catholicos Sanctae Sedi Apostolicae animo sincero se esse coniunctos putant, cum nulli legitimae jurisdictioni spirituali Catholicae Ecclesiae subiecti sint, quippe Decreta Sanctae Sedis, per quae mihi subiciuntur, dolosis suis artibus partim eluserunt, partim executionem eorum suspenderunt, sicque per hanc callidam pervicatiam suam sese ab Ecclesia Catholica separarunt. Plane exemplum hoc primum in Hierarchia nostra (f. 540) unita, quod mihi uti dolorem, ita et timorem maximum incutit, ne proterva ista Monachorum seditio aut Ordini ipsorum, aut toti Ecclesiae Unitae ultimam hic cladem afferat, cum in illo Imperio sui etiam monachi, quamvis dominantis Religionis, ob suas contentiones et lites plurima monasteria amisere. Atque haec pessima litigia memoratorum Patrum, quae plusquam per annum me quotidie ferme discurtiant, quaeve vivere vix sinunt, impedimento mihi erant, quod plusquam toto biennio nihil litterarum ad Sacram Congregationem dederim, nec quidquam de statu Dioecesis meae, meaque devota erga Sanctam Sedem stabili observantia significaverim, modo in procinctu viae ad Celsissimum Principem Potemkin, uti aliarum externarum, ita at nostrae Catholico-Ruthenae Ecclesiae Protectorem, et singularem mei Patronum, quatenus eius interventu ad Augustissimam Imperatricem (nolo enim, cum summo dedecore meo, cum Monachis meis, etsi me primi provocaverint, in juditio laico litigare) ocyus restingui haec foeda flamma possit.

Dum haec Sacrae Congregationi refero, atque una juditio Sanctae Sedis Apostolicae subdo, quomodo pro conservanda fide, et disciplina Catholicae

Ecclesiae in (f. 540v) Dominiis exteris, ubi executio Decretorum Sanctae Sedis ab arbitrio Dominantis pendet, monachalem istam, qua tam pessime abutuntur, exemptionem, et quam in eo sensu S. Bernardus montem illum vocat, in quem ascendit Angelus, et factus est diabolus, per totum supprimi necesse sit; cum plenissimo cultu ac veneratione maneo.

16/27. Xbris, v.s., 1790 Anno.

Eminentiarum Vestrarum indefessus ad altare Dei Precator et humilimus Servus

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocen.  
Or. S. Stanislai Eques Polonus.

## 20.

*Polociae, 2. V. 1791.*

*H. Lisowskyj Nuntio Varsaviensi de Euchologio Goariano Benedicti XIV, de variis litteris Congregationis, de litibus monachorum, de P. Kiryatt, de numero monasteriorum et monachorum, de itinere Imperatricis Catharinae II etc.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 574-579rv.

Excellentissime, Illustrissime Domine, Domine Protector Amplissime.

Post regressum meum a Celsissimo Status Imperii Principe Potemkin, nostraequa hic Catholicae Religionis Protectore, ad quem de necessitate iter faciendi, inter alia Sacrae Congregationi litteris meis mentionem feci, harumque litterarum exemplar Excellentiae Vestrae a me eodem tempore mittendum honori duxi. Obtinui non pridem, fracto sigillo, duas epistolas; quarum unam Excellentiae Vestrae sine mentione de duabus epistolis meis ad Excellentiam Vestram, in Julio et Novembri anni elapsi directis, alteram a Sacra Congregatione non modicum Polociae retentam.

Cum itaque utrique respondendi Provinciam suscipio ad primam Excellentiae me converto, in qua Excellentia Vestra mentionem agere dignatur, quod in Liturgia S. Joannis Chrisostomi a me missa, eiusque in ulla oratione Summi Pontificis commemorationem ab Excellentia Vestra haud quaquam deprehensam fuisse, ast neque illa in Euchologio Benedicti XIV reperitur. Jussus fuit a me fideliter huius Euchologii traducendi olim meus in spiritualibus Vicarius R.D. Turkiewicz, cui itidem iniunxi, ut more Ecclesiae Ruthenae Unitae suis in locis dictae Liturgiae consuetam ac debitam apponaret commemorationem. Verum tamen, is ne vel unam litteram translationi affigeret suam, ut coram me hanc rationem reddebat: nimirum (fol. 574v) Missa illa cum integro Missali tum cura, tum mutua consensione mei et Ill.mi Metropolitani Poloniae typis mandata est, tunc haec debita, et semper inter-

rupte in Dioecesi mea ter in qualibet Missa Summi Pontificis commemoratio vigens typo adnectanda futura.

Nactus itaque occasionem et litteris Excellentiae Vestrae de ablegata a me Liturgia Varsoviam illi, ac per suam Excellentiam Sacrae Congregationi summopere rogo, ut post quamprimum Sacra Congregatio de imprimenda illa Liturgia decisionem statuerit suam, ne ista ad impressionem curae meae, sed Illustrissimi Metropolitani mandetur. Siquidem Antecessori, Ill.mo p.m. Smogorzewski, et mihi Sacra Congregatio sub anno 1787, Septembris 29, hoc opus, utpote ex abusibus cum tempore Rituali nostro irreptis expurgatum ad implendum commendavit; etenim, si illa Liturgia praelo tradenda, ad transitum laudati Euchologii qualicunque Sacrae Congregationis iudicio comitante, mihi mandaretur, ego lege Imperii nostri mittendi Petropolim per Senatum semper summis negotiis occupatum, Serenissimae Nostrae Imperatrici obstrictus, non modicum temporis intervallum absumeretur, donec adeptus essem vel mandatum vel vetitum necessariae impressionis dictae Liturgiae. Securius itaque, ut mea fert opinio, fiet, si ego iam rei paratae et impressae exemplar particulari via ex Polonia ad manus habens, illud utpote approbatum sub meo (fol. 575) nomine adamussim itidem in typographia Ill.mi Archiepiscopi Ritus Latini, propter unanimem usum circa Sacra Mysteria in Sancta Ecclesia, praelo traderem.

Quod vero attinet ad epistolam Sacrae Congregationis in Octobri ad me extraditam, et non pridem per retentionem quorundam mensium in monasterio Polocensi, per meum Vicarium Onuphriensem, P. Nazianzenum Danilewicz illinc allatam, reddere certam Excellentiam Vestram festino, scilicet: etsi Sacrae Congregationi mox vellem rescriptum mittere, attamen quae causae huius negotii sunt mihi impedimento, perbelle Excellentia Vestra cognoscet, adiutus nostrarum legum expressionibus pro ecclesiis nostris Catholicis emanatis, quarum exemplar Excellentiae Vestrae porrigere praeme tuli, hoc et quoad materiam rescribendi pagina 37 et 61 et 73, sub adnotatis punctulis, et quoad regimen monasteriorum aliis in locis praesertim pag. 50, 51, 52, 53, 58, 60, 70, 72 etc., et quoad obligationem nostri officii Episcoporum Catholicorum apprime Excellentiam Vestram fore illuminaturum, etsi quae fuerant falsae et iniquae, calumniosaeque sive ad coram, sive in scriptis Varsaviae, aut Romae, de me remonstrations, hae utpote legibus nostris renitentes, quas leges colere, illisque usque ad litteram subesse est nostrarum partium, flocci pendendae sunt. Rescriptio autem mea ad prefatas Sacrae Congregationis litteras, in quibus cum dolore cordis lego me per Basilianos accusatum quasi de abusu Sacrae Congregationis litterarum et aliis novitatibus introductione (fol. 575v) optataque in ea informatio de numero monasteriorum, monachorum et eorum qualitate, ad praesens si aliquam decisionem Romae de dependentia vel non sortita foret, esset illud

mihi periculosum; nam praeter responsum meum, iuxta leges nostras, omnino teneor per Senatum Serenissimae Imperatrici, quemadmodum omnia alia rescripta Romana, ita et illud patefacere, praecipue dum monachi tantum contra me movere litem. Et ego oppressus ab illis ad Maiestatem modo recurro, omittendoque hoc, transgressae legis, et occulti condictaminis cum monachis quisque me hic argueret iuste. Et haec est praecipua causa hucusque non scribendi ad Sacram Congregationem, non acquisita potestate per Senatum a Serenissima Imperatrice, secundum toties citatas leges. Quod quam sit verum, experientia edoctus sum anno elapso, quum iussus fuerim, post reditum meum ex Taurica Crimea, imperante Senatu mittendi exemplar litterarum mearum ad Sacram Congregationem datarum, ex quibus ut nosset, quibus de causis quatuor decreta Sacrae Congregationis ad me pervenere, ad quod faciendum, ut ostendam Plenipotentiam Superiorum Polocensis et Vitebsensis, malcontentorum obtento decreto, delicate permovit Senatum hoc animo, quod si ego et de me ipso tantummodo laudata Decreta, praecipue supra exemptos, Sacrae Congregationi comparaverim, nam inscius erat ille Plenipotentiarius mihi 1785 anno, (fol. 576) a Maiestate hoc onus iniustum fuisse, scribendi nempe ad ipsum Sanctissimum Dominum, quod et eodem anno non praetermisi, ut ista Decreta, sine patefactione Serenissimae Imperatrici, retro mihi remissa forent, utpote particulariter a me procurata, eorumque executio cum primis supra exemptos retinenda in fraudem Sedis Apostolicae et Aulae nostri Imperii, legumque imperialium, sibique independens a me regimen corroborandum. Etenim alio modo in Senatu contra me agere non possent, quam mendacia et calumnias pariter contra me eructando: nimirum bona, redditusque eorum a me usurpata, Superioresque de locis, in quibus hucusque sine ullo iure permanent, expulsos fuisse, reticendo quod ob multas in monasteriis disordinationes Visitatorem R.P. Simeonem Konowicz, a monachis Basilianis plus quam 30 emeritis et legalibus Imperii subditis comendatum ac postea creatum secundum legem, pagina 58, inhaerendo eorum votis, confirmavi.

Testimonium talium nefandorum progressuum contra me monachorum in Senatu ipse Plenipotentiarius coram, qui ante festum Resurrectionis Christi accersitus a me, tum negotii Petropoli acti mecum verba faciens, cui cum iniquos progressus ante oculos posuerim, ille haec mihi coepit aperte enucleare: « Si in Senatu non fuissemus conquesti a Vestra Excellentia nos esse iniuria affectos, usurpatione bonorum, reddituumque nostrorum in Polonia situm habentium, quorum Excellentia Vestra, tutamen (fol. 576v) suum minus nobis necessarium coram lustratoribus Reipublicae adnectere stabili-  
reque voluisti, Superiores violenter locis suis amovisti aliosve in locum (omit-  
tens illud iuxta leges Imperiales, Patriotas, Juramentoque devinctos, pagina  
58 et 70, hoc inquam omittens) subrogasti eoque ipso leges Canonicas con-

culcasti, tunc neque accusatio nostra Excellentiae Vestrae, neque causa esset in Senatu suscepta atque perpensa »; quae accusatio tunc suscipienda, atque causa perpendenda esse deberet, si praecessisset aliquod meum illudque gravaminosum contra eosdem decretum, iubente lege anni 1772, 14 Decembris, pagina 37 et 43. Quum tamen nullum decretum meum praecesserit, nemo est, qui innocentiam meam, monachorumque meorum fraudem calumniasque contra me texuisse – non agnoscet.

His itaque incongruis machinationibus duo hi monachi, Polocensis et Vitebscensis Superiores intrusi et illegitimi, acitarunt me ad Senatum obtentoque subdole Decreto, quod etiam Decretum falsificaverunt mittendo per monasteria, ut eorum personas ad suas partes trahant, et ut magis magisque me calumniis afficiant, petiere adhuc ulterius me molestando in supremo subselio Gubernii Polocensis concistorialiter, utpote quondam Concistorii sede vacante Archiepiscopatus Polocensis membrorum dignitate insigniti, quominus Decretum Senatus adhuc anno praeterito latum potestate saeculari per monasteria publicaretur, atque executioni mandaretur; quod probe intelliget Excellentia Vestra ex duobus scriptis R.P. Kiryatt, nomen Praesidis (fol. 577) Consistorii sibi adscribentis, hic adnexis *sub littera B.C.* Qui R.P. Kiryatt, ut prior iniuriae calumniaeque meae, ita et omnium cum scandalo in Dioecesi mea inquietudinum motor, cum non haberet ad manus Decretum subdole a Senatu extortum ad se legatum, qui Senatus dependere a me ut loci Ordinario, secundum leges Imperii, Monachos semper existimans illud Decretum ad me pro executione, seu potius ut illos quasi depositos ad pristina loca restituerem tum remittendo illos ad iudicium meum, et si reos invenierim, eos punitum iri dixerit, Illustrissimoque Gubernatori Generali Petro Papels exemplar ob notitiam similiter dedit; ille Pater, inquam, Kiryatt, porrecto libello supplici ad Illustrissimum Gubernatorem Polocensem Alexandrum Lunin, et cum auctorisatione e supremo subselio Gubernii Polocensis extraderetur illi, hanc rationem allegans, nempe: Consistorium adhuc sede vacante Archiepiscopatus Polocensis erectum, nunc vero decreto a monachis acquisito, meoque Consistorio post ascensum in Archiepiscopatum, cuius iam non fuit ille cum suis sociis membrum, vafre occultato, Senatus approbatum; deficiente autem exemplari auctorisato, probe perspexit autoritatem Consistorii sui, utpote acephali, negotiis dispositionibusque suis praeter meum Curiale Iuridicum, Canonicum secundumque leges Imperii, pagina 35, nihil profuturum.

Residui est, ut Sacrae Congregationi numerum monasteriorum, eorumque qualitatem effigerem, cui priusquam ex aequo satisfaciam, tantisper haec sit Excellentiae Vestrae notitia, monasteriorum iuridice fundatorum reperitur in (fol. 577v) Alba Russia numero 16. Personarum, cum nullam a R.P. Kiryatt, illo diuturno Visitatore, omnis in Dioecesi mea procellae fautore, noti-

tiam habeam, idcirco de certo numero informare non possum, nam a Capitulo Torokanensi Anno 1780 in Lithuania habito, ubi electo in Provincialem R.P. Innocentio Milanowski, ille R.P. Kiryatt, etsi absens, officium Protoconsultoris obtinuit, quod aegre ferens non obtento Provincialis munere, manus viresque admovit, ut R.P. Milanowski Alba Russia, utpote contra leges Imperii extra limites electum, eumque suo munere fungi non posse summopere vociferans, in Lithuania abscondendi cogeret, quod et asse-  
quutus est, transmissa contra eum ad Lithuaniae Basilianos apologia. Ac tandem translato in se officio Provincialis adiectoque sibimet pinguissimo omnium monasteriorum in Alba Russia superioratu Polocensi, penes officium itidem membra Consistorii acephali iis undecim annis hoc efformavit sistema, quale est in Alba Russia, omnino secundum leges Canonicas regimen mona-  
steriorum conservandum, vel maxime in electione Visitatoris constitutio-  
neque Superiorum, non autem secundum dictas leges Imperii, quarum ope, modo dictum Milanouscium detrusit, nobis ambobus Episcopis Catholicis praescriptas. Insuper, coacervato peculio, selectisve quibusdam Religiosis ad id aptis, accusavit me in Senatu publicum violatorem legum, ut apparent in supplici eorum libello sub *littera A.*, quas ego sacro-sancte ad consecrationem mei in Archiepiscopatum iure iurando et ecclesiastica et civilia colere retinereque me obstrixi, et nunc colo, atque veneror, obtentoque insperate Senatus decreto me referendi (fol. 578) ad leges Canonicas universaliter, de quibus in supplici libello nulla facta mentione per Plenipotentiarium, sub his supponit electionem Visitatoris cum eius Consultoribus, et Superiorum vocalium potestatis monachorum, non autem nostrorum Episcoporum, quibus nempe nobis Episcopis aperte leges Imperiales hanc potestatem adscribunt, a quali ego mandato nullomodo retrocedere possum (curiosissime videatur mandatum pagina 52). Non aliter tamen, nisi consultive, cum omnibus Religiosis probis iuramento vinctis, fidelibusve Imperii subditis, quem characterem in persona R.P. Kiryatt et eius socio R.P. Hieronymo Doroszewski aliorumque non paucorum vilium ipsi adherentium, neque ego, neque quis alter iuridice vidit, aut agnovit; huius autem me sententiae fuisse una cum monachis prudentibusque, ac eorum consilium non sinistrum capiendi tempus, quo congregavi omnes Superiores domum meam, probat. Anno 1787, in Januario, Serenissima Imperatrix nostra feliciter dominans *Catharina II*, circa valvas residentiae meae, cum Curia Imperiali in Tauricam Crimeam iter petebat, cui debita attentione, assistentibus singulis Superioribus, a me praestabilita, statim iis in scripto porrexvi a me officium Provinciale ad libitum penes monarchos manere, loco vero recursus ad forum Protoarchimandritale, prospicie, dixi, vobis duos viros rectos, ut unanimiter mecum recursus vestros a foro Provinciali decident. Hoc propositum meum adeo non fuit cordi RR.PP. Kiryatt et Doroszewski, duobus tantum in medio (fol. 578v) congregatorum

Superiorum, ut post institutum iurgium, prolatis a R.P. Kiryatt his verbis: « Non habemus personas, quibus hoc munus ad latus Vestrae Excellentiae confidamus ». Illico iter arripuit ad prope vicinum a domo mea monasterium, lectis quibusdam secum Superioribus et assumpto mea manu congesto proposito unicuique monacho, ut mea fert opinio, sine praeiudicio legum Imperialium, et abusu Sanctae Sedis facultatum, grato atque iucundo, ibique fortiter eodem spreto, sistema antea dictum suum ad finem deducere non erubuit, asserendo a me leges Canonicas, ex aequo violatas esse, fraudulententer machinando contra datam potestatem ambobus hic nobis Praesulibus constituti Superiores. Veritas huius affatim Excellentiae Vestrae innotescet, si ex mandato Suae Excellentiae R.P. Szelepin, Varsaviae R.P. Kiryatt, usurpatoris Provincialatus Plenipotentiarius, clam me et civili legali facultate devitans, illud propositum propria mea manu idiomate Polonico conscriptum ac fideliter in latinum exaratum Suae Excellentiae pandet. Unde, qualis lenitatis in regimine monasteriorum fueram, eorumque qualis pervicatio, quale scandalum in populo, quale damnum in grege meo, quanta Ruina modicae in Alba Russia Unionis, perniciesque monasteriorum secutura sunt, deliberationi ac iudicio Excellentiae Vestrae relinquo. Eo vel magis, quod ego omnibus viribus semper maculam, quam mihi suarum praerogativarum fraudulentient tutores incusserunt, abstergere curabo hucusque, quoisque personae toties dictae in monasteriis Albae Russiae morari conabuntur. Et ecce qualitas illarum personarum, amantium suae exemptionis. Ex fidelibus hic adnectis (fol. 579) exemplis eorum epistolarum reliquas dotes, atque attributa probe Excellentia Vestra capiet, ad me loci Ordinarium laesive non semel datis; unde et laborem eorum in pascua mea et incrementum lucrumque in Vinea Christi sufficienter agnoscat; ad Coelum manus meas attollerem, si illi cum sua exemptione ubicumque voluerint, quod et facere, si tam zelosi sunt, deberent, transferendo se sub regimen Protoarchimandritale, nam me aggravando scandalosissime illa abutuntur, hoc si subsequeretur et Excellentia Vestra et Sacra Congregatio meliores et mei regiminis in monasteriis et monachorum sub mea potestate progressum nuntios haberent. Ego autem illos neque in pascua mea patiar, neque ad subditatum Imperii suscipi sinam, quia et ipsum forum saeculare ab ipsis exacerbatum, cuius illi sint? – ex me quaerit. Sed non hic finis istius famosi in Dioecesi mea machinatoris, ferentis et Ordini Basiliano et Catholicae Religioni Unitae damnum; nam dum iam finiveram has litteras, novum per tabellarium recepi nuntium, quod iterum Petropolim ordinatus est eorum Plenipotentiarius monachus Samuel Nowakowski, certe cum novis forte peioribus calumniis, famae meae obnoxiiis, et procurando ulterius, ut devenio, ne Sacrae Sedis facultates plus duobus annis in Senatu detentae, extradantur, de quarum abusu potuerantne iuste me accusare? Sed, Deo adiuvante, spero his omnibus seditionibus brevi

finem fore, nam hac inaudita eorum renitentia suo Archiepiscopo maxime (fol. 579v) scandalizatur Rossiacus populus. Quod dum Excellentiae Vestrae sincero animo defero, humillime oro haec omnia perpendere iuste et me indispensabiliter hic annexis Legibus obstrictum agnoscere, in reliquo cum prono cultu ac veneratione maneo.

Excellentissimi, Illustrissimi Domini, Domini Protectoris Amplissimi, deditissimus Servus et ad Altare Dei Precator quotidianus.

In Monasterio Onuphriensi, Anno 1791, die 2 Maii.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

## 21-31

*Alba Russia-Petropolis, 1789-1790.*

*Exempla litterarum cum praecedenti stricte connexarum, ad quas Heraclius Lisowskyj suas adnotationes in margine adiunxit.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 149, fol. 580-586v.

**EXEMPLUM A. supplicis libelli ad Senatum porrecti Anno 1789, die 14 Augusti** (fol. 580).

Serenissima, Potentissima, Magna Domina, Imperatrix Catharina Alejewna, Auctocratrix Totius Rossiae, Domina Clementissima.

Supplicat Plenipotentialiter a membris Polocensis Consistorii Primoribus supra omnibus nostris monasteriis Polocensis Monasterii Professor Theologiae Samuel Joannis filius Nowakowski de infra sequentibus:

1º. – In speciali Suae Imperatoriae Maiestatis mandato a 14. Xbris 1772 anni, inter alia tertio punto altissime conditum, Episcopos constitutos examinandi spiritualia negotia, consecrandi Patres et Rurales Catholicos Sacerdotes, et 4º puncto eiusdem specialis mandati de Unito Archiepiscopo commemoratum, quod Unitae Ecclesiae cum earum Parochianis, (NB. – *Heraclii Lisovskij: hic fraudulenter omisit: « et monasteria »*)<sup>117</sup> redditiae sub Regimen Spirituale huius Archiepiscopi, administranda sint iuxta editum in anno 1769 de Catholica Petropolitana Ecclesia Regulamentum. Insuper promulgato publico manifesto, quinta die 7bris 1772 anni, Sua Imperatoria Maiestas Clementissime sancivit omnes nos manere in pristina perfectissima et illimitata libertate quoad publica exercitia Fidei et in legali cuiuslibet possessione et peculatu; hoc ipsum confirmatum et in speciali Suae Imperatoriae Maiestatis mandato, a 12 Julii 1774 anni (fol. 580v).

---

<sup>117</sup> Ad omnes epistolas sequentes Heraclius Lisowskyj adnotationes posuit sive de personis sine de negotiis, de quibus in hisce litteris agebatur.

2º. – In fundamento altissimarum monarchicarum Suae Imperatoriae Maiestatis legum ab ipso principio adiunctae Albae Russiae Regioni sub latissimum Dominium Vestrum, ad instar promulgatarum publicarum litterarum in 1772 anno, persistebamus nos ad hoc tempus conformando se ad Ordinis Nostri Constitutiones, fueramus obedientes creato nobis nostro Archiepiscopo Heraclio Lisowski (*NB ipsius Heraclii: falsum est, nam tunc temporis fuerat Ill. mus p.m. Smogorzewski, qui cum contra leges Imperii saepe saepius concedebat extraneis visitare Provincialibus Monasteria. Hanc ob causam et alias multas diutius manere hic non potuerat et pro mei consecratione mandato publico fuerat exceptus*), qui simili modo non transgrediebatur limites datae illi a Sua Imperatoria Maiestate potestatis et pristinarum Ordinis Nostri Constitutionum; non interdicebat unanimiter nobis ipsis eligere Superiores et tradere illis internum inter nos et domestica nostra Oeconomia Regimen.

3º. – Gaudentes his privilegiis adimplebamus nos sub manuductione Superiorum cum summo zelo obligationem devotionis in Deum, in Personam Suae Imperatoriae Maiestatis et in omne publicum; unde videns memoratus Archiepiscopus Lisowski oboedientiam et zelum nostrum et volens perfectissime fide nos confortare, quod Suprema Materna Sancita Vestra, de inviolabilitate veterum nostrorum inter Archiepiscopum et nos pactorum, in omni natura et quolibet tempore per illum servabuntur, dedit solemniter omnibus monasteriis nostris scriptum-chirographum (*NB. Heraclii Lisovskyj: Summa et hic falsitas, nam quamvis subscripti paratum a P. Kiryatt chirographum feci hoc ex duplice urgente causa: 1ª Siquidem Celsissimus Princeps Potemkin, cui cura commissa fuerat a Maiestate, ut in eius praesentia fiat consecratio mea, posset disrumpere hunc actum, si resciret de secretis monachorum machinationibus contra leges Imperii, tunc temporis a me tanta pacta exigi; 2ª Subscripti secrete sub conditione, si quid legibus Imperii et Sedi Apostolicae non videbitur contrarium, videns proximum esse morti consecratorem meum Ill. mum p.m. Horbacki, Episcopum Pinsensem, quae et evenit 4-ta die post memoratum actum*), in hoc quod ille ad electionem Superiorum et omnium monasticorum officiorum et pariter ad internum Regimen, reliquendo nobis in omni (fol. 581r) pristinam et plenam libertatem, ad nihilum et sub ulla specie ingeret se Polocensis Monasterii.

4º. – Contra, hic dictus Archiepiscopus Lisowski, ignoro quibus ex causis, oblitus Suae Imperatoriae Maiestatis Sanciti, violavit datum et publicatum a se omnibus monasteriis chirographum, veniens personaliter in monasterium nostrum Polocense 25 die Julii huius 1789 anni, non manifestando aliis suam offensam, abiudicavit et expulit immerito e monasterio Vicarium et Superiore nostrum, sine ullo spirituali iudicio, et vel minimis in illos ab aliquo quaerelis; in locum vero eorum constituit alios monachos, et penitus

ignotos nobis viros et sine ullis meritis et titulis in communitate nostra claris. Progressus simili modo et cum omnibus aliis nostris monasteriis, et insuper, despectis intensissimis totius nostri Ordinis precationibus contra institutum inter nos ordinem, aggressus est internam nostram oeconomiam (*NB. Heraclii Lisowskyj: Ad internam monasteriorum oeconomiam nunquam et sub ullo praetextu me ingerebam, fatebuntur omnes Religiosi boni et hoc turpissimo mendatio invenerunt forum in Senatu, ut in litteris meis clare exposui*) et peculii nostri directionem et consequenter hoc ipso publice violavit suprema Suae Imperatoriae Maiestatis mandata.

Hac de causa oro suam Imperatoriam Maiestatem, ut supremo vestro edicto, in fundamento octavi puncti Summi Vestri Mandati (fol. 581v) a 14. Xbris 1772 anni, iustum esset hanc meam petitionem cum appositis, datis mihi a communitate nostra plenipotentiariis litteris et dati exempli ab Archiepiscopo Lisowski et eius chirographo (*NB. Heraclii Lisowskyj: Litterae plenipotentiariae ab uno solummodo P. Kiryatt datae et insciis alii monachis, quorum alii post obtentum Senatus decretum illius parti adhaeserunt, cuius exemplum videatur sub littera H*), in tertium dirigentis Senatus Departamentum suscipere et iniungere illi edicto, ut ille, parendo superius scriptis supremis Suae Imperatoriae Maiestatis mandatis, restitueret iterum prima loca his religiosis viris, quos proprio et extraneo motu innocenter a functionibus eorum deposituit, redderet retro internas oeconomias et peculii nostri directionem sub regimen harum personarum, quae ad hoc a nobis assignatae fuerant et hoc ipso restitueret nobis violatam per illum pacem nostram et in futurum tempus ne audeat transgredere limites concessae illi a Sua Imperatoria Maiestate potestatis, servando sacrosancte pristina nostra inter illum et Ordinem nostrum pacta.

Theologiae Professus Samuel Joannis, filius Nowakowski.

Clementissima Domina oro Suam Imperatoriam Maiestatem ad hanc meam petitionem resolutionem dare. Augusti, die 14.1789. Petitionem scripsit Legionis Guardiae, aequestris legionis Notarius, Michael Czumakin.

(fol. 582) EXEMPLUM B. *supplicis libelli porrecti in supremum subselium Gubernii Polocensis.*

Serenissima, Potentissima, Magna Domina Imperatrix Catharina Alexiejewna, Auctocratrix Totius Russiae, Domina Clementissima.

Orat Polocensis Basiliani Monasterii Superior in Alba Russia, Basiliatorum monasteriorum Visitator et Polocensis Consistorii Praeses, Ambrosius Kiryatt et de quo, hic sequuntur puncta:

1º. – Elapso 1789 anno, Augusti 17 die, incepta est actio de re litis in dirigenti Senatu ex una parte, ad querelam in Alba Russia primorum Ordinis

Basiliani et Consistorii, speciali Suae Imperatoriae Maiestatis mandato erecti et fundati, membrorum cum Polocensi Unitarum Ecclesiarum Archiepiscopo et Equite Heraclio Lisowski, de abiudicatione per illum arbitrarie a locis omnium primorum et membrorum, de impeditione retro ingredi huc non-nullis ex illis personis, qui de necessitate agressi sunt extra limites Regni ad praedia in Polonia situm habentia, de conatu arbitrario eiusdem Archiepiscopi ingerere se ad internum Regimen et directionem monasticarum possessionum et monachorum, et de caeteris per illum illatis violentiis. Ex altera parte, post declarationem eiusdem Archiepiscopi et equitis Lisowski primoribus et membris et caeteris monachis, quasi non praestiterunt Suae Imperatoriae Maiestati in fidelitatem subditatus iuramentum et quasi tales constituti in superioratibus et functionibus, extranea potestate, ob incuriam eorum in Patriam, in obedientia et quasi vilipensione Pastoralis Regiminis et caeteris aliis huic similibus quasi eorum inconvenientiis.

2º. – Et cum, perpensis his circumstantiis dirigente Senatu, omnia talia futile memorati Archiepiscopi et Equitis Lisowski obiectamenta post promulgatam 27 Februarii huius 1789 anni decisionem agnita (fol. 582v) pro frivilis et ideo reiecta, et Albae Russiae Basiliani complane cum promulgato tempore adiunctionis huius Provinciae edicto, Supremi Suae Imperatoriae Maiestatis mandatis et canonicis legibus cum omnibus his privilegiis et libertatibus, cum quibus illi sub supremum Suae Imperatoriae Maiestatis dominium a Polona Republica adnecti, confirmati et de secures redditii, uti et omnes hi, qui suo iudicio et lege a locis suis abiudicati et causa negotiorum exinde in Poloniam profecti, non possent post intimationem retrogradere, ad pristina sua munera et functiones restituerentur; et ex eo omnis constitutus per Illustrissimum in Albae Russiae Basilianis monasteriis internus et externus ordo destructus, qua de causa et oro. Ut Supremo Suae Imperatoriae Maiestatis edicto mandaretur hanc meam petitionem in Polocensi Generali Tribunali suspicere et cum iam mihi, a residente Petropoli de hac re Procuratore de tali dirigentis Senatus decisione relatum, quod et Polocensi supremo Vicariali subselio, et ad quam pertinebat nunciatum, monasteriis autem et Consistorio formaliter de hoc non significatum, adeoque tale dirigen-  
tis Senatus edictum per quem interest, per Albae Russiae Basiliana monas-  
teria publicare et mihi uti Rectori eorum et Consistorii Praesidi ad genuinam  
iuxta sonantiam eius executionem extradere, cum authorizatione et sigillo  
exemplum.

Clementissima Domina! oro Suam Imperatoriam Maiestatem de ea mea petitione resolutionem dare. 1789 anno, Aprilis die scripsit Polocensis Civilis Departamenti Cancellarista Stephanus (fol. 583) Suchar. – In authentico subscriptum ita: Ad hanc petitionem O.S.B.M. Superior Polocensis et monas-  
teriorum Albae Russiae Visitator – Ambrosius Kiryatt manum apposuit,

cum hoc, ut hanc petitionem tradat et resolutionem recipiat loco illius P. Julius Rey, O.S.B.M.

*Supremi Tribunalis Polocensis resolutio*

(*In margine Heraclius Lisovskij apponit suum NB: Hac resolutione Tribunalis, P. Kiryatt repulsus est cum pudore*).

1790 anno, Aprilis 2 die, in diario Polocensi Generali subselii adnotatum ita: *Resolutum: Juxta missum ex Dirigente Senatu 22 Februarii huius anni in generale subselium mandatum, necessaria ex parte eius executio iam adimpleta et dirigenti Senatui nunciatum; de publicatione autem eius in mandato mentio non facta, adeoque, ut petitur a Superiore monasterii, ad id non accedere, nec extradere exemplum, nam si procurator monasterii non haberet a dirigente Senatu illud, quomodo Superior posset narrare contenta in sua petitione et quod tale mandatum missum est ad Archiepiscopum et Equitem Lisowski; hac de causa impertinentem ad generale subselium petitionem remittere cum inscripta hac resolutione. Ex eadem similiter et ex resolutione in eam ob notitiam cum communicatione transmittere Domino Archiepiscopo et Equiti Lisowski.*

EXEMPLUM C. (fol. 584) *Ad Polocense Generale Tribunal. Ex Polocensi Graeco-Catholico Consistorio.*

Huius Consistorii Praeses in Alba Russia, Basilianorum Monasteriorum Visitator et Polocensis Monasterii Superior, Ambrosius Kiryatt, dedit ad Pensitationem huic Consistorio obtentum per se ex Polocensi Generali subselio in petitionem suam, ut extradatur illi ex transmisso in illud a dirigente Senatu de re litis Basilianorum monasteriorum et Consistorii membrorum cum Illustrissimo Polocensi Unitarum Ecclesiarum Archiepiscopo et S. Stanislai Equite Lisowski mandati exemplum et de publicatione eius Rescriptum huius tenoris: *Quod Generali Subselio de publicatione huius eodem mandato non erat iniunctum, communicare autem exemplum non potest Subselium hac de causa, nam si Procurator monasteriorum non petierat hoc in Dirigenti Senatu, ergo ille Praeses non posset scribere contenta in sua petitione, et quod tale mandatum missum Archiepiscopo et Equiti Lisowski. Insuper superius memoratus Praeses huius Consistorii, ad illam suam datam Pensitationem adiunxit et rationem. Primo, Quod ille a Procuratore monasterii, qui fuerat Petropoli, obtinuit tantum nudum, nemine authorizatum, exemplum ex superius memorata decisione dirigentis Senatus. 2-do, Quod contenta eius in porrecta ab illo ad Polocense Generale Subselium petitione, conscripta ex hoc tantum, quod illa porrigebantur ad illud locum, quod de contentis huius mandati clarius patefactum est. Et 3-tio, Quod ipse Ill.mus in scripto suo 27 Martii huius anni commisit illi, in plena potestate, adimplere dirigentis*

Senatus decisionem, quod spectat ad correctionem et erectionem, quod quid erat destructum ac dissipatum, ad pristinum statum; attamen ille dum caret genuino ex hoc Senatus mandati exemplo adimplere omne, neque ab Ill.mo exquirere huius exempli ex hoc mandato, quod illi contrarium non potest. De caeteris reddidit hoc omne ad iudicium et decisionem huius Consistorii. Quod ex hoc decrevit: Mittere communicationem ad Polocense Generale Subselium, cum hoc, ut (fol. 584) dignaretur perpendere, imprimis illud, quod exemplum missum a manente tunc Petropoli Procuratore monasteriorum, ex decisione Dirigentis Senatus, uti nemine authorizatum non potest prodesse et non solum iudiciale locum, sed neque in casu simplicem hominem convincere, secundario et hoc expectare, ut transmittatur ab Ill.mo Archiepiscopo et Equite Lisowski, ex hoc dirigentis Senatus mandato, genuinum exemplum nefas est, nam illud mandatum missum ad illum ex re de lite cum illo ipso et emanavit illud mandatum non in commendationem gestorum eius; ex dirigente Senatu, hac de causa proponere, consequenter mittere illi ad nostrum Consistorium sibi contraria erit, ipsi incompatibile non videtur. Et Consistorium sine actuali huius mandati exemplo negotia obire et ad executionem actorum suae potestatis accedere non potest. Exinde dignetur hoc subselium subministrare huic Consistorio toties memoratum ex superius dicto dirigentis Senatus mandato, genuinum authorizatum exemplum.

In authentico subscriptum ita: Matheus Jakimovicz, O.S.B.M., Iudex Consistorii Polocensis m.p.; Loco Secretarii Georgii Drużyna, O.S.B.M.

#### *Supremi Tribunalis Polocensis Resolutio*

(*N.B. Heraclii Lisovskyj: Confirmatur hic superius memorata resolutio Tribunalis, cum maiori pudore Praesidis P. Kiryatt Consistorii Acephalo*).

1790 anno, Aprilis die, in Diario Polocensi Generali Subselii adnotatum: *Resolutum*: Polocensi Graeco-Catholico Consistorio ad eius remonstrationem denuntiare, quod Generale Tribunal ex circumstantia dari e mandato Dirigentis Senatus exemplum resistit, fundaturque in primo suo proposito facto in petitionem traditam a Superiore Ambrosio Kiryatt, etsi vicariali subselio commissum esset facere significationem Consistorio, non pretermitteret eodem tempore certificare, non expectando petitionem Kityatti neque modernam eius remonstrationem, et ex eadem similiter ad notitiam petentis, demissa communicatione exempli, Ill.mo Domino Archiepiscopo et Equiti Lisowski nunciare. Authenticus Diarius subscriptus a Dominis coniudicibus.

**EXEMPLUM D. Epistolae Patris Szelepin**, post fugam in Poloniam, ad Illustrissimum Gubernatorem Polocensem (fol. 585).

Illustrissime Domine etc. Faciem, quam modo representat Monasterium nostrum Polocense, ex occasione Illustrissimi Archiepiscopi mirum infalli-

biliter reddit Ill.mum Dominum, et forsan in suspicionem delicti alicuius saltem nonnullorum Religiosorum inducit. Sicuti fontem, ita et provenientem ex illo hanc immutationem, necesse est ut ipse Reverendissimus Superior Kiryatt Ill.mo Domino, qua Gubernatori, demonstraret, sed cum adhuc ob fractum pedem non est in statu sine adiumento aliorum transire de loco, ego Vicarius eius hanc obligationem adimpleo. Ill.mus Archiepiscopus semper aegre ferebat in persona Rev.mi Superioris curam de bonis religiosis, ut in sua integritate sint. Praesenti verum anno cum Superior se cepit se defendere extra limites, in Poloniam ab extraditis litteris Plenipotentiariis per Ill.mum Archiepiscopum Magnifico Domino Bielikowicz (*NB. in margine facta ab Heraclio Lisovskym: Litteras Plenipotentiarias datas a me D.no Bielikewicz nunquam vidit P. Szelepin; fuere illae a me extraditae cum obligatione fugitivos in Poloniam subditos recuperare. Iste autem P. Szelepin cum suo Superiore ex solo auditu et falsa de suis litteris opinione constructa, aggressi sunt talia perpetrare in adiumentum suae exemptionis ostendentes, se esse a me iniuria affectis*), suo Sororio ad praedia nostra influi, demum, cum perfida facta R.P. Hrebnicki in Uszacz stabilientia, superintendentiam Ill.mi Archiepiscopi Privilegiis et constitutionibus irritam, de quo adiungo notitiam breviter collectam, manifestavit, sine ulla convictione spoliatus est officiis. Iniuriam hanc R. Superior, quamvis patitur cum laude sua, nam pro virtute siquidem prohibet arripere Ill.mo Archiepiscopo suis unguibus bona monasterii et illis sicuti Cathedralibus ditare consanguineos suos, attamen quia violentia est, manifestatur cum appellatione, cuius ego Ill.mo Domino habeo honorem communicare exemplum. Opponit Ill.mus Archiepiscopus, ut audio hic in Polonia manens, varias inconvenientias; ad hoc omne reponetur sufficienter; timemus solummodo hoc tantum, ne eos purgando, de quo non dubitamus, ex talibus maculis denigremus ipsum Pastorem; ach avertat Deus! Ante hebdomadam misimus Religiosum Petropolim, ut ibi a Maiestate conciliet misericordiam, quae nos tegeret ab absolutismo et despotismo Ill.mi Archiepiscopi (*NB. Heraclii Lisovskym: Ill.mus Gubernator maxime scandalizatus, remisit ad me has litteras blasphemas in autentico, simul cum manifesto facto in Polonia ab iis*), peteret gratiam talem, quae clementissime est concessa aliis Religiosis (hoc est Jesuitis), videatur pagina, etc.

**EXEMPLUM F. Manifestum R.P. Szelepin ad Ill.mum etc. Archiepiscopum;** a Michaele Szelepin OSBM, Secretario Provinciae Albae Russiae, Vicario Monasterii castralis Polocensis: manifestum et declaratio appellationis (fol. 585v).

Cum in Religione sancta per viginti annos viverem decenter, obirem numerosas functiones et has uti apud hos non ultimas laboriose venerim dein in Regionem Rossiacam, unice in enixas invitationes Consistorii (*NB. Heraclii Lisovskym: Venit, sed clam sine accitu meo manens hic dolose, sine*

*praestito iuramento subditatus; de talibus videatur pagina 53: Ne quis ex Ecclesiasticis in oras recipiatur etc.) et satisfacerem postulationi eius et Superiorum Religiosorum, ignoro ex qua ansa, forsitan quod boni monastici solicitus sum et unum cum meis Superioribus, hanc sollicitudinem habentibus, cogito, Excellentia Vestra die 24 officio Secretarii Provinciae, die vero 25 Vicariatu Polocensi, designando imprimis ut transferam me extra limites et hoc per R.P. Hrebnicki arbitrarie spoliasti, e cubiculo expulsti et in una veste inferiori in curitorio reliquisti; postmodum vero cum partim declinando a simili in futurum tempus Excellentiae Vestrae absolutismo et despotismo, quibus non sentio me esse ligatum, partim quaerendo contra violentias consilium, pervenerim Poloniae partes, attamen non ita ut relinquam officia mea (NB. Heraclii Lisovskyj: Illa obire non potest, ideo quia pagina modo adnotata prohibetur) et mansionem Polocensem, totum cubiculum et in eo armaria omnia inspexisti, ipsorum latronum consentaneis terminis vexasti, contra hoc omne ut iuxta legem agam, in omnibus obiectis me mundem et celatae infamiae abstergam stigma, per quam solemniter protestor et ad dirigentem appello Senatum. Datum Polociae Polonicae, Anno 1789, mense Julio 27. Michael Szelepin, OSBM, m.pr.*

**EXEMPLUM H. Litterarum Plenipotentiarium ad P. Nowakowski.**

Admodum R.de in Christo Pater, Domine R.me, Col.me.

Impeditus regimine in communi omnium monasteriorum et in specie Polocensis, et maxime propter fractum casualiter pedem, die 21 Mai cum ipse personaliter adesse non possum Petropoli, postulo et obstringo suam Paternitatem, ut ibi meas partes geras, et quidquid exigent negotia et bonum commune, tam in genere omnium monasteriorum, quam in singulari Polocensis et maxime sollicitudini (NB. Heraclii Lisovskyj: Mandatum videatur pagina 63 et 66; de Jesuitis versicula, quae subducta sunt lineolis) de mandatis similibus, quibus gaudent Jesuitae, sedulo incumbat et quid conficies omne pro grato, rato et firmo suscipiam. Comendo me sacris orationibus etc. Ambrosius Kiriat OSBM, Visitator etc.

**EXEMPLUM K. Litterarum P. Heraclii Kirbyatt, Germani Fratris R.P. Ambrosii Kirbyatt, ad P. Szelepin, 1789, die 5 Julii, Vitebsk. (fol. 586).**

Perillustris R.me D.ne Benefactor Sing.me.

Fieri potest, Perillustris R.me Domine, quod contenta litterarum mearum exinde plus ad risum commoverunt, quam animadversionis fecerunt, quod in se perpensa rationabiliter, in modernis circumstantiis impossibilia esse videntur, modo, aequa ac olim sunt certa; utique clara subiecta abundat ipsis stultiis (NB. Heraclii Lisovskyj: Hoc apertissime dirigebatur ad me

*et curiales meos), ne solum, ut illis innatum, coeperunt tales cogitationes in cordibus suis, sed iam et scripto in lucem ediderunt; nam ecce praeterita posta Pustinensis Vicarius transmisit ad Rev.mum Superiorem meum exemplum petitionis plenum heresiae, capiendo consilium, an debuerit illam dare (NB. Heraclii Lisowskyj: Commemorat hic de litteris a me editis per monasteria in ordine ad iuramentum subditatus Imperii, quam facultatem difficillime comparavi ad bonum et tutamen Religiosorum), ut sperat se ad id coëgi; quam ego hic non adiungo, sperando, quod P. Kononowicz in documentum falsae unanimitatis cum Provincia, ad suarum Rev.tiarum Monasterium forte misit. Quodsi esset re ipsa, concedat mihi Perillustris R.mus D.nus inferre et confirmare, quod hoc est terror, ex timore proprio proveniens, volens, dum alacriter ab hoc recedat, suas rutias trahere, ad pacem et concordiam huc usque a Religione desideratam, et in modernis circumstantiis, iam ab illis, quod quousque fiet, nos ut Perillustris Rev.mus D.nus iubet, bonae mentis persistemus, et dum effectus laborum suarum Reverentiarum circa negotia religiosa, iam contemplabimur, cum hoc suo deque (solummodo cur, ach cur non cito), sed forsitan usque brevi tempore (quod hoc ipsum longa aetas videntur) veniet, saltando cantabimus ad instar virginum Israeliticarum: percussit Saul mille et decem millia David (NB. Heraclii Lisowskyj: Ante victoriam, cantabant triumphum, sui Praesul's). Habeo sumnum negotium scire, ubi modo invenitur P. Zielonka, qui fuerat Procurator Romae, quapropter reddas me certiorem uti etc. P. Heraclius Kiryatt, OSBM, m.pr.*

**EXEMPLUM M. Litterarum R.P. Hieronymi Doroszewski, Superioris Vitebscen. ad R.P. Kononowicz. (fol. 586v).**

Rev.me Pater, Pr.ne Col.me. Swidzinscium suscepit in novitiatum ad tempus, quid vero ulterius cum illo agam, resolutionem expecto a R.mo Visitatore. Qualificasti illum Suae Reverentiae Diaconatu, cum ante discessum eius suadebam, ut suum opificium custodiat, ergo blanditiis destructus. Illustrissimus Archiepiscopus summe contentus erat ex nostro Altari (NB. Heraclii Lisowskyj: Ironice hic scribit, quia non secundum consilium et datam delineationem ab Archiepiscopo, exstructum altare). Discessit exinde Polociam. Quod antea de Vitebsco, nunc hoc ipsum loquitur de Vierzbiszow, donec pariter a Vitebsco «ignominiose repelletur» (NB. Heraclii Lisowskyj: Terminus iste «repelletur» in Polonico idiomate summam laesionem significat); bono affectui me reddo et in semper maneo etc. Heronim Doroszewski, OSBM, m.pr.

**EXEMPLUM N. Litterarum R.P. Kiryatt ad R.P. Kononowicz.**

Venerabilis Adm. R.de Pater, Pr.ne Col.me.

Transferre novitiatum a Vitebsk in Lubawicze proponebatur ab Ill.mo praeterita hyeme Michajlowiciis, in litteris vero a Szwereta in Pustinki scriptis,

iterum renovatum, sicuti Michajlowiciis reposui, ita et a Pustinki rescripti, suspendendo effectum et resolutionem in hoc projectum ad colloquium cum Perillustri Rev.mo Abbe Lubavicensi (*NB. Heraclii Lisowskyj: Abbas autem Lubavicensis ex hac unice conditione creatus, ut novitios in suo monasterio sustentet*), non in antecipatum enim inscum, non capta de statu et circumstantiis notitia, imponere per nostrum Archiepiscopum hoc onus, esset hoc illatio iniuriae Personae merita, et ex omni parte respectuum dignae, hoc ipso facto, cum bonae politicae regulis incompatibili et in medio Europae Asiatica barbarie redolenti. (*NB. H. Lisowskyj: Omnia haec in contrarium scabrose scriptis cum iniunctione P. Kononowicz, ut mihi ostendat*).

Habueram colloquium cum R.P. Abbe ultimis Martii, proponebam et desiderium Ill.mi et causas desiderii, hoc est quod Serenissimo Principi Potemkin promisit, sed R.P. Abbas in commoditatem loci, ut collocentur novitii in Lubawicze, opposuerat, addendo se ad rem impossibilem non obligari. Nam monasterium, ex muro, occupatur a necessariis monachis, et lignea mansio nulla est, nam quae stabat penes Portam, translata est in Xenodochium. Plurima alia similia impedimenta suspicere novitiatum ipse P.R.P. Abbas vult exponere Illustrissimo, meque petiti ut dispositionem suspendam etc.

(fol. 587) *Reliqua multa, aliis litteris signata, eorum scripta, obnoxia famae meae et concernentia forum saeculare atque poenam pro istis, in casu ulterioris molestationis, in archivio meo conservo.*

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

### 32.

*Minsk, 3. XI. 1795.*

*Heraclius Lisowskyj mittit Litteram circularem Clero et fidelibus sibi commissis in Gubernio Minscensi, Volhynensi, Podoliensi et Bracławiensi, post sublatam Hierarchiam unitam: commendat obedientiam, orationem et libertatem transeundi ad orthodoxiam, etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n.

Miseratione Divina HERACLIUS ODROWAŻ LISOWSKI, Archiepiscopus Albae Russiae Unitarum Ecclesiarum, Abbas Monasterii S. Onuphrei, ordinis S. Stanislai Eques

Reverendissimo aequo Monastico ac Saeculari Unitae confessionis Clero in Guberniis Minscensi, Volynensi, Podoliensi et Bracławiensi existenti, pacem in Domino et nostram pastoralem benedictionem.

Notum facimus, quomodo nos, accepto expresso Augustissimae Imperatricis, Dominae nostrae Clementissimae supremo mandato, septem para-

graphis comprehenso, de adjungendis nostrae Albae Russiae Dioecesi Unitis Ecclesiis et Monasteriis in Guberniis Minscensi, Volynensi, Podoliensi et Bracławiensi sitis, et de aliis, in communicato nobis apographo per Ill.mum Dominum Generalem en Cheff Minscensem, Volynensem, Podoliensem et Bracławiensem, Generalem Gubernatorem, Senatorem et variorum ordinum Equitem Timotheum Joannidem Tutolmin,<sup>118</sup> cum litteris die 9 elapsi mensis Octobris datis, factaque collatione cum eodem Ill.mo Generali Moderatore, necessarium duximus vobis, Dilectissimi in Christo Fratres, ante omnia primum Articulum supremi mandati Suae Imperatoriae Maiestatis significare, qui est tenoris sequentis:

« Primo. Residuas in his Guberniis Unitas Ecclesias et Monasteria adiungere Dioecesi Albae Russiae et committere inspectioni loci illius Uniti Archiepiscopi Lisowski per omnia, in fundamento mandatorum nostrorum, de administratione Unitae Dioecesis Albae Russiae editorum, quae in omni rigore extendimus ad Monasteria et Ecclesias nunc eidem Dioecesi adnumeratas. Praesens tamen temporanea Archiepiscopo Albae Russiae eorum traditio minime potest coarctare Nationis libertatem revertendi ad Patrum Fidem ».

Itaque praesentibus litteris ad notitiam deducendo, commendamus:  
1º. Ut quilibet vestrum Unitae Confessionis Ecclesiasticus, dato claro documento suae propensionis erga supremum Suae Imperatoriae Maiestatis Thronum, ut fidelem subditum decet, atque intelligens omnem potestatem esse a Deo, secundum verba Sacrae Scripturae, statum suae futurae felicitatis et plenae tranquilitatis in iis fundatum agnoscat, qui eo securior fieri potest, quo ferventiori desiderio quilibet vestrum, Spirituales Fratres, subditatus fidelitatem declarare curabit, atque adeo secundum articulum clementissime relictæ genti libertatis quoad fidem, a candida conscientia et propria uniuscuiusque bona voluntate provenientem, in regressu ad dominantem Religionem nemo impedimentum ponere audebit. Quodsi quis ex Unitae Confessionis Clero palam aut clam illud genti objicere praeumpserset, sciat se iudicium operum criminalium et severissimas poenas incursurum sine ulla nostra pastorali protectione. Secundo. Ut in ferventibus orationibus, gratias agendo Deo pro felici et suavi Suae Imperatoriae Majestatis in nos Dominio, venerandi eius nominis et totius Excelsae Familiae non solum cum tremendum Altaris Sacrificium Deo, bonorum omnium Largitori, offeret, sed etiam in quotidianis

<sup>118</sup> Thimoteus Jcannides Tutolmin, Gubernator Minscensis, Volhyniensis, Podolien-sis, Bracławiensis, Senator Imperii. Cum hoc Lisowskyj multum agere debuit in eius charactere Administratoris Ecclesiae Unitae, post suppressam Hierarchiam anno 1795 in Septembri-Octobri.

ecclesiasticis Officiis commemorationem faciat, secundum vulgata in gente formularia, sine minima omissione. His obligationibus omnibus vobis in communi, Dilectissimi in Christo Fratres, et cuilibet in particulari impositis, nihil amplius nobis pastoralem curam aggredientibus reliquum est, quam ut nos vestris orationibus commendemus: Quatenus Supremus Creator tantum nobis elargiatur gratiarum et virium, quantum opus fuerit et ad regendam prospere Dioecesim et ad implendas cum summa fidelitate obligations clementissime nobis ab Augustissima Imperatrice iniuctas. Talem nostram publicationem pro maiori eius fide manu propria subscrisimus.

Minsci, die 3 Novembris, 1795 Anno.

HERACLIUS, Archiepiscopus.

Registratum in Actis n° 399. Secretarius ab Actis Albae Russiae Unitae Dioecesis eiusdem Consistorii – Georgius Morozowicz.

### 33.

*Polocia, 3. II. 1796.*

*Aliae Litterae circulares H. Lisowskyj ad Clerum et Monachos de sua iurisdictione in Guberniis Minscensi, Volhyniensi, Podoliensi et Bracławiensi; de fundatione Consistoriorum, etiam pro monachis, et de modo administrandi, etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n.

HERACLIUS ODROWAŻ LISOWSKI, Dei Gratia et Sanctae Sedis Apostolicae benedictione, Archiepiscopus Albae Russiae Romano-Unitae Ecclesiae, Abbas Onuphriensis, Eques Sancti Stanislai ordinis

Reverendissimis, Admodum Reverendis ac Reverendis tam Religiosis quam Saecularibus Ritus Romano-Uniti Ecclesiasticis in Minscensi, Volynensi, Podolensi, Bracławiensi etiam in Mohiloviensi, Polocensi Guberniis, simul per partem Guberniis Albae Russiae adiunctis degentibus, Pax in Domino et nostra Archipastoralis Benedictio.

Edito scripto die 3-tia Novembris 1795 Minsciae ad promulgandum tam Religiosis, quam Saecularibus Ritus Romano-Uniti Sacerdotibus, notam fecimus vobis de noviter ad gregem nostrum adiunctis, Carissimi in Christo Fratres, supremam Suae Imperatoriae Maiestatis, Augustissimae Imperatricis, Dominae nostrae Clementissimae voluntatem Ill.mo General in cheff Minscensi, Volynensi, Podolensi, Bracławiensi Guberniarum, General Gubernatori, Senatori et variorum insignium Ordinum Equiti, Timotheo Iwanowicz Tutolmin, mensis Septembris, supremo illius Rescripto dato et nobis per eum copiatim communicato, de adiunctione ad nostram Albae Russiae Archidioecesim omnium Monasteriorum ac Ecclesiarum Orthodoxae Romanae Ecclesiae Unitarum et in supradictis Guberniis degentium, cum expressa

Suae Imperatoriae Maiestatis eorum nostro regimini commissione. Perscriptus est a nobis in eodem nostro scripto, quoad verbum, paragraphus primus Supremi Suae Imperatoriae Maiestatis mandati, cum accurata et debita ex parte nostra cuilibet Ecclesiastico data cautione; postremo, comendavimus nos vestris precibus, ut Supremus Artifex tantum nos roboraret gratia et viribus, quantum earum ad beatificandam Dioecesim et ad explendas benigne nobis impositas ab Augustissima Imperatrici obligationes cum accuratissima fidelitate est necesse.

Die vero 29-na Januarii currentis anni 1796, ad satisfaciendum supra laudatae supremae Suae Imperatoriae Maiestatis voluntati, post fundatam nostram pastoralem iurisdictionem in adjunctis noviter Guberniis supra omnes Ecclesiasticos tam religiosos, quam saeculares Ritus Romano Uniti et simul existentes in partibus, Mohiloviensi ac Polocensi Guberniae adjunctis, facta consideratione: 1º. Quod Consistorium per aliquod spatium annorum saepissime retentum penes residentiam nostram in Onuphriensi Abbatiae Monasterio, et causa diffusae per sex Gubernias nostrae Archidioecesis, nullomodo commoditati inservire potest, vel maxime Ecclesiasticis in Polocensi et Minskensi Guberniis, ubi multae numerantur ecclesiae Unitae, fundata est igitur in gubernacula civitate, penes Cathedram nostram Polociae, sicut in loco undique ex parte cursorio, propter missionem omni generis scriptorum cursum regularem ac citissimum habente. 2º. Quod in superius dicto supremo Suae Imperatoriae Maiestatis, sub a. 1795, mense Septembri, mandato, ultimo, hoc est 7º, paragraphe remittendo nos ad supremas illius sub a. 1782, Januarii 17, et 1785, 7 Januarii, leges sub fine, praeceptum est Monasteriis Unitis expresse subditis his nostrae iurisdictioni electionem facere Superiorum Provincialium ac Generalium, seu etiam illorum mandatis oboedientiam praestare, exinde vitalis Supremi Mandati omnis iurisdictio Generalis et Provincialium Religiosorum cessit in Imperio Rossiaco. 3º. Quod debemus saepissime et modo propter commodum servitium retentis Ecclesiasticis pariter in Mohiloviensi, Volynensi, Podolensi, Bracławiensi Guberniis, non longe distantibus a Monasterio Onophriensi et vel maxime quoad promotionem in sacros Ordines ibi Residentiam habere, ut possimus succurrere communi Dioecesis commoditati et facilitori servitio, inito consilio cum Ecclesiasticis, vi Legis supremae Suae Imperatoriae Maiestatis sub a. 1772, X-bris 14, paragraphe 5º, ita scriptae: « Ambo hi Episcopi penes domus suas Spiritualia Consistoria, propter expedienda sua negotia spiritualia, habeant in quibus illi constituere possunt secundum suam necessitatatem duos vel tres e medio suorum Ecclesiasticorum assessores ». Secundo, sub a. 1782, mense Januario 17 die, sexto paragraphe, sic expressae: « Hic Archiepiscopus, propter examinanda et decidenda negotia, in quibus ecclesiasticae et civiles leges praescribunt Forum in spiritualibus subseliis, sub praesidentia sua, Consistorium

ex aliquibus Canonicis in mancipatione nostra natis, vel in ea confirmatis, compositum constitutat ».

Ab anno 1787 fundatum Consistorium per nos et ex Judicibus sub nostra praesidentia, quoad Clerum nempe Rev.mo Patre Gregorio Kochanowicz et Patre Joanne Martusewicz, cum Secretario Georgio Morozowicz compositum penes Cathedram nostram, ad Polocense Monasterium transtulimus, memoratos Judices corroboravimus, addendo, cum consideratione nostrae diffusae Archidioecesis, et exinde multitudinis negotiorum, alterum Secretarium ad noviter iunctas Gubernias Clericum Thomam Jackiewicz, sicut iam spatio aliquot annorum vices scribae gerentem, Dioecesi bene promeritum. Ex Religiosorum vero Ordine loco Rev.mi Mathaei Jakimowicz, qui ob senectutem ulterius talem functionem gerere non potest, Rev.mum Ill.mum Patrem Samuelem Nowakowski, OSBM, Superiorem Polocensem, addendo pro Secretario Rev.dum Patrem Joannem Trydenski, OSBM, bene nobis ex idoneitate et dotibus commendatum assignavimus. Penes autem latus nostrum solam modo Curiam, propter exhibendam parem de persona nostra cuilibet servitutem et expeditionem negotiorum singulariter, ad potestatem nostram pastoralem referendorum servavimus, et ob illius Curiae negotia Secretarium Georgium Morozowicz penes illam retinuimus; cuius vices in Consistorio, per Mohiloviensem, et Polocensem Gubernias, debet gerere R.D.nus Mathaeus Jurjewicz; de qua Curia semper nobiscum existente, referenti cuilibet ad eam in necessitate, edenda sunt installationes, consensus, administrationes cum eorum praerogationibus in beneficia formata, omnis generis instrumenta, dignitatibus Judicum Surrogatorum ac Decanorum fundationi ecclesiarum et illarum benedictioni, dividenda seu etiam unienda parochiae servientia, propter commodum parochianorum variae dispensationes, lege canonica descriptae, attestations de exemptione servorum ecclesiae ex iurisdictione nostra, attestations recessus causa extra limites Imperii, et alia his similia scripta, servatis tamen his omnibus quaecunque de lege servari est necesse.

In confirmationem vero horum omnium instrumentum nostrum designatis Consistorii Judicibus edidimus, quo omnes penes superius descripta officia corroborando dedimus, primis, quoad Clerum vim et potestatem omnia et singula reporta a Surrogatorum Regiminibus et in casibus repentinae resolutionis, egentibus a Decanis et Parochis prius institutis in Dioecesi Albae Russiae, nunc vero et in supradictis quattuor Guberniis, et ex parte Dioecesi Albae Russiae Guberniis adjunctis, vel denoviter instituendis, vel comprobandis, omni generis postulationes, inter partes litigantes delationes, accusationes, appellations a Regiminibus Judicii Surrogatorii atque omnia et singula negotia iudicialia, variae communicationes de Judicio saeculari, et alia vel maxime a Graeco Rossorum et Latinorum Consistoriis, sub titulo facti addressos, ad Consistorium recipere, resolutiones statuere, decreta ex

litteris Cridae aspirantibus ad statum ecclesiasticum et cunctas decisiones, servatis de iure servandis ferre, completum ad ecclesias parochiales de numero servorum ecclesiae, quoad cantores et sacellanos formare, et illis locum habitationis assignare, et hoc quidem omne sub nomine imperiali, seu instrumento, ad quem pertinebit executioni mandare, cum debita tamen ad nos referentia de confirmatione eorum vel maxime quoad validiora puncta, itidem ad id incumbere, ut omnes rectae praescriptiones, de quacumque sive civili, sive spirituali, seu consuetudinis, seu nostrae voluntatis constituta, et in posterum constituenda lege in Archidioecesi nostra omnino serventur; ideoque per designatos instigatores diligenter curare ut, inter Ecclesiasticos fraternalia caritas, utilitas bono publico, non suspecta in Augustissimam Imperatricem et eius publica negotia fidelitas, exemplum populo, virtus cum probitate florent et lucent, necnon perfecta rerum, statui spirituali necessariarum, redundet notitia; omnia vero mala, actiones scandalosae, legitima poena, ut censuris ecclesiasticis, suspensione ab administratione Sacramentorum, vel quod melius videtur intrusione domum correctionis, brevi a nobis assignandam per Judicium formaliter institutum, ut extirpentur, ac eradicentur.

Praterea summa sit cura, ut Parochi saeculares in sanctitate ac sobrietate viventes, alter alterum non aggravent, eaque omnia adimpleant, quae vi legis vel consuetudinis hucusque Consistorio erant convenientia, ac ad illud pertinerent. Rev.mo autem Nowakowski, qui primum a nostra Persona Pastorali locum quoad acta Ordinis occupare debet cum Secretario, addendo ei tres Consultores, unum ex Alba Russia, secundum ex Lithuania, tertium ex Polona Provinciis, bene nobis comendatos, et a nobis singulari scripto confirmandos, damus facultatem inspiciendi in statum cuiusvis Religiosi, eiusque mores, indolem, virtutes, merita ac habilitatem ad dignitates; quae omnia eidem a tribus Officiis Religionis sunt deferenda; et exinde denuntiandae sunt quoque necessitates quoad officia Religiosis distribuenda, seu in casu summi sceleris ferendam in illos sententiam. Eidem insuper concedimus omnia reporta a Spiritualibus Religiosorum Regiminibus, a Perillustribus Abbatibus quoad acta Monasteriorum et personarum sub superioratu eorum degentium, non vero quoad proprias eorum personas; hae enim directo recursu ad nos et ad Curiam nostram, ita sicut antea ad Ordinis Generalem, pertinere debent; Superiorum etiam aliarumque officiosarum personarum omni generis delationes, accusations, postulationes, appellations, in casu non receptae iustitiae, contra Superiores in regimine Provinciae, delationes demum tum Judiciorum, tum personarum civilium ad Consistorium, subscriptas accipere, resolutiones et decreta in actis processis, servatis de iure servandis statuere, promulgare, scandalisantes communitatem seu publicum, inconstantes et Regulas Ordinis frangentes poenis vitio respondentibus infligere, inobedientes a suis officiis ac dignitatibus abiudicare, alios illorum

loco, facta reportatione ad Praepositos Officii, assignare, suspendere, bona monasteriorum porrigerre, oboedientiam Religiosis iniungere, omnem regulatatem ac disciplinam religiosam, fidelitatem erga Augustissimam Imperatricem eiusque leges civiles curare, desidium et superfluitatem nimiam extirpare, utilitatem publici iam per educationem iuuentutis, et servitium morbo laborantibus, iam per egenorum sustentationem, aliaque officia spiritualia exhibere, simul quoque obligare spiritualia Religiosorum Regimina et eorum Superiores, de quibus dispositio nostra brevi dabitur, ut per eosdem aliasque Religiosos accurata disciplina, utilitas publica, bonum exemplum sint stabilita, omnisque regularitas, oboedientia et cultus in Superiores vel maxime qualem Religioui suis Superioribus et Superiores cum Religiosis antea Provincialibus praebebant, talem Spiritualibus Religiosorum Regiminibus et eorum Praepositis exhibere debent. Uno verbo, omnia adimplere quaecumque spectarent ad Generalem Ordinis, praeter dependentiam Abbatum, singulariter vero quoad distribuendas dignitates religiosas, uti sunt installationes in Abbatias, in Superioratus Regiminum Provinciae, et monasteriorum cum expressa nostra confirmatione, seu potius vi nostri instrumenti; nam in supremis Suae Imperatoriae Maiestatis mandatis, in primo sub a. 1780, mense Januarii 2<sup>a</sup> die, ita est scriptum: « Secundo, ne quis ex Ecclesiasticis Romanis functionem spiritualem, visitationem, aliaque secundum Ritum huius Religionis officia adire praesumat, nisi dicti episcopi, quemadmodum auspicio nostro in Imperio nostro constituti legitimi Romanae Ecclesiae Pastoris habeant veniam horum omnium et benedictionem, eamque scriptam exhibere possint ». In secundo, sub a. 1782, Januarii 17-ma die: « Octavo. Constitutio in Monasteriis Praepositorum vel Superiorum, et in parochiis sacerdotum saecularium, caeterorumque Ecclesiasticorum Romani Ritus Officiorum per universum Rossiae Imperium spectat ad potestatem Archiepiscopi, a nobis praefecti, cui mandamus ut vel semetipsum, in parte etiam per Coadjutorem suum, de omnibus eiusmodi Praepositis et Sacerdotibus saecularibus informationibus captis ex ipsis hos relinquat, aut de novo constituat, qui in mancipacione nostra nati sunt, aut comprobati ». Hoc autem pacto arroborato Consistorio, sub finem personis ad illud designatis, palamque expressis dedimus obligationem, ut scilicet fidelissime et iuste secundum Deum, legem et conscientiam, munus suum expleant ac gerant et tale instrumentum nostrum cum subscriptione nostra et sigillo, in loco Consistorii penes Monasterium Polocense deposuimus.

Nunc vero his omnibus adimpletis, per adductionem supra memoratas personas ad iuramentum, sub rescriptione ab iisdem in fidelem commissorum sibi officiorum gestum data, et per porrectionem duorum Consistorii sigillorum, visum est tandem nobis, vobis omnibus, Carissimi in Christo Fratres, nempe toti Ecclesiastico Ordini, tam Religiosorum, quam Saecularium,

iurisdictioni nostrae comisso, et hucusque in Guberniis non solum Minscensi, Volynensi, Podolensi et Bracławiensi, quo innotescientia nostra sub die 3-tia Novembris 1795 Anno, Minsciae data, fuerat promulgata, verum etiam in Mohiloviensi, Polocensi, in partibus quoque his Guberniis adiunctis existenti, id omne publicare, prout in nomine Domini praesentibus nostris publicando mandamus, ut quilibet vestrum, Carissimi in Christo Fratres, tam Religiosi utriusque sexus, quam Saeculares cuiusvis nominis et dignitatis, certior factus de superius memorato Instituto, nihil detrahens pristinam et de ordine consequentem oboedientiam et cultum, proximo suo Regimini exhibeat, scilicet quoad Clerum Decanis, hi vero cum sibi subditis Judicibus Surrogatis et eorum Spiritualibus Regiminibus; quoad Ordinem Monasticum loci Superioribus, ii vero cum subordinatis sibi Religiosis Spiritualibus Regiminibus eorumque Praepositis, recognoscendo quid ad Consistorii et quid ad nostram interest potestatem.

Consistorium tale ex supradictis personis coagmentatum, primum a nobis, ratione sui remotissimum agnoscat Regimen, personis ad idem deputatis debitam oboedientiam et cultum praestet, et eo ipso singulis de Consistorio seu ex lege Imperiali, seu Spirituali, vel communi Instituto, vel etiam nostra constitutione editis iuridice mandatis, quoad Clerum per Regimina Surrogatoria, quae statim post Consistorium extenduntur supra Spirituales, in limitibus suis existentes et Imperiali utuntur sigillo, seu per Decanos directe missis et expositis; quo autem ad personas Regulares per Officia, seu per Superiores Monasteriorum abhinc quivis sit oboediens, et illorum voluntatem alacriter adimpleat; in suis autem negotiis et necessitatibus non aliter, quam in Officio designato per reportationes ad Decanos et Superiores, isti vero per Officia Surrogatoria et Religiosa recurrent. At si in his debitam satisfactionem non obtineant, per supplicem libellum, quasi per appellationem, Consistorium suae querelae non sine scitu priorum Superiorum certiorem faciant, atque ab illo tantum dependeant, quantum ipsa obligatio praestitata erga Augustissimam Imperatricem exigit atque depositit undecimum punctum supremi eius Imperatoriae Maiestatis mandati, sub a. 1782, Januarii 17-ma editi, et nobis clementissime concessi, cuius tenor est huiusmodi: « Confirmamus quatenus Religiosorum Ordines Romani Ritus dependendo unice ab Archiepiscopo Mohiloviensi, ipsius Coadiutore et Consistorio haud praesumant subdere se subordinationi alicuius spiritualis potestatis extra Imperium nostrum constitutae, mittere ipsis redditus aut partem illorum vel etiam habere ad ipsos aliquam referentiam sub comminatione Judicii saecularis in transgressores non observatorum mandatorum supremae Potestatis » – praecepit. Quae omnia, ut plenam vim et valorem habeant, sigillo muniri mandavimus et manu nostra subscrisimus.

Datum penes Cathedralem nostram, Residentiam Polocensem 1796 anno, Mensis Februarii 3-tia die.

Autographum subscriptum sic: HERACLIUS, Archiepiscopus (L.S.).

Curialis Secretarius Graeco-Unitarum Ecclesiarum et Consistorii: Georgius Morozowicz.

### 34.

*Zydyczyn, 14. IX. 1796.*

*Litterae H. Lisowskyj ad P. Wažynskyj datae, ex sua visitatione Volhyniae, ut deferret Sedi Apostolicae statum ecclesiasticum suaे eparchiae; de abrogatione Hierarchiae unitae; brevis historia s.d. «Missionis» Petroburgensis; de possibiliitate unionis Ecclesiae Rossiacaе in basi articulorum Sorbonensium an. 1717, ut etiam status Ecclesiae Unitae melioretur etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n. (ibidem extat et alia traductio).

Copia litterarum Ill.mi Heraclii Lisowski, Archiepiscopi Polocensis, ad Ill.mum Porphyrium Wazynski, Episcopum Chelmensem,<sup>119</sup> de die 14. 7-bris 1796, ex Monasterio Zydyczynensi.

Illustrissime Domine, Mecaenas Amplissime!

Postquam iniuncta mihi fuerit a Suprema Civili Potestate visitatio ecclesiarum et monasteriorum per Provincias novo-erectas dissitorum, in illa expedienda accedens proprius limites Imperii Romani, fuit mihi intimo in animo personali collocutione cum Ill.ma Dominatione Sua gaudere, ac interim detegere, quid mente mea hucusque volverem de Religione nostra Romano-Unita, capiendo eius salubri consilio, uti viri in rebus ecclesiasticis peritissimi, boni in Ecclesia Christi Pastoris, atque inde a S. Sede Apostolica auctoritate praediti. Ast cum transitus limitum exterarum praepediret mihi explendi huius adeo necessarii intentus, loco igitur oralis, obstantibus circumstantiis non absolutae collocutionis, restat mihi, ut praesentibus litteris statum Ecclesiae nostrae, quasi ultimum agonem agentis describam, simulque rogem Ill.mum Dominum, ut dum ego copiam scribendi absque singulari facultate Dirigentis Senatus non habeo, supplices nostrorum omnium orationes Summo Pontifici Pio VI deferre faveret, qui consideratis Ecclesiae nostrae circumstantiis curam et auxilium suum adhibere non deditnatus esset reparacionis ergo prolapsae Unionis, cuius cultorum adeo parvus numerus est, adversus numerosissimam gentem Rossiacam et negotiationis cum toto Imperio de communi Unione.

<sup>119</sup> Porphyrius Skarbek Wažynskyj, Protoarchimandrita Basilianorum (1772-1780; 1788-1790), Provincialis Lithuaniae (1784-1788), Archimandrita Zydyczynensis (1782-1790), Episcopus Chelmensis (1790-1804).

Status Unionis nostrae sequens est: incorporata tota Archidioecesi Metropolitana dominanti Religioni, etsi quaedam parochiales ecclesiae remanserint penes Unionem, Missio tamen, quae assignata erat 1795 anno, mense maio, sub praesidentia Barlaami episcopi,<sup>120</sup> cum annuali stipendio 26 millia Rublorum, navantibus in huius Missione operam Presbyteris Graeco-Rossiacis, insinuavit illas revocare et hucusque etiam eo revocat ad suae Religionis confessionem, ut faciente me iter per Provincias Wolyniae et Ukrainae, ex omnibus abrogatis Dioecesisbus vix connumerare potui 200 ecclesiarum; et de illo etiam numero quotidie accideret mihi videre Graeco-Rossiacae pascuae Episcopis incorporari, quorum duos, uti Joannicum in Provincia Podoliae, Barlaamum Wolyniae ac tandem tertium, qui est Minci, Archiepiscopum Victorem Sadkowski,<sup>121</sup> abrogata iurisdictione nostrorum Episcoporum Augustissima Imperatrix, D.na nostra Clementissima, gentis ergo suae, tanquam unam religionem profitentis, inaugurate munificentissime voluit. Quod autem interest numeri Monasteriorum, qui sicut non ignotus erat Ill.mo Domino, ita nunc vix duodecim invenitur, hicque non aliter, quam ad ulteriore civilem dispositionem. In Alba autem Rossia, occasione similis prioris Missionis, tempore discessus mei in supradictam visitationem plusquam tertia pars ecclesiarum parochialium et tria Monasteria defecerunt, et quae supersunt adhuc parochiales ecclesiae et monasteria, de his etiam assiduam navat operam per delegatos a se Petropolitana Dirigens Synodus, ut nempe paulatim adnumerentur profitentibus Graeco-Rossiacam religionem, illudque sperandum est; Augustissima namque Imperatrix studium hoc et curam supradictae Synodo per suum rescriptum 1795 anno, mense Maio, injunxit. Quare igitur Unio nostra in Rossia ita secum habet, et haberi non persistet, intelligere Ill.mus Dominus faveat, quod adhuc memoria tenemus, brevibus deferam plus notissimam historiam appellando, quam illam plus aequo recitando.

Facta renovatione Unionis per Roxolanos Episcopos Pociey ac Terlecki anno 1595, agendaeque Synodo sequenti anno 1596 Brestae felicem succes-

<sup>120</sup> Missio s.d. Petropolitana ad conversionem Unitorum ad orthodoxiam, fundata anno 1795, sub praesidentia episcopi Barlaami; (praesertim Victor Sadkowskyj, Archimandrita Slucensis et Episcopus Perejaslaviensis et Coadiutor Kioviensis ab anno 1785) et anno 1787 habuit iam 300 ecclesiis in Lithuania. Haec Missio operabat cum fructu in regionibus et unitis eparchiis metropolitana, Luceoriensi, Volodimiriensi, Chelmensi et in Volhinia; Sadkowskyj vero, scripta littera pastorali in materia, nominatus fuit Archiepiscopus Minscensis. Cfr. PELESZ J., *Geschichte der Union der Rutherischen Kirche mit Rom*, vol. II, pag. 584-590.

<sup>121</sup> Episcopi orthodoxi tunc iam erant: Joanicius Podoliensis, Barlaam Volhyniensis, Victor Sadkowskyj Minscensis; cfr. PELESZ J., *Geschichte...*, vol. II, pag. 585.

sum discordia Balabani et Kopystynski Episcoporum,<sup>122</sup> ut patet ex Rescriptis Sygismundi Regis Poloniae, negavit; unde quam infelices successerunt jurgiae et tristes tragediae, quae duobus saeculis absolvebantur, visae sunt. Neminem etiam latent illae in Humań caedes, illa episcopi Sadkowski incarcерatio, unius ergo falsae de coniuratione suspicionis, illae etiam nostrorum Sacerdotum in Krzemieniec capitum plexiones, causa cuiusdam quasi scissionis adversus Romano Catholicos decollandos fore, quaque vix nuper memoratorum Sacerdotum Praesul, Episcopus Luceoriensis Lewinski<sup>123</sup> poena non punitus est. Hae itaque discordiae Unidos inter et non-Unitos, quamvis Comitiis Polonicis intercedente Rossia suppressae videbantur, numquam tamen salubri fine gloriabantur. Nec quidquam proderat intercessio Rossiae, sed quotidie ad invicem Catholici et non-Uniti ludibri odio anhelabant; indeque factum, quod duo Episcopi, cum caeteris Poloniae Proceribus patibulo affixi, pessimam mortem subierunt, qui accusabantur de favore Rossianis qua Schismaticis acto. Facta autem scissione Cracoviensi et Varsaviensi, rivolutione surrexerunt agricolae falcibus et copiis armati; insana turba ista infelis populi tumultuosi ducebatur ad flendam decollationem adversus invictissimos Rossiae exercitus,<sup>124</sup> tanquam barbaros, pro fide Catholica moritura. Accessit tandem zelus Praelatorum nostrorum, uti Episcopi Pawlucki, Abbatis Ochocki et Canonici Kulikowski<sup>125</sup> et caeterorum, qui adversus iure iuratum throno Rossiae fidem rebelles, in exilium damnati. Haec et his similia occasionem dedere in vastissimo Rossiae Imperio paucissimum Unionem profitentium numerum non esse tollerandum; quia tam ex parte propagandae Unionis, quam ex parte non-Unitorum, eam damnantium, infelices avidebant effectus.

Illud autem, de quo hic dixi reverum esse ostendit singulare respectu Unitorum mandatum Augustissimae Imperatricis Rossiae, ad Supremum Gubernatorem Provinciarum Podoliae, Ukrainae ac Wolyniae, Ill.mum D.num Tutolmin directum, cuius principalia sunt verba: «Ad abolendam Unionem cum Romanis optimum medium praedicatio Verbi Dei et hoc modo recuperanda pax et unanimitas in illis regionibus ». Si enim causa jurgiarum

<sup>122</sup> Gedeon Balaban, Leopoliensis et Michael Kopystenskyj, Peremysliensis; cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae 1970, secundum Indicem nominum et rerum.

<sup>123</sup> Levynskyj Stephanus, Episcopus Luceoriensis ab anno 1798. Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>124</sup> Agitur de insurrectione Polonorum annis 1792-94, et de pugnis ad Raclawice (victoriosa polonis) et Maciejowice (ubi poloni erant victi a prussis et russis).

<sup>125</sup> Episcopus Paulucki (?); Josaphat Ochockyj, Archimandrita Ovrucensis (1780-...). Alumnus Coll. Graecorum, ann. 1764-70. «Analecta», X. p. 171.

et violatae tranquillitatis deficit Unio nostra, quis ergo certissimam pacem et unanimitatem populi, Augustissimae Imperatrici optabilem, nobis, omnique Rossiaco Imperio donare et reddere possit, nisi iudicio omnium Summus Pontifex Pius VI-us per suam, cooperante Spiritu Sancto, ad Augustissimam Imperatricem intercessionem, et operam cum Praesulibus Magnae huius Gentis Rossiacis faceret Unionem optabiliorem illa, quam in quibusdam Provinciis protegere hucusque non dignatus erat. Non dubitandum est eius Sanctitatem ad hoc opus habere sufficientes modos, cuius Legatio ad Imperatricem nostram, in negotio creationis Archiepiscopi latini Mohiloviensis, Ill.mi Stanislai Siestrzencewicz, illique Pallii impositionis, multa cum laetitia Catholicorum nostrorum, condecorata et effectum suum in omnibus Summi Pontificis negotiis sortita est, cuius honorificentissima exceptio Romae Serenissimorum Principum et successorum Throni Rossiaci itinerantium, Augustissimae Imperatrici grata erat, cuius denique multiplicita requisita, ope etiam litterarum facta, ad eandem Augustissimam Imperatricem, cum magna laetitia et spe nostra tandem aliquando futurae Unionis adimpleta extiterunt. Quare iudicandum est meliorem in modum illa omnia hic facere, si Pontifici Maximo placeret renovare illud propositum, quod Doctores Sorbonae 1717 anno, mensis Junii die 15, litteris per manus p.m. Petri Magni, Imperatoris Rossiae,<sup>126</sup> ad Praesules et Clerum Rossiacum directis fecerunt. Eius modi enim Summi Pontificis actus infallibles, optabilis Unionis haberent effectus, si illa omnia, quae articulos fidei spectant, quaeque admiserunt Doctores Sorbonae, Summus Pontifex admitteret, concederetque Graeco-Rossiacae Ecclesiae, invocando eam ad Unionem. Utinam faveret Summus Pontifex invocare etiam Augustissimum Romanum Imperatorem<sup>127</sup> ad Unionem hanc stabiliendam, cuius effectu foedus duorum magnorum Imperiorum maiore robore gauderet, si istae internae ad invicem non unionis aversiones tollerentur.

Utinam dignaretur Pontifex Maximus ab Augustissima Imperatrice expostulare Episcopis Latinis, Unitis, et Graeco-Rossiacis copiam particulariter secum disserendi in ratione ad struendam Unionis mediorum. Utinam denique Episcopis Graeco-Unitis liceret aggrediendi Romam vel adstanti coram eius de latere Legato amplioris ergo informationis; Rossiacam nempe Ecclesiam id unum credere, quod et nos Latino-Uniti credimus, eodem modo Sacraenta, ac nos, administrare, preces canonicas ex iisdem libris recitare, imo de uno Euchologio Sacraenta confidere et aliquando in defectu librorum

---

<sup>126</sup> Petrus I, Imperator Moscoviae (1682-1725). Hic anno 1717 iter faciebat in Europa et Parisios venit, ubi a Doctoribus Sorbonae exceptus fuit.

<sup>127</sup> Franciscus II, Imperator Austriae (1792-1806).

Missalium et Pontificalium Sacra celebrare, idque non aliter, quam ad mentem Euchologii Benedicti XIV. Si eiusmodi copia informationis, qua par est, nobis concederetur, saltem in hoc nostro ultimo agone laetaremur.

Explicui ergo dilucide statum Unionis nostrae, quae iam ultimis spirat, ratione mandatorum Imperatricis, Dominae nostrae Clementissimae, quae in spatio trium horum annorum numero quinque respective quoad nos lata sunt, de quibus, spero, praeteritum Regimen Congregationis Basiliana Generale per suum Procuratorem, aut Excellentissimum Metropolitam, aut Episcopos nostros, notitiae ergo, ac informationis S. Sedem Apostolicam certiorare. Quapropter humillime rogo Ill.mum Dominum meo et omnium Unitorum nomine, ut susciperet munus de his omnibus Summum Pontificem certum reddere, supplicaretque de adstruendis Unionis mediis. Eiusmodi enim opus toti Ecclesiae Catholicae singulare adferret gaudium ac fortissimam protectionem, Summo autem Pontifici immortalem laudem et gloriam, si hoc aevo Romanam Ecclesiam cum Imperio in mundo potentissimo, religione christiana, illuminato nodo unitatis consociaret et unanimem redderet; indeque sequeretur, ut Ill.mus Metropolitanus caeterique Episcopi si non suas iam Cathedras recuperare possent, certe paribus locis potirentur, Clerus saecularis, quorum oves religionem dominantem amplexae sunt, ab altaribus semotus, ad eadem reverteretur, ecclesiae ac permulta monasteria Basiliatorum occlusa, sine impedimento ab istis, qui dominanti religioni nomen dederunt reserarentur, ac denuo omnibus paterent; Clerus denique Regularis et Saecularis, nunc umbrae ignominiae tectus, singularis in aestimatione et autoritate potitus esset. His ergo explicatis, restat quod memoria mea semper teneo, Parentibus nempe et Praeceptoribus nunquam satis, maneo cum pleno venerationis affectu etc.

## 35.

*Onuphrey, 4. XII. 1796.*

*H. Lisowskyj ad monachos Basilianos et de erectione Consistorii seu Provincialatus in monasterio Ladensi et de eius compositione; omnes vero monachos ad obedientiam hortatur.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n.

Nel dominio di S.M. Imperiale di tutte le Russie Paulo Piotrowicz.

ERACLIO ODROWAŻ LISOWSKI, per la misericordia di Dio e per la benedizione della S. Sede Apostolica Romana, Arcivescovo Unito della Russia Bianca, Archimandrita di Onufrei, Cavaliere dell'Ordine di S. Stanislao.

Ai Reverendissimi, molto Reverendi e Reverendi Padri dell'Ordine di S. Basilio il Grande del Rito greco-unito, domiciliati nei Monasteri appar-

tenenti ora ai Governi di Minsko e Volinia, salute nel Signore e nostra Archipastorale Benedizione.

Dopo la facoltà, conferitaci per mezzo dell'Imperiale espresso commando, uscito l'anno scorso 1795 nel mese di settembre, sopra il Clero tanto regolare che secolare, esistente nei governi di Minsko, Volinia, Podolia e Bracavia, e dopo la soppressione della potestà regolare fondata sul Generale e Provinciali, stabilimmo nel giorno 3 di febraro dell'anno venturo 1796, nella residenza nostra di Polock, un Concistoro generale, al quale comettemmo l'amministrazione della giustizia ed il governo del Clero regolare. Promettemmo coll'universale nostro istromento di stabilire altri tre distinti Concistori per li Monasteri, che godevano prima i Provinciali co' loro Consultori; ciò dal generale Concistoro di già poteva esser publicato. Ora poi, avendo visitato in persona alcuni dei Monasteri, e quel che più avendo ricevuto dal Rev.mo P. Silvestro Antonowicz,<sup>128</sup> dell'Ordine di S. Basilio il Grande, confermato da noi l'anno scorso 1795, col nostro istromento, nell'impiego di visitatore e la di lui rinunzia veduto, abbiamo la necessità d'accelerare per i Monasteri di Lituania, il di già promesso Concistoro. Laonde senza dimora stabiliamolo nel Monastero di Lada, nel quale vogliamo presidente cum voce decisiva il molto R.P. Taddeo Lebiedzinski,<sup>129</sup> come uomo e nella Religione di molti meriti, e nelle sue incombenze esperto e diligente. L'Assessori saranno i RR.PP. Gioachino Obuch ed Ignazio Szymkiewicz, quello di Rakow, e questo di Swierzan Superiori, Padri e per dottrina, e per buoni costumi a noi raccomandati, ai quali aggiungiamo per Segretario R.P. Filippo Dobrowolski, avendolo transferito dal Monastero di Berezwecz al Vicariato di Lada,<sup>130</sup> il quale intanto non avrà vocem decisivam; Uffici di questo Concistoro, composto di tre membri, e Segretario, sarranno l'istessi de Provinciali, che nello stromento dato da noi al M.R.P. Silvestro Antonowicz il giorno 3 di Novembre 1795, sono espressi con questa giunta: che surreferito Concistoro dei Monasteri, in qualunque maniera apartenenti alla Provincia di Lituania, in vigore della presente nostra istallazione, dopo la di lei publicazione ai quali appartiene, colla dipendenza da noi, Pastore, e dal Concistoro, tutti i suoi ordini, tanto civili che ecclesiastici, deve publicare col nome e col sigillo della Camera,

---

<sup>128</sup> Sylvester Antonowycz, electus in secundum Consultorem Prov. Lithuaniae in Cap. Zydycynensi an. 1788. Cfr. M. M. Wojnar, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 40.

<sup>129</sup> Thaddeus Lebiedzinski, Praeses Consistorii Ladensis.

<sup>130</sup> Assessori huius Consistorii Religiosorum Ladensis erant Joachimus Obuch, Superior ut videtur Rakoviensis et Ignatius Szymkiewicz, Superior Swierzanensis et Vicarius Ladensis et Secretarius huius Consistorii Philippus Dobrowolskyj, ex Berezwecz in monasterium Ladense deductus.

e dove aparterrà, indirizare; a Noi poi ed al Concistoro mandar deve intorno a tutte le cose e specialmente di maggior rilievo i soliti rapporti, dopo d'aver racolte l'operazioni, apartenenti alle visite, le quali ora si trovano nelle mani del M.R.P. Antonowicz. Noi intanto speriamo nel Signore che lo stabilito Concistoro in Lada metterà tutta la diligenza, acciochè i Monasteri siano utili al pubblico, e mantengano religiosa subordinazione, in questa guisa si procaciariano la stima e scangeranno la già minacciata soppressione.

Laonde racomandiamo e sotto pene gravissime commandiamo a tutti i Superiori de suddetti Monasteri, ed a tutti l'individui dei medesimi, dopo la publicazione del presente nostro istromento, la debita subordinazione allo stabilito regolamento, ricorrendo a lui nei suoi bisogni e mostrando pronta obbedienza all'ordini di esso, e rispettando le persone che lo compongono. Allo Presidente poi cum voce decisiva, ch'a il diritto di visitare i Monasteri a lui destinati, prestarsi deve il solito ossequio e l'obbedienza, rispettando li di lui consigli, ammonizioni, l'ordini e sottomettendosi alle di lui decisioni; potendo però appellare al Concistoro generale in caso d'aggravio. Oblighiamo di più il sopradetto Concistoro di Lada d'esser fedele al suo Sovrano, inculcando ancora l'istesso ai Religiosi a se commessi. Tutto ciò acciochè sia rispettato e creduto, mettendo il nostro sigillo, di proprio pugno sottoscriviamo.

Dato nella residenza dell'Abbazia di Onufrei, ai 4 di X-bre 1796.

ERACLIO, Arcivescovo (m.pr.)  
Giorgio Morozowicz, Segretario.

### 36.

(*Onufrey*), 7. XII. 1796.

*Heraclius Lisowskyj Hegumeno Basiliiano in Lady de possibilitate permutandi Superiores in monasteriis.*

*Vilenskaja publičnaja biblioteka*, manus., scatola 3, nr. 190. Vilna 1889.

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju*, t. XVI, pag. 591, nr. 253.

R.me D.ne.

List R.mi D.ni 17. 9bra gdy mi doszedł, uwiadamiający o wielu rzeczach zakonnych, odpowiadając na ony, krótko ziasniam się, iż skoro po świętach ruszę się do Połocka, tedy z drogi, idque z Orszy napiszę ad R.mum D.num, zapraszając go do siebie dla potrzeb naszych duchownych. Konsultora ieszcze iednego, ieśliby była potrzeba R.mo D.no, tedy w Łohoysku można z czasem onego przybrać. U nas iuż po juramentach, które z wielką ochotą wszystkie stany wykonały po swoich parochiach, przed rozesłanemi sędziami umyślnie na ten akt solenny, i winośc panowie duchowni wszyscy toż dopełnić mu-sieliście, a ieśli nie, to się starajcie u zwierzchności kraiowej. Ponieważ

i.mść xiądz Leszyński poiachał do Leszcza na usilne żądanie jaśnie wielmożnego Chomińskiego, woiewody i z woli jaśnie wielmożnego Tutolmina generał-gubernatora, tedy nim się zdarzy większe starszeństwo i.mści xiędu Antonowiczowi, czy nie chciał by tym czasem wziąć Lohoyskiego? potraktować o to, a ja z dobrą życzliwością pasterską ostaię.

HERAKLIUSZ, Arcy-Biskup.

### 37.

*Polock, 1796.*

*Litterae Archiepiscopi Polocensis Lisowskyj ad card. Archetti, olim Nuntium Varsaviensem, de regimine Unitorum in toto Imperio Rossiaco, de voluntate Nuntii uniendi Rossiam, de missione in Tauriam, de modis unionis, de programmata Sorbonensi, de Euchologio Benedicti PP. XIV etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93.

Eminentissime Domine!

*Alia manu:* Alterum exemplum litterarum ad Em.mum Cardinalem Archetti directarum,<sup>181</sup> eodem anno 1796.

Nihil mihi jucundius esse potest, quam revocare in memoriam Admonitiones illas, quibus Eminentia Vestra directis ad me litteris sub anno 1785, die 6 Augusti, post exitum Petropoli mandavit, ut nempe singularis mei negotii sit vestem Christi inconsutilem praesertim in hocce rerum omnium certamine, exemplo Gregorii Nanianzeni, Cypriani et aliorum SS.PP. custodire. Hoc quippe tanti me semper occupaverat, quanti et beneplacitum Pontificis Maximi Pii VI gratissime in munus Archiepiscopi Polocensis largitum exigebat, ad quod Augustissima Imperatrix Domina Clementissima mandato suo misericorditer assignare me dignata est, et natura illius munii hisce in Regionibus expostulabat. Quod autem non facerem per spatium tot annorum recursum ad Eminentiam Vestram, praecipuae causae id erat, quod in finibus Dioeceseos meae per Albam Rossiam nullum urgens negotium reperire me sensi.

Nunc vero, dum Ill.mus Metropolitanus D.nus Theodosius Rostocki simul ac caeteri Episcopi ad suas Dioeceses in illis ditionibus, quae Rossiaco Imperio nunc incorporatae sunt, ob plurimarum partium Unitorum nimio missionariorum nostrorum zelo anterius coactorum ad Dominantem

<sup>181</sup> Joannes Andreas Archetti, Nuntius Varsaviensis (1775-1784); nominationem cardinalitiam obtinuit in ecclesia Grodnensi die 20 Septembris 1784, et devenit Legatus Bononiae; ab anno 1800 episcopus S. Sabinae; obiit 5 Novembris 1805. Cfr. W. MEYSZTOWICZ, *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, Romae 1944, pag. 31-34.

Graeco-Rossiacam Religionem transitum, regressum amisere, et super reliquos Unitae Ecclesiae adherentes varii generis et status, Augustissima Imperatrix, tanquam zelosissima Mater erga subditos suos, mihi soli indigno regimen commiserit, tunc illud negotium eo maioris praetii existit, quo magis necessarium est ad commissarum ovium pascuam Sanctissimi Domini Nostri Pii VI beneplacitum, et ad illas regendas secundum edictum Augustissimae Imperatricis, aequae ad meam conscientiam pacificam reddendam incumbit. In illo ergo negotio, his stantibus circumstantiis, referri statui:

1º Ut Eminentia sua a Ss.mo D.no Nostro hanc benedictionem spiritualis jurisdictionis super commissas oves mihi impetrare dignaretur.

2º Non immemor sum tot beneficiorum Eminentiae sua, quibus et Ecclesiam nostram exornavit, et meam Personam singulari benevolentia excipiebat, et in protectione Sua habere promittebat; quorum spe permotus, tam circa Ecclesiam nostram Unitam, quam etiam meam Personam opportuna et saluti animarum necessaria, communique Ecclesiae bono optabilia et perutilia ab Eminentia Vestra cum debito cultu ac veneratione exigere mecum statui. Multum inhaesit memoriae meae actus ille Petropoli, quo Eminentiam Suam cum omni laude, et decore Ecclesiae Catholicae functum non semel Rossiacum Imperium commemorat,<sup>132</sup> ubi Eminentissimus D.nus Graeco-Rossiacae Religionis normam, Antistitum illius statum, morum, incolumitatem, rectitudinem vitae, scientiae et sapientiae plenitudinem plene agnoscens, oratione in Basilica Petropolitana habita, approbare et confirmare non supersedit « quoties, inquiens, in hac Magnificentissima Urbe versor, huius inclytæ invictissimæque Nationis ad cultum Divinum, sinceramque pietatem, proclives animos, quoties Pastorum suorumque Antistitum insignem probitatem, atque virtutum omnium praestantiam consideravi, toties mihi oboris lacrimis exclamandum fuit: utinam tales cum sint, utinam nobiscum omnino conjuncti sint, ut fiant utraque unum, et omnes Latini, Ruthenique eadem perfecta fide, eadem beata spe, eadem sancta caritate unum simus ».

Apostrofe illud directum erat ad Ill.mum Mohiloviensem Archiepiscopum Siestrzencewicz, ast utinam ego ibi adstarem. Plura de incolumitate Graeco-Rossiacae Fidei, de morum probitate, deque preclaro cultus Divini exercitio argumenta adducere Em.mo Domino non neglexerim; nam tunc temporis a Celsissimo Principe Potemkin in Provinciam Chersonesus Tauriae in rebus Ecclesiae meae revocatus fui. Quapropter si Eminentia sua breve tempus cum illis commorans eiusmodi Graeco-Rossiacam Ecclesiam judiciis adornaverit, nobis vero plus quam viginti annos hocce in Imperio vitam agentibus certe fidem non denegabit, bene nempe Rossianos credere, indeque in ea

---

<sup>132</sup> Archetti fungebatur Legatione Moscoviensi annis 1783-84; cfr. IBIDEM, pag. 33-34.

fide parum a nobis discrepare, nisi in eo, quod non sumus unum, quamvis Unam, Sanctam, Oecumenicam, Apostolicam Ecclesiam profitentes, neglecta penitus ex utraque parte post Florentinam Synodus cura de amicabili in Spiritu Sancto fraterna reconciliatione. Nam si pro certo nobis statuere et affirmare licuerit, dicamus oportet: quod cultum Divinum et disciplinam Christianam spectat, in minimo dissident; de essentia enim et effectu Sacramentorum omnium non aliter ac Latina Ecclesia sentiunt et credunt, uti sunt columnae et tesserae Ecclesiae. Canonicas praeces recitant nobiscum ac nos. Sacrificium Altaris, minime recedendo ab instituto Ss. morum Patrum Basilii, Joannis Chrysostomi, et Gregorii Pontificis Maximi offerunt ita, ut adstantes etiam ex nostris Catholicis majorem devotionem et magnificentiam caeremoniarum Caeremoniis Unitae-Ecclesiae a privatis et normas Caeremoniarum Latinae Ecclesiae adoptatis, agnoscere profitentur. Invocare Sanctos cum Deo in Aeterno Lumine regnantes, et multa devotione illos colere perusitatus Rossianorum mos est. Quae et alia multa convincere me videntur, bonae Rossianos fidei esse, nempe eius, quam acceperant Predecessores illorum in Sacro Baptismatis fonte tunc temporis, dum invariabilis pax et concordia inter utramque Ecclesiam floruerat, et hucusque non aliam ab ipsis profiteri fidem vel inde deducitur: Si quidem Theologia dogmatica, quae articulos fidei discutit, non aliud fundamentum et tenorem apud ipsos habet, nisi Catholicum. De disceptatione vero circa processionem Spiritus Sancti, si amicabili modo in charitate Christi appropinquemus et scrutare velimus, quomodo negent processionem Spiritus Sancti vel concedant ab uno principio? inventiemus certe non aliter, quam in sensu SS. Cirilli Alexandrini, Basilii, Gregorii Nisseni etc., qui utique Doctores Catholicci erant, et eandem professionem fidei emittere cernuntur, quam Italo-Graeci Episcopi, et nunc etiam Graeco-Rossiaci Antistites, ut patet ex Euchologio ipsorum, adeoque Catholicu nomine non imprudenter eos donare necesse est, dum professio ipsorum, quam tempore inaugurationis emittunt, a P.M. Benedicto XIV pro Graecis approbata extitit, in qua professione basis et fundamentum religionis niti videtur et processio S. Spiritus declaratur.

Multum etiam hic facit revocare in memoriam Sorbonae Academiae epistolam directam per manus Magni Imperatoris Russorum Petri<sup>133</sup> ad Primos Episcopos huius inclytæ Nationis; tum historiam ecclesiasticam, quae non eiusmodi poena Graeco-Rossianos condemnare conatur, qua digni circumferuntur. Nam non pauci de Religione nostra illos vindicare præsumunt,

<sup>133</sup> Petrus I, Imperator-Zar Moscoviae (1682-1725); hic anno 1717, in Lulio, cum Academicis Sorbonensibus colloquium de Unione habuit, a quibus quoddam projectum pro episcopis russicis obtinuit; hoc projectus sane a Heraclio Lisowskyj tunc temporis movebatur sat assidue.

et quid amplius dicam, Ill.mus Archi-Praesul Mohiloviensis D.nus Siestrzencewicz, uti vir in rebus ecclesiasticis optime peritus, non dissimilem sententiam dicet nobiscum. Quae cum ita sint, cur ergo non possumus illum vetratoris murum divisionis demolire et unum esse? Haec omnia velim Eminentia Sua proponeret Ss.mo Domino, quae non meo solum judicio, sed etiam plurimorum tam de latinis Praesulibus, qui a tot annis in Rossia degent, uti Ill.mo D.no Siestrzencewicz et illius Suffraganeis, quam Unitae Ecclesiae Antistitibus matura consideratione et examine ita secum habere, perpensa, approbata et disjudicata sunt; proponereque dignabitur Eminentia Sua Summo Pontifici ita, ut faveat attendere et conferre secum super memorata Missa etiam in antecessum historia ecclesiastica, ex solis Ritualibus utriusque tam non, quam Unitae Ecclesiae, quae unum Euchologium habet quoque approbatum pro nobis a Ss.mo P. Benedicto XIV, quoad omnia extat. Ast si per Eminentiam Vestram liceret concessumque esset his omnibus explicandis, conferendis, dilucidandisque pluribus mihi coram Ss.mo D.no cum caeteris Episcopis Trono Rossiaco et Ecclesiae addictis, per ulteriores litteras in hoc negotio urgentissimo conferre velim rogo. Immortali laude et gloria Eminentia Sua coronabitur, si mea et plurimorum proposita ad effectum deducere non recusabit. Enimvero si tot discriminis, ut superius dixi, est, infallibilis per gratiam et misericordiam Dei omnipotentis curamque et auctoritatem Summi Pontificis pax multis annis desiderata stabilietur. Unde quod decoris et ornamenti Ecclesiae Universae, quod Romanae Ecclesiae fortissimae protectionis et adjutorii, quodque honoris et immortalis laudis et gloriae Summo Pontifici adasset. Quanta affulgeret pax, amor, concordia, mutua fraterna charitas inter nos omnes Rossianorum incolas Romani et Graeci Ritus, dum ille attenta veritate tolleret turpe hoc stagma schismatis, quod malitia magis, quam erroris veritate, et calumniosis informationibus Rossis inustum, nostrorum maxime Spiritualium, qui florente Regno Poloniae, ut celerius et tutius bonis Ruthenorum ecclesiasticis possideant, fidem damnarunt et Ritum Ruthenorum, atque traductis sua quotidiana persuasione omnibus Regni Poloniae ad Ritum Latinum Proceribus, praeter non-Unitam fidem, etiam Graeco-Catholicam nostram Unitam pro rustica, et capessendarum in Patria dignitatum pro impedititia declaraverunt, pessimeque illuserunt ceremonias calumniose suspectas et ineptas vocarunt, Spirituales signanter non-Unitos sine charactere Sacerdotii, sine praestantia atque valore proclamarunt, et pro nullo assignarunt. Haec et multa alia murum divisionis ad tremendum nobis omnibus extremum Dei judicium cur sustinere nequeant? Faveat itaque Eminentia Sua haec omnia pro utriusque Ecclesiae zelo et pietate, et pro sua in me benevolentia tamquam ex aperto corde meo in suam protectionem suspicere, perpendere ac deferre Ss.mo Domino, uti me ad illa et similia jucundissimis suis litteris provocare dignata est, et pro sua

apud Ss.mum Dominum Pium VI authoritate procurare mihi cum Episcopis nostris Graeco-Unitis, ut superius dixi, per litteras ampliores rem explanare Sanctissimo Domino declarandi ergo, quomodo Rossianni credunt, et quod opus est nobis unum esse, atque accipiendi benedictionem communicationis in Divinis cum Graeco-Rossiaca Ecclesia, vel procurandi modum unum esse, praesertim his temporibus illuminatis.

Equidem fore spero, ut Sua Eminentia tamquam in Ecclesiae bono zelozissimus, in meam personam benevolentia plenus, meas petitiones et propositiones hisce in circumstantiis temporum Ecclesiae perutiles et maxime necessarias renuere et absque effectu praetermittere non dignabitur, procuratis mihi a Sede Apostolica super expressis facultatibus et certum faciet cum pleno devotionis et venerationis cultu manentem.

## 38.

*Onufrey, 22. II. 1797.*

*Littera Heraclii Lisowskyj Praesidi regiminis spiritualis in Lady, de conducendo Legato Apostolico in Toločyn.*

*Ex Archivo monasterii Borunensis.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI. pag. 591. nr. 254,*  
Vilna 1889.

R.me D.ne, in X.to Pater Col.me.

Zgadzam się na całe urządzenie R.mi D.ni względem klasztoru Postawskiego i wszystko to gotów iestem approbować, co R.mus w swoim officium ustanowi względem osób zakonnych. Ja teraz będę zaięty interesami ważnemi, ponieważ jaśnie wielmożny Nuncyusz apostolski iedzie na tych dniach z Mińska przez Tołoczyn i Orszę do Moskwy, pod koronację nayśniejszego Monarchi naszego, jako dziś mnie oznaymił jaśnie wielmożny Siestrzeniewicz, arcybiskup Mohilowski, do którego sam jaśnie wielmożny Litta napisał o takowym do Moskwy<sup>184</sup> przyjeździe ostatnich dni Februarii; z Mińska czasem R.mus czy nie zechce przeprowadzić rzeczonego Legata apostolskiego do Tołoczyna, gdziebyśmy się mile obaczyli, a teraz braterskiemu affektowi poleciwszy się z życzliwością ostaję.

1797 Febr. 22, w Onufreju.

HERAKLIUSZ, Arcy-Biskup.

<sup>184</sup> Laurentius Litta, Legatus Petropolitanus (1797-99); cfr. de eius missione et notitiis biographicis in Indice nominum et rerum. In hac littera Lisowskyj iter Littae proponit. Forsan agitur hic de Samuele Nowakowskyj, Provinciali Albae Russiae, ab anno 1792. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 40-1.

P.S. Gorąco módlcie się bracia, aby Bóg natchnął wszystkich tak duchowych i świeckich rossyiskich magnatów, iako też naydobrotliwszego Monarchę naszego, iżby przystąpiono do powszechney ugody cerkwi Bożey rzymskiey i greckiey; bo teraz złota pora, kiedy legat papieski będzie we dworze Rosyjskim; jakie by to powszechne nastąpiło uszczęśliwienie!

## 39.

*Toloczyn, 6. III. 1797.*

*H. Lisowskyj Legatum Apostolicum L. Litta salutat; de unione Moscoviae, conamina Nuntii Archetti, deque ulteriori progressu huius negotii, etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime D.ne, Protector Optime!

Summae felicitati mihi duxi, excipere Excel.m Vestram cum Confratribus meis in monasterio nostro Basiliano Toloczynensi; qua occasione, dum rumor de optatissimo adventu Excel.ae V.ae ad aures meas pervenit, tres dies in supradicto monasterio permansi, sed cum a Fratre meo germano certus factus sim, quod ab Augustissimo Imperatore nostro aliquod mandatum ad domum meam directum sit, ideo ut hujus notitiam accuratam excipere valeam, ex eodem monasterio redire coactus sum. His itaque, quas tradere Excel.ae V.ae commisi meam subjectionem ac reverentiam exhibendo, spero, quod Deus omnipotens non denegabit hanc gratiam cum Excel.a V.ra colloqui, si Moschoviam Augustissimus Imperator ad optatissimam Coronationem me vocare dignabitur.

Vicissitudo illa, quae exilem Unitorum respectu numerosissimam gentem Rossiacam numerum his annis tetigerit, qua Metropolitani caeterorumque Episcoporum jurisdictionis abrogatione, qua ecclesiarum, monasteriorum et fidelium Dominanti Religioni adjunctione, quaque Regiminis Generalis Congregationis Ruthenae Basiliatorum anihilatione, non alium divinare eventum videtur, quam nisi Pontifex Pius VI, uti erga commissas oves zelosissimus ac vigilantissimus Pastor, sua intercessione, ac de Unione Communi cum Imperio Rossiaco negotiatione per Excellentiae Suae Legationem media adhibeat, quibus Ecclesiam Latino-Unitam pacificam et felicem in Domino redderet, aliter jam actum est de illa. Quod autem die noctuque de communi Unione cogitare nobis venit, id praeter orationes, quas fudimus quotidie ad Deum T.O.M., Eminentissimus Cardinalis Archetti,<sup>135</sup> Antecessor Excell.ae Suae nobis suggessit. Fungens namque ille celeerrimus Minister legationis officio ad Augustissimam Imperatricem Rossiae Catharinam II.m anno 1784,

---

<sup>135</sup> Joannes Andreas Archetti, Nuntius Varsaviensis (1775-1784); cfr. notam 131.

ardenti animo Illustrissimo Stanislao Siestrzencewicz, Archi-Episcopo Ecclesiarum Romano-Catholicarum inculcabat inter caetera procuranda ab ipso media Unionis communis, ut patet ex Oratione super memorati Eminentissimi Cardinalis, habita tempore impositionis pallij mox dicto Ill.mo Siestrzencewicz. Ast ne frustra ejusmodi spe alere videamur, constitui mecum ultima illius verba orationis hic inserere ideo, ut etiam Excellentia Sua proprius intuens Gentem Rossiacam, illiusque Pastores jam scientia, jamque morum probitate inclytos, non absimile dabit judicium, et celeriores ad Unionem passus non jam Archi-Episcopo supradicto Ecclesiarum Romano-Catholicarum, sed totidem Latino-Unitis Episcopis recomendabit, assequendum nuper memoratum ab Eminentissimo Archetti his verbis propositum: «Quoties in hac Magnificentissima Urbe versor, huic inclytae, invictissimaeque Nationis ad cultum Divinum sinceramque pietatem proclives animos, quoties Pastorum suorumque Antistitum insignem probitatem, atque virtutum omnium praestantiam considerari, toties mihi, obortis lacrimis, exclamandum fuit, utinam tales cum sint, utinam nobiscum omnino conjuncti sint.... Ut fiant utraque Unum, ut omnes Latini Rutenique eadem perfecta fide, eadem spe beata, eadem sancta caritate unum simus ».

Ultima huius apostrophe verba Antecessoris Excellentiae D.ni, ostendit ardentiissimum Unionis Latinae Ecclesiae cum Rossiaca votum, adeo me roborant, ut Excellentissimus D.nus simili voto componendis inter utram Ecclesiam odijs, et indissolubili unanimitati, multis saeculis optandae, incumbere non dedignabitur. Non latet etiam Excellentiam Suam abominabilis discordiarum faetus, et infelicium revolutionum, quae successerunt Florentino Concilio, quoque, praeterquam quod in totidem Historiarum libris patent, quotidie corda nostra acerbissimo modo tangunt, ac unius Corpus X.ti, et unius eius Evangelii Confessores dirissime lacerant ac rapiunt ita, ut in illis exarandis memoria hebescit, manus trepidant, animus obstupescit, et sibi compos esse non persistit.

Spero Excellentiam Suam de his ac similibus certioratum esse ab Illustrissimo Metropolitano ceterisque Praesulibus; ego interim primaevas meas literas ad Excellentiam Suam dirigens, quibus extra limites Rossiae hucusque inhibitionis ergo singulari mandato dirigentis Senatus anno 1790 factae uti non potui, humillime rogo Excellentiam Suam, quatenus faveat intelligere concredite mihi Pascuae ab Augustissima Imperatrice et corroboratae a Sanctissimo D.no Nostro Pio VI regimen, et circa eam judicium, votum, et curam meam ex duarum epistolae hic adjunctis exemplis, hisque discussis, si per Excellentiam Suam liceat mihi ulterioribus explicationibus gaudere, supplex rogo informationem mihi dare, qua instructus, litteras meas securi ratione ad Excellentiam Suam dirigere possem. – Maneo interim cum pleno cultu et veneratione.

Excellentissimi D.ni, D.ni Protectoris Ob.imi, deditissimus Servus et  
quotidianus ad Deum Praecator.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

In Monasterio Toloczinensi, 1797, 6 Mar.

#### 40.

*Polocia, ... III. 1797.*

*Legato Apostolico Litta de concordia Ecclesiae Moscoviae; de s.d. epistola «encyclica» sibi adscripta; de privilegiis et facultatibus sibi concedendis.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Epistola Archi-Episcopi Polocensis ad Illu.mum, Excell.m  
Nuncium, scripta d.m. Martij, anno 1797.

In epistola Ill.mi, Excell.mi D.ni, D.ni singularem in me recognovi benevolentiam, ideoque summas refero gratias. Sed miror admodum eandem epistolam devolvi ad manus meas non Ill.mae Excell.ae munitam sigillo. Attamen quae mearum est partium et quae respiciunt bonum commune Unitorum, ea Ill.mo, Excll.mo D.no pono ante oculos in sequenti tenore. – Gabryel Petersburgensis, Plato Moscoviensis, Archi-Episcopi Metropolitani, pro certo sunt Moscoviae; inita cum illis familiaritate facillime Ill.mus, Exll.mus D.nus potest interpretari illorum mentem de negotiis Unitorum et concordia Ecclesiarum. Illi et ineundae pacis et reparandorum damnorum invenient modum. Ego desiderans desideravi utrumque et desidero.

Quod spectat Encyclicam, non est meae partis, sed Turkiewicz, Dioecesis Luceoriensis Sacerdotis; ego in instanti per universam Dioecesim edidi in lucem contrariam, quae opinionem de me penitus eradicat.

Audio missas esse facultates a Sede Apostolica in meam personam, quatenus tuta conscientia possem in spiritualibus praestare obsequia Dioecesanis, qui legitimis sunt destituti Pastoribus; has nondum recepi; humillime rogo Ill.mum, Excell.mum Legatum Apostolicum his me privilegiis et gratiis Apostolicis donare, et adjuvare. Comissa totius Ecclesiae negotia Ill.mo a Sanctissimo Papa Pio Sexto, ut felicissima succedant via, Deum orare non desinam.

Illustrissimi, Excell.i D.ni humillimus Servus

#### 41.

*Onufrey, 23. VI. 1797.*

*Delegato Apostolico L. Litta de Archimandrita Ochocki, de Archimandrita Strojnowskyj deque bonis abbatialibus etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac R.indme Domine, Protector amplissime!

Per gratiam Augustissimi Imperatoris nostri restitutus ad pristinum habitaculum suum Abbas Ovrucensis Ochocki,<sup>136</sup> super cuius negotio Sua Excellentia, per litteras die 6/17 Maii Moscua datas, honorabili sua dignatur me commendatione, postquam suum locum rediisset; exoptabat a me, ut ipse ad possidenda bona, quae ad eandem Abbatiam pertinent, restitueretur. Considerando ego, quod de eiusmodi restitutis nemo a civili Praefectura directe ad possessiones restituatur, et quod circa praefatam Abbatiam Coadiutor Strojnowski,<sup>137</sup> a me inter abitum praedicti Ochocki installatus habeatur, mox ipsi satisfactionem non potueram, sine mediata inter eandem certa restrictione exhibere, prout quidem cum praeter aliquas intercessive ad me prolatas litteras, tam supradictus Abbas Ochocki, quam ejus Coadiutor Strojnowski deposuerint sponte factam inter se quamdam complanationem, et rogaverint, ut ego eandem mea approbatione affirmarem; benigne eam prout illam et pro parte Abbatis et pro utriusque simul pacificatione sufficiendam esse sat mihi visam affirmavi. Quod eo magis utriusque parti exhibui, quo libentius eandem commendationem Suae Excellentiae curo quam maxime esse a me colendam et venerandam.

His modo me pro semper esse profitendo, pro debito habeo hanc rem suae Excellentiae transmittere, praesertim, cum permaneo simul cum devincissimo cultu et sincerima obsequentia.

Ill.mi, Excell.mi ac R.indmi D.ni deditissimus Servus et Exorator  
HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Nº 322.

Onufrey, die 23 Junii, 1797<sup>o</sup> anno.

## 42.

*Onufrey, 28. VI. 1797.*

*H. Lisowskyj Legato Pontificio de nominatione in Archimandritam Leszczynensem P. Paschasi Leszynski deque modo procedendi in aliis similibus casibus.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac R.indme Domine, Protector amplissime!  
Tam ob nota in Sancto Basilio Ordine benemerita, quam ad Instantiam

<sup>136</sup> Josaphat Ochockyj, Archimandrita Ovrucensis ab anno 1780. Hic rediit in suam Archimandriam anno 1797, ut videtur sine ulla recompensatione rerum deperditarum. Alumnus Coll. Graecorum, an. 1765-1770. «Analecta», X (1979), p. 171.

<sup>137</sup> Ut videtur P. Strojnowskyj nominatus fuit a Heracio Lisowskyj Coadiutor Archimandriae Ovrucensis an. 1797.

Imperialis Praefecturae et Collatoris eximia in Rossia dignitate Civis, reddidi ego sub data 15 septembbris anno 1796, de mea Pastorali benevolentia Venerabilem Fratrem nostrum Paschasiū Leszynski,<sup>138</sup> O.S.B.M., nominatum Abbatem Leszczynensem, super quem nuper et benedictionem in eiusmodi Ecclesiasticum Officium solito caeremoniali volui absolvere. Sed nostrae Unionis sortes, quae auxiliante Excellentiae Vestrae penes conclave Aulae Rossiacaē negotiatione nobis permaxime exoptabili, nondum resolutae, nobis intersunt, et quod per Rossiacum Imperium a Regnante hodie Augustissimo Imperatore nostro Paulo I, nec illud exhibetur, ut facile nostrae Abbatiae ad resolvendum adducantur, faciunt me tunc temporis eiusmodi benedictionem detractare, ne statim properando eam, et mihi ipsi, et Ecclesiae Unionis possim aliquid damni inferre, praesertim cum in Regno Poloniae Abbatiae per diplomata Regnantium collatae fuere. Qua de re cum mihi speranda, ut resolutio per praestantissimam Excellentiae Vestrae aut coram Augustissimo Imperatore nostro, aut coram suae Majestatis Imperiali Ministerio intercessionem, tum pro merito habeo rogare et supplex petere ab Excellentia Vestra benevolentiam et benignitatem, ut me in eiusmodi circumstantiis degentem dignetur reddere desuper resolutum, et ideo nominato Abbatii Leszczynensi optatam properare benedictionem, quam ego dum quo citius vellem esse exequendam, tum eo libentius ad Excellentiam Vestram totidem super eadem re transmittendo, profiteor me esse cum praeditissimis pro semper observantia et submissione.

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, Protectoris amplissimi, deditissimus Servus

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Nº 232.

Onufrey, die 28 Junii, 1797 anno.

#### 43-44.

*Minsk, 28. VIII. 1797.*

*Litterae circulares Lisowskyj de subiectione librorum metricalium Gubernii Minscensis revisioni Hiob, Archiepiscopo Miscensi orthodoxo.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, n.n.

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohrafičeskoju Kommissijeju*, t. XVI, 570-1, nr. 241, Vilna 1889. (Pol.)

<sup>138</sup> P. Paschasiū Leszynski, olim Rector Collegii Vilnensis, dein anno 1792 Provincialis Lithuaniae, et anno 1797 Archimandrita Leszczynensis, dein in Capitulo Torkanensi 1802 iterum reelectus Provincialis. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 40-42.

Copia Epistolae Circularis Ill.mi Archiepiscopi Polocensis ad Ecclesiasticos Graeco-Unitos in Gubernio Minscensi.

Heraclius Odrowąż Lisowski miseracione Divina et S. Sedis Apostolicae Romanae benedictione Archi-Episcopus Polocensis cum Romana Unitarum Ecclesiarum, Archimandrita Onufriensis, ordinis S. Stanislai Eques.

Admodum Venerabilibus, Venerabilibus et Reverendis Parochis, Ecclesiarum vacantium Administratoribus, Vicariis ac omnibus Ecclesiasticis tam Regularibus, quam Saecularibus potissimum limitibus Minscensis Gubernii comprehensa aut Parochias in eodem Gubernio habentibus pacem in Domino.

Ill.mus actualis status Consiliarius Minscensis Gubernator et Eques Zacharias Jakubowicz Karniejew, in data ad me de die 3 Augusti, sub n.ro 1623, officiosa epistola cum communicatione Supremi Imperatoriae Majestatis mandati de die 21 transacti mensis Julii propria Imperatoria manu subscripti, ad se directi, de subijciendis Unitorum Ecclesiasticis Minscensis Gubernii sub jurisdictionem Ill.mi et Rev.mi in Domino Jobi,<sup>139</sup> Archiepiscopi Minscensis, Volhyniensis et Equitis, in categoria librorum metrices, quibus inscribuntur recenter nati, mortui, et juncti matrimonio, requirebat maturam et severam a me ad Minscensia et Pinscensia Ecclesiasticorum Consistoria, simulque ad omnes Minscensis Gubernii Unitas Parochias confirmationem, de accuratissima ex parte omnium Unitorum Ecclesiasticorum super puncto librorum Metrices Ill.mo Archi-Episcopo et Equiti Jobo, eiusque Consistorio subiectione. Ego motivo huiusmodi requisitionis et magis ex obligatione fidelitatis debitae in adimplendis supremae Imperatoriae Majestatis mandatis, pernecessarium judico, transmissis copiis superexpressae epistolae, non modo Minsensi et Pinsensi, verum etiam Bobruysensi, Dokszycensi et Lohoyscensi Spiritualibus Consistoriis, typo impressis litteris, certiores vos fieri charissimos in Christo Fratres, quod subjectio vestrum, quod attinet libros metrices, jurisdictioni Ill.mi Archi-Episcopi Jobi, vel maxime autem coordinatio eorum, conformiter ad Graeco-Rossiaca schemata, quemadmodum trahit post se debitum in bene disposito per autocratiam Imperio ordinem, exactissimam populi multitudinem ac numerum, in bonum publicum, ita in spem me erigo cunctos vestrum charissimi in Christo Fratres, in id conatus vestros dirigendo, sine dubio postquam recipietis praesentes, perquam exactissime in vestris parochiis facturos libros metrices, secundum extradendam ab Ill.mo Archi-Episcopo Jobo, per quem spectaverit formam, pari modo, ac fit in parochiis Dominantis Religionis, et colligendo fidelissimas secundum praeexpressam formam, quod spectat nominatum Unidos, rela-

---

<sup>139</sup> Hiob, Archiepiscopus Minscensis non unitus; paulum antea erat Victor Sadkowskyj (1793-96).

tiones, quotannis in designato termino propriis Decanis, hi autem supra-expressis Spiritualibus Consistoriis, ad communicandum Ill.mi Archi-Episcopi et Equitis Jobi Consistorio, alacriter praebere conaturos, eoque ipso subesse omnibus legitimis in Categoria librorum Metrices emanatis ex parte Ill.mi Archi-Episcopi Jobi praescriptis ordinationibus.

Certi, quod omnis vel minima quoad hunc punctum non adimpletio, referetur ad punctum inobedientiae Supremo Imperatoriae Majestatis mandato, severissimasque inducet poenas. Quae omnia, praesentibus inevitabilis executionis ergo, ad notitiam deducuntur. In civitate Minsko Gubernali, die 28 Mensis Augusti, 1797 anno.

HERACLIUS, ARCHI-EPISCOPUS

In libro scriptorum emanantium sub Nro. 469 inscriptum. – Secretarius expeditionum Curialium Ill.mi Archi-Ep.pi Poloc. Consistorialis et Forensis

Georgius Morozowicz

#### 45.

*Onufrey, 16. XI. 1797.*

*De transmittendis diversis statisticis notitiis de ecclesiis et monasteriis Unitorum cum adiunctis formulis et instructionibus etc. Dispositiones archiepiscopi Heraclii Lisowskij.*

Vilenskaja publicznaia biblioteka, manusc., scatola 3, nr. 190.

Akty izdavajemyje Vilenskoju Archieohraf. Kommissijeju, t. XVI, pag. 573-4, nr. 243, Vilna 1889.

Herakliusz Odrowąż Lisowski, miłością Bożą i świętey stolicy apostolskiej Rzymieckiej błogosławieństwem Arcybiskup Połocki rzymsko-unitskich cerkwi—opat Onufreyski, orderu ś. Stanisława kawaler.

W. w Bogu nayprzewielebniejszym i przewielebnym JJ. XX. Mińskie gubernii klasztorów bazylianiskich opatom, starszym, prezydentom i ich wikaryuszom, do mojej jurysdykcji przynależnym, pokój w Panu.

Nasłanym do mnie od dnia 22 Oktobra pod № 129 Rzymsko-katolickiego imperialnej Justyckollegii departamentu w siedymnastu punktach ukazem, gdy w ostatnim siedmunistym punkcie na rossyiskim dialekcie przedpisano iest, abym w następującym miesiącu Decembrze biegącego 1797 r. onemu departamentowi stosowną do wypisanych w onym ukazie szesnastu artykułów w tym wszystkim, co się zgadza z obrządkiem unitskim, co do osób duchownych całej mojej dyecezyi, miejsc i funduszów, uczynił wiadomość i raportem podał; ja więc odraportowawszy o doryściu takowego ukazu departamentowi, chcąc natychmiast dane mi przedpisanie wedle obowiązku urzędu moiego iak nayrzetelniej i naywierniej w następującym miesiącu dostawiem potrzebnej wiadomości o stanie duchowieństwa całej mojej dyecezyi

tak świeckiego, iako i zakonnego płci oboiey, tudziesz klasztorów, funduszów i tam daley, dopełnić, między innym postanowiłem, dla przeszey exekucyi takowego ukazu i ziasnienia przedpisów onego, każdemu z duchownych w wierney kopii owy ukaz justyc-kollegii przez umyślnie narządzonych osób zakonnych na gubernie tak Białoruską, iako i Mińską przy udzielnych moich otworzystych instrumentach wszystkich klasztorów płci oboiey opatom, superiorom, prezydentom i ich wikarym obiawić, który przy niniejszym przewielebnościom waszym przez przewielebnego xięduza Bazylego Kułaka, Z. S. B. W. kaznodzieję Pustyńskiego, do was w Chrystusie bracia umyślnie wysłanego, z przyłączeniem tłumaczenia, i obiawiam, któremu to xięduzu Kułakowi zaleciłem, aby on, na koszcie klasztorów płci oboiey do każdego kolejno z przewielebności waszych iak nayprędzey doiachawszy, niniejszy móy instrument tak przewielebnościom waszym, iako dwom pierwszym po was w klasztorze osobom z dołączoną kopią ukazu i iego tłumaczenie opublikował, z dozwoleniem zdicia każdemu z tego wszystkiego kopii, i wziowski od wszystkich was podpiski na spełnienie niniejszego moiego instrumentu i dołączonej kopii ukazu, bez naymniejszego opuszczenia w ciągu miesiąca iednego od daty niż wyrażonej za zwrotem do mnie, one przy raporcie przedstawił. Was zaś wszystkich, których wyżey na dzień 20 X-bra biegącego 1797 roku, do rezydencyi moiej Arcybiskupiey klasztoru Onufreyskiego wzywam, w mocy posłuszeństwa ś. rozkazując, aby każdy z was, naymilsi w Chrystusie bracia, zainformowawszy się z dziesiątego punktu co do professorów i studentów, 6-o co do szpitalów fundacyi, 7-o i 14-o co do parafii, 11-o co do fabryk i drukarń i tam daley, iakiey wiadomości departament że strony klasztorów przezemnie potrzebuie i od kogo raport powinien być podpisany, i sporządziwszy stosowny do tych wszystkich punktów raport, za należnym podpisaniem, wyszczególniając na tabelli rossyjskim dyalektem, a w niemożności polskim, każdą rzec liniami oddzielnie, mianowicie cerkiew i iey tytuł, fundusz, klasztor, osoby i ich zabawy, dochody, summy, i to samo w raporcie opisując, w zupełnej gotowości, osobiście w terminie oznaczonym, to iest 20 Decembra, biegącego 1797 roku bez żadnej wymówki do moiej rezydencyi dostawił, ciągiem też niniejszego uwiadamiam, iż czasu teraźniejszego waszego zebrania się do mnie, pasterza, za spólnym braterskim naradzeniem się, ustanowię wszelkie porządki i zwierzchnictwa w klasztorach, tak, aby one odpowiadały kraiovym zarządzeniom, stosownie do zapadlych pod 1782 miesiąca Januarii 17 dnia i 1795 rokami miesiąca 7-bra 6 dnia monarszych imiennych ukazów i świeżo zaszłych od departamentu przedpisań z takowym ostrzeżeniem, iż skoro który z przewielebności waszych na termin wyż oznaczony do moiej rezydencyi nie przybędzie, opat prelatury, zakonnik urzędu i mieysca od tegoż samego dnia pozbędzie się, a drudzy na ich mieysce oznaczeni będą. To wszystko jmść xiądz Kułak

ma obiawić opisanim sposobem klasztorów panien bazylianek starszym, mianowicie Mińskiem i Pińskiem, z tym tylko obowiązkiem, że one nie same osobami swemi potrzebną wiadomość będą powinni dostawować do moicy rezydencyi, ale umyślnym na dzień 20 X-bra 1797 roku, byle nie później, przyszłą. Co wszystko by zupełną moc i wagę miało, przy wyciśnieniu zwykłej pieczęci, własnej ręki podpisem stwierdzam.

Datt. z Onufreia, dnia 16 Nowembra 1797 roku.

HERAKLIUSZ, Arcybiskup.

Sekretarz konsystorski i grodowy Jerzy Morozowicz.

#### 46.

*Onufrey, 23. XI. 1797.*

*H. Lisowskyj exigit notitias ecclesiastico-statisticas de Clero et eius situatione.*

*Ex Archivo Borunensis monasterii.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI, pag. 576-7, nr. 244,*  
Vilna 1889.

Zaleczenie duchownemu unitskiemu surrogacyjnemu Pińskiemu rządowi.

Wedle nadesłanego do nas z Rzymko-katolickiego Imperyalnego Justitiae Collegii Departamentu od dnia 22 8-bra 1797 roku, sub № 129, na russkim dyalekcie ukazu potrzebne są ze strony całego duchowieństwa unitskiego swieckiego, tak w powszechności, iako szczegółowości od każdego parocha, lub administratora iakiego bądź urzędu, za własnoręcznym podpisem, przed schyłkiem następującego miesiąca x-bra 1797 roku, reporta y tabelle według guberniów y ujazdów dla odesłania onych do pomienioney Justitiae Collegii w następujących punktach: nayprzód jaka cerkiew, w iakiej gubernii i uiezdzie, murowana, lub drewniana, stara, lub nowa leży; kto ony iest parochem, lub administratorem; bezżenny, żonaty, lub wdowiec; iak się nazywa, iakiego urodzenia, iak dawno w stanie kapłańskim, w parochyi y urzędzie, gdzie się ćwiczył w przyzwoitych stanow i duchownemu naukach, iakie ma dowody swojej edukacyi, promocyji do stanu kapłańskiego i do mieysca? ieżeli na prowizją świecił się, iakiemi drogami szedł do parochyi lub administracyi?

Powtóre, jaki takowej cerkwi fundusz zamieżowany, lub nie, iakie wioski składają iey parochią, y iaka iey iest obszerność, wiele w každej wsi, mianując ią nazwiskiem, pierwiej w szczegółowości domów, dusz oboiety płci zgodnych i niezgodnych do spowiedzi, wiele w teraźniejszym roku 1797 narodzonych, zasłużonych, zmarłych, potym w oguł. Jaki paroch lub administrator tak z funduszu, opisując onego ziemie, dobroć i poddaństwo, wiele dusz płci oboiety, iakie y z dochodów parochialnych roczne ma dochody, i czy utrzymuje dla swojej pomocy (gdzie liczne parochie) drugich kapelanów,

których mianowicie i na iakie części, a dla posługi parochyi dziaków i pałamarzów z prycztu cerkiewnego, to iest synów kapłańskich, czyli cerkiewniczych, w rewizyę duchowną, a nie krajową zapisanych, których mianowicie, czy z funduszu, czyli na parochialnych dochodach? Czy iedną ma parochią, czy więcej? ieśli więcej, przy której sam zostaie zawsze, mieszka y za czym pozwoleniem? jaką ma przy sobie mianowicie familią paroch, administrator, lub pomocnik, dziak y pałamarz? czy edukuią swoich dzieci i gdzie, lub nie? przy której cerkwi są szkoły, lub szpitale? jak wiele w szkołach uczniów, kto ich uczy y czego, a w szpitalach ubogich, czyli chorych y z czego się tak pierwsi, iak y drudzy utrzymują, czy z funduszu, czyli z miłosierdniego opatrzenia?

3-tio. Jakie prócz cerkwi parochialnych w parochiach znayduią się filie, kaplicy, prosczce etc. i gdzie? ieśli iest przy nich jakiś fundusz? jakie dochody i gdzie się obracają i tam daley.

My, takową potrzebę každemu rządowi surrogacyinemu przepisawszy dla lepszego wrażenia oney, a bardziej zjaśnienia rzeczy, postanowiliśmy, rozesławszy kopią wzmiennionego (w) zwyż ukazu po wszystkich klasztorach Mińskiey gubernii z tłumaczeniem polskim y formą tabelli umyślnym, takož kopią do wszystkich rządów surrogacyinnych Mińskiey gubernii rozesłać, którą przy niniejszym i rządowi onemu posyłamy, iak naysurowey zalecając, aby takowy rząd, równie iak y drugie, którym przedpisano, a naybliżey surrogat onego, wiedząc y znając w swoiej surrogacyi osób doświadczonych w przednim dzieł powierzonych spełnieniu y roztropnych, choćby oni dotąd w urzędach nie byli, umyślnie narządziszy, przez one takowe pisma w wiernych kopiach po dziekanach, a przez tych po kapłanach, pod wzięciem od každego na tychże podpiski, co nayprędzey rozesłali, tak, aby každy kapłan, zjaśniwszy się z przepisów, czyto posłanemu od surrogata czyli dziekanowi mieysca, czyli samemu surrogatorowi odpowiedny temu wszystkiemu w nayregularniejszym sposobie y wierności o wszystkich okolicznościach za własnoręcznym podpisem každego report y tabellę iak nayprędzey podał, a dziekan czyli posłany przyiowszy report y tabellę i przeyrzawszy, ieśli co kłamiowego lub opuszczonego upatrzy, nazad wrócić, a na koszt iego drugi report y tabellę kaže sporządzić; ieśli zaś nieupatrzy opuszczonego, będzie winien wedle ukazu rządowi onemu na mieyscu w iak nayprędszym czasie, dając w reporcie swoją o wierności przyjętych przezeń zdanie, dostawić; rząd zaś te wszystkie reporta i tabellę, a naybardziej surrogat porządnym sposobem, według gubernii i uiazdów, łącząc do tych y swoje, w iedno zebrawszy y przeyrzawszy, że wiernie są przystawione, czyto in fundo surrogacyi, czyli na mieyscu, po dekanatach dla dopełnienia tego dzieła oznaczonym, reportując oraz o iak nayakuratniejszym i naywierniejszym tego wszystkiego dopełnieniu; z udzielnym pokazaniem kleryków, kapelanów y

żadną powinnością niezaiętych kapłanów, po imieniu y nazwisku, tudzież tych wszystkich, którzy zostaią pod sądem i gdzie którzy znayduią się w suspensie a beneficio, którzy od ołtarza i od jakiego czasu, nad to którzy odsądzeni i przez iaki sąd, czy pasterski, czy konsystorski, czyli rządu surrogacyjnego, umyślnie narządzoną osobę z surrogacyi na dzień 20 następującego X-bra 1797 roku niechibnie do Onufreja dostawi, tak żeby w sporządzeniu generalney wiadomości przy schyłku takowego miesiąca żadney odstawki nie nastąpiło, a ztąd y punkt 13 przyłączonego w kopii ukazu, na zdarzenie niepodania reportów przepisany, ostał się bez exekucyi surowey, który dobrze powinien być wrażony každemu kapłanowi.

Z Onufreia, dnia 23. 9-bra, 1797 roku.

HERAKLIUSZ, Arcybiskup. m. p.

#### 47.

*Onufrey, 2. III. 1798.*

*H. Lisowskyj Legato Apostolico promittit transmissionem variorum negotiorum per Surrogatum Mscislaviensem, et responsum procurare in lite cum Basilianis.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime Domine, Protector, Mecaenas Amplissime! Quemadmodum semper mei erat voti, et erga Sanctam Sedem Apostolicam debitam obedientiam cultumque, et Suam Excellentissimam Dominationem profundissimam venerationem praestandam, ita etiamnum illa contestari non supersedeo.

Mandato Imperialis Collegij Justitiae de relegandis notitijs meimet ipsius, meoque regimini commissorum tum Saecularium, tum Regularium Clericorum, ecclesiarum, illarumque privilegijs, fundationibus et ceteris per J.R.D. Joannem Wasilewski, S.ctissimi Domini Nostri Vilnensem Alumnū, Judicem Surrogatum Mscislaviensem satisfaciens, injunxi etiam eidem J.R.D. Wasilewski, ut mox dictarum notitiarum compendium Excellentissimo Domino, qua in Ecclesia nostra Praesidi, porrigat, quemque paternae benignitati Excellentissimi Domini commendo. Quum autem mox dicti Surrogati a me fidei commissum est, quorundam Monachorum Basilianorum liti, quam adversus me, meumque regimen, mandatis Imperialibus mihi super Monachos impositum, calumnose in Collegio Justitiae intentarunt, ut par erit respondere, tum illius, de circumstantijs hujusmodi litis, explicationes benignis auribus Illustrissimus Dominus excipere, et scandalosum nuperdictorum Monachorum progressum coērcere non deditur. Hujusmodi Excellentissimi Domini cura gratifica, et Ecclesiae Catholicae perutilis, et mihi undique multis negotijs oppresso perjucunda foret.

Caeterum maneo debita cum veneratione et cultu.

Illustrissimi, Excellentissimi Domini, Protectoris Amplissimi, humillimus  
et deditissimus Servus et quotidianus ad Deum Praecator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Ex Monasterio Onofrejensi, die 2 Martij, 1798 anno.

#### 48.

*Petropolis, 20. IV. 1798.*

*Joannes Wasilewski, Surrogatus Mscislaviensis, ut procurator transmittit ad Legatum Apostolicum quaedam negotia: ut saltem unus Assessor ad Collegium Imperiale Iustitiae nominetur; ut retineantur Spiritualium bona saltem penes episcopos; ut proponantur etiam a Summo Pontifice articuli Sorbonenses ad concordiam procurandam; de quibusdam accusationibus Archiepiscopi Polocensis et de eorum coercitione per Visitatorem; de libera administratione Sacramentorum; de dispensatione a tributo solvendo, et ut Legatus Apostolicus maneat Petropoli, mediator inter Sedem Apostolicam et Aulam Petropolitanam.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,  
Protector Clementissime!

Quemadmodum Ecclesia Romano-Unita suum vigorem et incrementum a Sede Apostolica habet, ita adversus periculi decrementum consilium, opem et auxilium semper ab eadem requirere et rogare debet. Deputatus sum ab Ill.mo D.no Heraclio Lisowski, Archi-Episcopo Romano-Unitarum Ecclesiarum Polocensi sequentia Ill.mo, Excel.mo Domino Protectori Cl.mo proponere suppliciterque petere, ut sua Excellentia, Protector Amplissimus, alia, quae a me inferius ponentur, ab Augustissimo Imperatore procurare, alia sua clementissima protectione avertere, alia vero, quae procuranda esse nequeunt, praetermittere dignetur. Horum autem:

Primum est: Cum Justitiae Collegium Imperiale negotiorum ergo ad Personas status spiritualis et in spiritualibus saecularis, Religionem Romano-Catholicam profitentes pertinentium, ab Augustissimo Imperatore gratiissime constitutum compositumque est ex Personis tum spiritualibus, tum saecularibus eandem Religionem profitentibus, quorum muneri iniunctum etiam est causas Ecclesiae Unitorum dirimere ac disiudicare, tum enixe rogo nomine totius Ecclesiae Unitorum Excel.mum Dominum Protectorem Clem.um, ut sua, qua par est, intercessione ad Augustissimum Thronum Rossiae saltem unum de Praelatis Romano-Unitae Ecclesiae ad nuper memoratum Collegium assignandum fore, qui non ignarus suae Ecclesiae Privile-

giorum, Consuetudinum, et Morum, datis occasionibus, utilius et tutius resolvere possit; atque illo ex motivo futura existentia certiore Ecclesia nostra gloriabitur.

Alterum est: Ut dum agetur de bonis in Ministerio Spiritualium immobilibus negotium, multum intercedere faveat sua Excellentia, Protector Clem.us, de retinendis Spiritualium bonis saltem Cathedralibus penes Episcopos, supplex rogo; id enim, praeter alia, bonum publicum exigere videtur; siquidem Episcopi, uti membra civilis societatis possidentes bona immobilia, bono publico promovendo sincerius insudabunt. Eiusmodi cura Excel.mi Domini Protectoris Ampl.mi multum proderit etiam Ss.mo Domino, dum bona immobilia in magno hoc Imperio saltem penes Episcopos remanebunt.

Tertium id est, quod Ex.mo Domino Protectori Ampl.mo explicandum mihi venit, non de machinatione nempe et cura Ill.mi Archi-Episcopi Sadkowski,<sup>140</sup> non pridem Minscensis, ut ex Litteris ad Ill.mum Siestrzencewicz a Ss.mo Domino datis patet, sed de negotio Palatii Imperialis abolitionem Sanctae Unionis subsecutam esse. Provinciae enim Ukrainae, Wolhyiae et Podoliae, millia millium incolarum componentes, jurisdictionem Spiritualem Romano-Catholicam agnoscentium et venerantium, in subditatus fidelitate erga Thronum Rossiacum ex non unanimitate Religionis suspectas manere pari modo, quo nuper memoratae Provinciae, stante Regno Poloniae, eo pro suspectis habebantur, donec ab incolis illarum Provinciarum Sancta Unio amplexa non erat. Dum vero has ob causas numerus Unitorum imminutus, et quotidie decrescit, nomine totius Ecclesiae nostrae rogo, ut Excellentissimus Dominus Protector Cl.mus media Unionis cum Ss.mo Domino, tum Augustissimo Throno Rossiae proponere faveat, quae iam dudum ab Universitate Sorbonensi, praesente ibi Magno Rossorum Imperatore Petro I, 1717 anno proponebantur.<sup>141</sup> Alias nunquam (nisi Deus T.O.M. circa Ecclesiam suam aliter providebit) speranda est pax inde vel maxime, si Ecclesiae Rossiae Ministri nota ignominiosa Schysmae a Sacerdotibus Romano-Catholicis inurantur ac potius simile Ecclesiae Catholicae fatum sperandum est, quod Ecclesia Unitorum experta est.

Quartum deferendum est Excel.mo Domino Protectori Cl.mo, Monachos Basilianos immemores esse, et parvipendentes mandatum p.m. Catharinae II, Imperatricis, quo duo monachi Basiliani Superiores, potestatem Archi-Episcopi super monasteria renuentes, de limitibus Rossiae electi et expulsi,<sup>142</sup> diris op-

<sup>140</sup> Victor Sadkowskyj, Archiepiscopus Minscensis; cfr. de eo notam 120.

<sup>141</sup> De hoc s.d. Projecto Sorbonensi an. 1717 cfr. notam 133.

<sup>142</sup> Agitur praesertim de Basilianis Ambrosio Kiryatt, Heraclio Kiryatt, eius fratre germano, de Michaele Szelepin etc.

probriis et calumniis, missa nuper petitione ad Collegium Justitiae, Archi-Episcopum suum, negotiis Archi-Dioeceseos per sex Provincias dissitae labefactatum, affecisse, et criminavisse de symoniace quasi empta super monachos Basilianos jurisdictione, Archi-Episcopum detulisse abuti, et non aliter eam exercere, quam Farao super Israelitas. Huius detestandae calumniae authores sunt Jarmołowicz et Zukowski, monachi Basiliani, qui a suis Superioribus ad exemplum caeterorum paterna charitate moniti, ac postea resipiscere nolentes puniti, delationem calumniosam consarcinarunt, quasi Archi-Episcopus profugos monachos protegit, et Superioratus distribuit, quae ut talis nuper dictis monachis, non absque inustione notae rebellionis, e Collegio retromissa est; immemores, dico, finis etiam monachorum illorum, quem nuper Petropoli subiere. Quare supplex rogo Ill.mum, Excel.mum Dominum Protectorem Ampl.mum, ut vigiliorem R.vdo Patri Danilewicz,<sup>143</sup> per Albam Rossiam Congregationis Basiliatorum Visitatori, faveat iniungere inspectionem, qua et eiusmodi monachorum gressus inordinatos coercere, et scandalum inter Saeculares seminatum reparare, et ad pristinam disciplinam revocare valeat.

Quintum: Quoniam multis in locis ecclesiae nostrae Parochiales cum minori, in nonnullis vero cum maiori numero Parochianorum, adiunctae et incorporatae sunt Ecclesiae Graeco-Rossiacae, residui autem profitentes religionem Romano-Unitam, orbati Sanctuariis et Sacerdotibus, nequeunt habere pro sua in fide constantia liberos alimentorum Divinorum dispensatores, siquidem Sacerdotes Graeco-Rossiaci, contra speciale mandatum Imperatoriae Maiestatis, in huiusmodi re emanatum, ubique impedimento sunt illis administrandis; itaque enixe rogo Excel.mum D.num Protectorem Ampl.mum, ut liberae ipsis Sacramentorum administrationis ordinariam facultatem procurare faveat.

Sextum: Quoniam Sacerdotibus tum saecularibus, tum regularibus Rutheni Ritus, qui erant genere suo variarum urbium incolae, imposita est juxta hoc genus solutio capitalis tributi, quodque ab illis in ordine mandatorum nuper exsolvi caepit, supplices itaque rogant per me Ill.mum, Excel.mum Dominum Protectorem Cl.mum, ut sua intercessione ad Thronum, ab illo tributo exsolvendo dispensationem ab Augustissimo Imperatore procuret.

Caeterum, nomine totius Ecclesiae nostrae Romano-Unitae, summos conatus Excellentissimo Domino, qua principali et Clementissimo nostro Protectori testificor, ut pro bono tam Ecclesiae Latinae, quam nostrae parvae Unitae mediator<sup>144</sup> inter Sedem Apostolicam et Aulam Petropolitanam, nos-

<sup>143</sup> Forsan agitur de P. Danilewicz, qui in Cap. Gen. an. 1802 electus fuit in Consultorem.

<sup>144</sup> H. Lisowskyj proponit hic ut Litta maneret Petropoli, ut Nuntius Apostolicus et quasi mediator inter Ecclesiam et Gubernium Imperii.

terque Protector Petropoli maneret, ad quem in negotio religionis recursum facere, et optabilia possimus obtinere.

Datt. Petropoli, 1798 anno, mense Aprilis 20 die.

P. Joannes Wasilewski, Ss.mi D.ni N.rj Alumnus, Judex Surrogatus Mscislaviensis.

#### 49.

(*Onufrey*), 21. V. 1798.

*H. Lisowskyj de commemoratione archiepiscopi Siestrzencewicza in Liturgia.*

*Vilenskaja publičnaja biblioteka*, manus., scatola 3, nr. 190.

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju*, t. XVI, pag. 577-8, nr. 245, Vilna 1889.

Zalecenie pasterskie, aby modlić się za Jw. Siestrzencewicza.

Przewielebniejszemu X. Tadeuszowi Lebedzińskiemu, Litewskich klasztorów bazylianiskich wizytatorowi.

Rekomendujemy przewielebności waszey, abyście zostające pod wiedzą swoią duchowieństwo, iżby one odtąd w nabożeństwie, mianowicie we mszy ś. pod czas przeniesienia z małego ołtarza, czyli offiarnika, do wielkiego Darów SS., wspomniawszy papieża Rzymńskiego, spominało też publicznie Jw. Stanisława Siestrzencewicza, arcybiskupa Mohilowskiego i rzymskich kościołów, prosząc Boga, iżby iego, iako w państwie rossyjskim katolickiego duchowieństwa pierwszego zwierzchnika (katolickiego), protektora i dobrodzieja, mnie zaś jako własnego pasterza w czerstwym zdrowiu na długie lata zachować i w spełnieniu naszych obowiązków, z urządzeniem powinnym owczarni swej nam pomocy dodawać i błogosławić raczył.

Ten pasterz, którego imię w publicznym nabożeństwie wspominać zalecamy, iak w państwie dostojeństwem swym pierwszy i z naywyższego monarszego urzędu katolickiego duchowieństwa naczelnik, tak przez sumnienie i sprawiedliwość nie porównane jego o dobro kościoła staranie i prace takowemi do Boga modlitwami zawdzięczać nam przystoi i należy.

Dnia 21 Maia, 1798 roku.

HERAKLIUSZ, Arcy-Biskup.

#### 50.

*Onufrey*, 18. VI. 1798.

*H. Lisowskyj de gratitudine Sedi Apostolicae, de suo Suffraganeo creando et de administranda Archieparchia.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime Domine, Domine Protector Amplissime! Enarrare vix possum, quanto cum gaudio et laetitia obtinui venerandas

Suae Ill.mae Excell.tiae litteras de die 18 Maij ad me directas. Nihil mihi cum tota Ecclesia Unita optabilius et jucundius quandocunque esse potuit, quam Hierarchiam utriusque Ritus Romani in tali statu per magnum Imperium Rossiacum cerni, in quali sollicitudo Summi Pontificis, et cura Ill.mae Exll.tiae Suae reperiri fecit.

Explémus nunc gratias Deo ter optimo Maximo pro ejus providentia super confitentibus Fidem Catholicam; exposcimus ab eo diutissimam nostri Imperatoris dominationem, una cum Sede Apostolica et cum ineffabili tam Pio VI, quam ejus Legato, in persona Suae Ill.mae Excell.tiae, gratitudine.

Quod spectat ad Suffraganeum,<sup>145</sup> meam sincerissimam mentem Ill.mae Ex.lentiae Suae aperio. Auxiliante Divina Gratia regendo meam Archidiocesim Polocensem, obtinueram simul Regimen per sex Praefecturas super ecclesias supremo Mandato Augustissimae Imperatricis Catharinae II; officia munieris mei, a Throno commissa, omnia efficeram solus. Perdifficile quidem mihi erat versari, tempore adjungendarum unitarum ecclesiarum ad Dominantem Religionem, in commercio Literarum cum Praefectis totidem guberniorum, et super tam magni momenti negotiis, fervorem religionis conjungendo cum maxima attentione ad cavendum, ne quacunque offensione tactis illis, foret ipsa Majestas tacta, ad magis atque magis dilabendum infortunium Ecclesiae Unitae; attamen gratiae infinitae Providentissimo Deo! in ejusmodi difficultatibus etiam providebat mihi, adjuvante sua gratia, aeternum Numen.

Nunc vero mihi evenit super antiquam meam Dioecesim Pastorale regimen continuare. De hoc perfusus sum maximo gaudio, praecipue dum, etiamsi jacenti fundo Cathedrae Polocensis in avulsis et perditione per meos Antecessores illatis, coetus tamen negotiorum et onerum, quae saepe conjungabantur cum adeundo Dioeceses modo abstractas, absolvebatur, et modo hic perfinitetur. Beneplacito itaque Suae Ill.mae Ex.llentiae sit mihi par, tantum testificari meam sollicitudinem et promptitudinem ad exequenda mea munera, ut eadem, adjuvante Divina gratia, adjuvandum me esse considerem, ipsummet solum intra aliquod tempus posse ulterius regimen absolvere. Ecquidem, metus me, cautum alienis periculis, stringit, eligere Suffraganeum pro offerendo auxilio, non peritum in negotiis in Patria versandis. Attamen brevi temporis hac in re volo me accommodare, pariterque pro debito meo habeo ejusmodi personam Suae Ill.mae Ex.llentiae esse repraesendantam, quae procul dubio in suis muniberis erit firma, in negotiis vero Imperii stabilis et sollicita, in jure tam Canonico, quam Civili perita, et in lingua

---

<sup>145</sup> Ut videtur agitur de quodam Suffraganeo, verosimiliter Gregorio Kochanowicz, qui varia habuit documenta tum ex parte H. Lisowskyj, tum ex parte Legatorum. Cfr. eius documenta et epistolas infra, pag. 295-328.

praesertim Regali perfecta. Hoc enim ultimum, ut quidem pernecessarium, non sine magno cordis mei dolore, modo non concernitur in aliquibus, etiamsi ad auxiliandum me peraptis.

Demum, summo gaudio affectus super tam prosperis et oblectantibus eventibus honorabilis curae et sollicitudinis Suae Ill.mae Ex.llentiae, testifor me esse exhibendum, quoisque spirem, insuper quotidianorum orandi Supremum pro Regimine Divinae Ecclesiae officiorum meorum, seorsiva studia peragere, tam in orando, quam in gratificando, cum quo par sit cultu et veneratione.

Ill.mi, Excell.mi D.ni, D.ni Protectoris Amplissimi, humillimus Servus et quotidianus ad Deum Exorator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Nº 641.

Onufriis, die 18 Junii, 1798 anno, v.s.

## 51.

*Onufrey, 14. VIII. 1798.*

*De creatione Archimandritae Vitebsensis Adami Suroż.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, D.ne Protector Collendissime!

Justitia, necessitas, et augmenta auctoritas in Ecclesiam Unitam suadent mihi gaudere in mea Archi-Dioecesi aucturis eandem probe et recte. Eatenus intenturus ego meum animum, ut inter alia locus monasterii Vitebsensis Divi Basillii M. sit Abbate ornatus; intime exhibui die 28 Junii Ill.mo et Ex.llmo Domino Archi-Episcopo Metropolitano meo consensus testificationem, ut istius monasterii Superior, ad praesens P. Adamus Suroż, esset eadem praelatura imbutus eo efficacius, quo rectius ille reddidit jam se esse ab Ill.ma Ex.llentia Sua ad hoc praedestinatum. Sed certioris eventus causa, dum mihi obvenit quam maxime eundem Superiorem praesentare venerabili gratiae Suae Ill.mae Ex.llentiae, aequum sit mihi, hoc idem hisce meis, etiamsi tardifactis, humillime Suae Ill.mae Ex.llentiae testificare, pariterque rogare, ut sua benigna gratia dignetur ejusmodi meam erga personam et locum rectitudinis discretionem dingo protendere effectu.

Hoc unum Ill.mae Ex.tiae Suae his transmittendo, renovo omnia mea obsequia, quibus praeditus in summo cultu et debitissima observantia permaneo.

Illustrissimi, Excellissimi ac Reverendissimi Domini, Protectoris Colendissimi, humillimus Servus et quotidianus ad Deum Praecator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Nº 856

Onufreiis, die 14 Augusti, 1798 anno.

## 52.

*Onufrey, 28. VIII. 1798.*

*H. Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis, proponit in suum Suffraganeum Gregorium Kochanowicz, suum Officiale, quem proponit ut instituatur.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime Domine, Domine Protector Amplissime!

Admonendo me de illo, quem cura Suae Ill.mae Ex.llentiae Ecclesiae Romani Ritus in Rossia subsistenti comparavit, statu, non praetermitto simul venerabili, quam per literas, de die 18/29 Maii currenti anno quoad Suffraganeum spectantes, mihi indicatam obtinui benevolentiae Suae Ill.mae Ex.llentiae, mea exhibere obsequia. Et quidem, ut ea a parte Suffraganei, pro quo paulo ante testificatus sum Ill.mae E.llentiae Suae, qualibus dotibus illum praeditum habere, justum et necessarium esse? recte cumulentur; mei animi pro satis esse puto, dum venerabili Suae Ill.mae Ex.llentiae gratia, hisce meis repraesentem Officiale meum, Perillustr. Gregorium Kochanowicz, Presbyterum caelibem,<sup>146</sup> tam pro obtinendo Episcopatu aliquod in partibus, quam pro instituendo ipsum in Suffraganeum per Archi-Dioecesim Polocensem.

Iste Officialis ab anno 1777 dat operam continuam servitii et mentis super negotiis hujus Polocensis Archi-Dioeceseos; per quae etiam ille hoc anno 1798, acquisito munere Officialis, reddit se praesentem omnibus his dotibus, qui muneri Episcopali consueti sunt, et de quibus ego Ill.mae Ex.tiae Suae paulo ante litteris significavi. Procul omni dubio, ille gerere suum munus probe, et mihi auxiliari in regimine perfecte valebit. Idcirco ego et Ill.mo, Exll.mo D.no Archi-Episcopo Metropolitano repraesentare non praetermis.

Quae singula ut, quantumcunque par sit, compleantur, exposco Ill.mam Ex.tiam Suam, et humiliiter rogo, praebendam esse venerabilem suam benevolentiam, ut Ill.ma Ex.tia Sua eundem Officiale in meum Suffraganeum instituere dignetur.<sup>147</sup> Pergratum mihi erit, conspicere meritum, esse imbutum

<sup>146</sup> Gregorius Kochanowicz, Suffraganeus Polocensis, Vicarius generalis et dein ab anno 1806 episcopus; demum episcopus Luceoriensis et metropolita Unitorum (1807-1814). Cfr. infra in pag. 295-328.

<sup>147</sup> Cfr. notam praecedentem, et documenta quae habentur in pp. 295-328.

rectis praemiis; praesertim cum hoc eventurum esse cupiam per gratiam et benevolentiam Ill.mae Ex.tiae Suae, quae cum augebunt mea obsequia, tum etiam obligationem praestabunt mihi, adimplendi meum debitum summi cultus et observantiae, quibuscum indesinenter sum.

Illustrissimi, Exll.ssimi D.ni, D.ni Protectoris Amplissimi, humillimus Servus et ad Deum quotidianus Praecator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Nº 830.

Onufriis, die 28 Augusti, 1798 anno.

### 53.

*Onufrey, 4. X. 1798.*

*H. Lisowskyj Legato Pontificio explicat cur in suum Suffraganeum proponit Clericum saecularem et non monachum Basilianum; exempla ex eparchia Luceoriensi, Leopoliensi et Peremysliensi; qualitates G. Kochanowicz; munera in eparchia, dotes personales, merita quoad Clerum et eparchiam; remuneratio Cleri, eius erectio; pauci monachi ad hoc munus apti; iustificat se de celeritate in praesentatione, et confirmatione; de indignitate monachorum, quorum digniores remuneravit Archimandriis Vitebsensi, Theodosiana, Pustinensi etc.; Kochanowicz vero Ordinem Basilianum ingredi proposuit; iam est confirmatus ab Imperatore, et petitur pro titulo in partibus et confirmatione Sedis Apostolicae.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Protector Amplissime!

Summa cum veneratione receptis litteris Excellentiae Vestrae Illustrissimae, datis die sexta septembbris, non sine magna cordis tristitia, et absque opinione, legi in istis objecta impedimenta in ordine creationis Suffraganei ex Clero pro Archi-Dioecesi Polocensi.

Dignetur solum Excellentia Vestra Illustrissima maturo suo judicio ponderare rationes me impellentes ad promovendum in modernis rerum temporibus pro Suffraganeatu ex Clero, et certe persuasus ero, talem praesentationem munere justificatam, ac primo:

Digni sunt absque ulla nota honore Praesulum Episcopi Dioecesani ex Clero: Luceoriensis, Leopoliensis, ac Premisiensis;<sup>148</sup> quidam Clericus, a me electus et praesentatus pro Suffraganeatu Polocensi, multo aptus, insudans

<sup>148</sup> Luceoriensis Episcopus – Stephanus Levynskyj (1798-1806); Leopoliensis-Petrus Bielanskyj (1780-1798); Premisiensis – Antonius Anhelowicz (1796-1808).

promovendo bonum Vineae Domini, quam quilibet ex Ordine, et hoc in conspectu meo (Deus mihi testis) decursu viginti annorum. Et sicut illi desuper memorati Episcopi Clerici, non ob aliam rationem evecti sunt ad dignitatem Episcopalem, quam quod prae caeteris bonum Patriae prompto ac alacri animo strenue promovebant, plus dicam, quam monachi ipsis coaetanei, has et ego rationes vel potissimum, et alijs inferius enucleandis, motus, praesentavi Majestatui, mediante Archi-Praesule Catholicae Partitionis in Collegio Justitiae, Ill.mo D.no Siestrzencewicz, ac petij confirmationem pro Suffraganeatu Polocensi Perillustrem Gregorium Kochanowicz, Officiale meum. Notum quippe est mihi, imo oculatus fui testis, vivente adhuc Antecessore meo,<sup>149</sup> quam varia commissa exactissime adimplebat praedictus; praesedente autem me in Consistorio decursu quatuor annorum, post secessum in Metropoliam Antecessore meo Jasone Smogorzewski, ille adhuc Decanus, dum fluctibus ac procellis vexabatur nostra Unio, ille, inquam, vir Apostolicus, ille strenuus ac prudentissimus impugnator adversariorum, contra mentem pie functae Catharinae insistentium, non semel merientibus manus porrexit, consilio, adjutorio, semper ac ubique adfuit. Ille ipse, inquam, a quatuordecim annis Praesulatus mei, primum creatus Judex Surrogatus, postea membrum Consistorij, ac deinde Officialis, in importunis, ac in infelicissimis temporibus, dum prope ad interitum habebatur tota nostra Hierarchia, dum gravamine omnium Dioeceseum solus exoneratus fui, ille et non aliis levamen ac adjutorium mihi praestitit, per medium tollens gravamina mei. Saepissime jam itinerarius ad Regiam Urbem, jam in diversa loca se conferendo, ut mederi aut saltem solatium conferre posset despectis et expulsis Sacerdotibus, a suis Pastoribus derelictis, ac ignotis, ad quam plagam se vertere debent, ubi adjutorium expostulare fas est ipsis.

Fuit itaque hic vir, in angustijs ac miserijs, mihi et Ecclesiae socius, consobrinus, et Coadjutor, numquid derelinquere ipsum debo, dum fausta ac tranquilla tempora sequuntur?

Tandem non desunt in praesenti statu, quae comparant hunc virum cum clarissimis et apprime omnibus notis bono Ecclesiae promovendo aptissimis, ac summe necessarijs; peritissimus est enim utriusque Juris Canonici et Civilis, exactissimus in lingua nationali et scriptis, ac in ijs quae ad statum Aulicum spectant; ita, ut asserere audeo nullum ex Ordine inveni, imo nullus invenitur, qui cum eo posset in comparationem ire. Evidem fateor, cum Excellentia V. Ill.ma multos in Ordine inveniri, praecellentis pietatis, doctrinae, et prudentiae, attamen non sic omnimode, ut solus hic Ordo gignere

---

<sup>149</sup> Jason Junosza Smogorzewskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), dein metropolita Kiovensis (1780-1788). Obiit die 1 Novembris 1788.

ac producere valeret dignos Episcopali honore. Clerus enim unitus, in moderna rerum serie, deposituit jam ignominiosam notam ruditatis; taceo quorum machinatione et cura ipsi aliquomodo propriam diu longeque pervulgatam; evanuit ergo si quid hac in re Clero obijciebatur.

Tandem in modernis circumstantijs Clerus innumerus praeseferens clades, damna, ac violentias tam longe, ut uno oculo, una mentis operatione millia intueor Sacerdotum saecularium, qui in miserrimo ac despicibili statu inveniuntur sine grege, sine altari, sine ecclesijs, ac denique sine sacrificio; inquiro causam damni ac contemptus illorum, tota culpa, respondent una voce: adhaesio Unioni Ecclesiae, et stabilis voluntas perseverandi in religione. Nec, inquam, praeseferens Clerus respiravit aliquatenus, quod de medio illorum nominatus est Suffraganeus, et hoc quasi corona est illorum perseverantiae, numquid retrahere illam debeo de capitibus merentium?

Cor Praesulis ac Pastoris ad haec horret; e contrario enim Religiosi vix ac ne vix quidem sustinerunt millesimam partem damni istius; clare enim quilibet contemplat monasteria ac funda illorum intacta, Privilegia fere omnia servata, possidendo saltem per medium horum, nihil certe exoptaret Clerus. Tandem, secuta confirmatione a Majestate, non audeo aliam prae-sentationem facere coram Gubernio, ne sic mihi aditus forsan praecludatur ad necessaria obtainendum.

Porro, intimos sensus meos Excel.tiae V.ae Ill.mae detegere, ac cum eo in omnibus conferre, et expostulare illius decisionem, singulis momentis mihi fuit religio, et idcirco non praetermissi in praesenti negotio certiorare Excel.tiam V., sed in hoc dignetur V. Excel.tia Ill.ma me inculpabilem reddere, quod super modum brevi a prae-sentatione secuta est confirmatio; has ergo ob rationes, nequit animus meliori modo componere sua negotia.

Alia demum causa prae-sentationis meae ex Clero (sincerrime loquar); tali enim creatione Suffraganei invitatus fui quotidiana experientia, illos devitare etsi ex Ordine, qui totis alis ad hoc unice se ferunt, ut coinquinent me coram Gubernio Pastorem omnemque adhibent conatum afficere me diris opprobrijs, et calumnijs et per hoc promovere talem Suffraganeum, qui detestandae insolentiae gereret vices. Edocui autem quotidiana experientia, quam alii brevi vitam finiebant, machinatione unica illorum quos sibi elegerunt, ut in levamine sui ac adjutorio essent, illorum intemperata avaritia praessi; meo autem Suffraganeo satisfiet talis retributio, qualis a Majestate designata est Suffraganeis Episcoporum; et exemplo edocemur in Ill.mo Benisławski,<sup>150</sup> Suffraganeo Ill.mi Siestrzencewicz, videlicet mille ducenta Rublonum.

---

<sup>150</sup> Joannes Benislawski, Ep. tit. Gadarenensis, nominatus in Coadiutorem Mohiloviensem cum iure successionis, consecratus in Januario 1784 ab Archiepiscopo Chalcedonensi, Nuntio Varsaviensi. Cfr. *Hierarchia catholica*, vol. VI, pag. 222, 293.

Praetermis aliis, et signanter iam inservientes huic dignitati (ob pertinaciam in retentione bonorum a primitiva fundatione Cathedrae meae Polocensi inservientium, defuncto fel. rec. Antecessore meo diremptorum, moleste ferente id Senatu et vel maxime defuncta Imperatricē), qui, inquam, vilipenderunt fraterna mea scripta ac consilia, imo duris ac flagitiosis litteris ad illa responderunt; robur autem consilij mei fuit vel ipsa privilegia in SS. Canonibus deprompta, et juramentum «recuperare avulsa»; illi, dico, initio consilio, ignari circumstantiarum, coram se detenuerunt; infaustus exitus probavit rationem consilij mei; brevi enim post inciderunt fiscum. Praeterea nihil hic est injuriosum Ordini, consequenter non est ex quo contemptus aliquis oriri possit; clarum quippe est omnibus, a me justitiam distributivam cuilibet adaequate commensuratam, meritis correspondentem. Vitebscensi enim Superiori ad instantiam vel maxime Excell.tiae V.ae Ill.mae contuli Abbatiam Vitebsensem; Polocensis nam itinerarius ad Regiam Urbem hoc unico fine ad Ill.mum Siestrzencewicz, ut ille Archi-Praesul, sicuti pridem huius negotij causam gerens, nunc illum promoveret in Abbatiam novam Theodosianam; Visitatori Albae Russiae conferam restitutam Abbatiam Pustinensem, uti semper in Consistorio strenuo adjutori meo. Non est itaque hac in re locus querelarum: a summo enim usque ad minimum quilibet proportionatum suis meritis recepit proemium, qui iuste gloriari meruit nomine fidelis asseclae Majestatui ac Patriae, et idcirco nulla fit injuria Ordini; consequenter non est certe dolendum, quod ex Clero, non de Ordine electus ac praesentatus Suffraganeus in modum ceterorum. Tandem Clericus ille<sup>151</sup> libentissime pollicitus est Professionem religiosam emittere; et ideo secundum proprium desiderium jam a me tonsus die 20 Septembris, ut solemnitates serventur, et stabilis ac inviolata permaneret antiqua consuetudo; consequenter incontaminatus manebit Ordo, si solum desinant nonnulli Religiosi nostri Ordinis, commorantes modo Petropoli, sub oculo Augustissimi Imperatoris, injustis ac importunis clamoribus afficere suum Praesulem, ceterosque etiam commovere ad rebellionem, id est in consortium sui, ut patet ex litteris ipsorum saepe saepius missis ad Provinciam, in quibus saepissime protestati sunt, non sine magna vilipensione opavissimi(?) Tribunalis Collegij Justitiae, conferre putridas suas fabulas ad Forum Senatus; certe id vel maxime dolendum, quod sicut machinationes duorum Superiorum Ordinis nostri nonnuper finitae contra me, et Latinae Ecclesiae, Ordinis Praedicatorum, contra Ill.mum Siestrzencewicz, damna, praejuditia, et ademptionem Privilegiorum Ordini contulerunt, pari ac practicato modo certe finient novi

---

<sup>151</sup> Gregorius Kochanowicz, Officialis Polocensis; anno 1798, mense Septembri accepit habitum Basiliyanorum. Cfr. infra in Documenta biographica, nr. II, pag. 302-3.

isti processus, quam primum devenient ad notitiam Justissimi Imperatoris.

Excellentissime Domine! Illi sunt sensus intimi mei animi, his motus (adiuro per Deum vivum) coram Gubernio praesentavi pro Suffraganeatu ex Clero; si praeter voluntatem accidit mihi in aliquo non convenire cum Ex.llentia V. Ill.ma, primum persuasus sum quod Excel.tia V., attentis his omnibus circumstantijs, vindicet meam innocentiam; demum veniam humil-lime deprecor ac expostulare audeo, imo obtestor per Crucifixum, per bonum Ecclesiae, ad quod promovendum unice destinati sumus, ut in turbulentis hisce temporibus ac forsan periculosis non denegetur mihi haec gratia. Faveat igitur Excll.tia V., Ill.me ac R.me Domine, suis litteris interpellare Sanctissimum Dominum hujus negotij causa, ut Clericus ille, iam confirmatus ab Augustissimo Imperatore, pro Suffraganeo Polocensi,<sup>152</sup> valeret obtainere pro titulo aliquem Episcopatum in partibus, ac demum pro institutione Suffraganeatus Polocensis hoc fine vel maxime, ut magna haec gratia Clementissimi Imperatoris in confirmatione novi Ep.pi pro Ecclesia Unita, absque prolongatione sortiretur suum effectum. Repeto preces meas nomine Cleri uniti cum profundissimo cultu et veneratione, ac tandem permaneo

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, Protectoris Amplissimi

humillimus Servus et quotidianus ad Deum Praecator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

In Monasterio Onufriensi, aº 1798, die 4. 8bris.

#### 54.

*Onufrey, 28. XI. 1798.*

*H. Lisowskyj congratulatur de successibus Legati Apostolici et nominatione in Equitem Maltensem.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine Protector Observad.me!

Loquax fama specialis gratiae Suae Imperatoriae Majestatis<sup>153</sup> erga Exll.tiam Vestram Ill.mam, volando in universum, pertransiit ad oras nostras; communis inde laetitia jurata cum gratiarum actione Conditori omnium, ad summum usque elevat animas Catholicorum. Completa enim sunt communia

<sup>152</sup> Revera Kochanowicz Gr. tantummodo anno 1806 consecratus fuit a H. Lisowskyj in Suffraganeum.

<sup>153</sup> Paulus Petrovič I (1796-1801).

vota, desideria ad finem tendunt exoptabilem. Legatus enim Sanctissimi D.ni, Procurator Pacis, decoratus Equitatu praeeminenti. Peculiaris haec gratia Augustissimi nostri Imperatoris documento est strenuae ac assiduae Ex.tiae Vestrae Ill.mae curae, qua pacem Sacrae Unioni procuravit, conglorificat labores Ex.tiae Vestrae Ill.mae Ecclesia Unita, uti prima motrix illorum, ac praesertim illius Ecclesiae. Exll.me Domine, non sum degener Filius Ecclesiae, non valeo coarctare in corde hanc laetitiam, quae ex illo praeminentibus dono Suae Imperatoriae Majestatis profluit, et idcirco cum tota sua Pascha Dioeceseos gratulari audeo adeptum Equitatum Maltensem. In caetero restat mihi manifestare meum obsequentissimum animum, cum indesinenter permaneo

Ill.mi, Exll.mi ac R.mi D.ni, D.ni Protectoris Obser.mi, humillimus Servus et quotidianus ad Deum Praecator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Die 28. 9bris, 1798 anno.

### 55.

*Onufrey, 13. XII. 1798.*

*H. Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis, elevat P. Samuelem Nowakowski, Superiorum Polocensem, in Archimandritam Polocensem, nulla facta iniuria Communitati, petite commendationem.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac R.indissime Domine, D.ne Protector Amplissime!

Inter singula officij ac muneric mei Pastoralis debita, id vel maxime perjucundum ac necessarium existimo, quando obsequij ac cultus mei erga Sedem Apostolicam gratique animi sensus erga Excellentiam Vestram Ill.mam documentum praestare ratio mihi incumbit; praesentes meae Litterae ex integro correspondent instituto meo. Multum enim persuasus sum de benevolentia ac grato illius affectu, quem tamen non sum promeritus; et idcirco prompto calamo enucleare audeo rationem scripti mei, confidens nihilominus Excellentiam Vestram Ill.mam communi suo voto ac suffragio propositum meum ad finem a me intentum auctoritate sua perducturum.

Monasterium Polocense, ad aedes meae ecclesiae Cathedralis situm,

<sup>154</sup> Samuel Novakovskij, Superior Polocensis, proponitur a H. Lisowskyj in Archimandritam Polocensem; qui iam ab anno 1792 designatus fuit Provincialis Provinciae Alboruthenae. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 41.

ratione inclarae scientiae Dioecesis et Cathedrae peraequum judicavi ad Abbatiam elevari, ac honore Abbatis decorari praesentem hujus monasterij Superiorem, R.P. Samuele Nowakowski,<sup>154</sup> protunc Procuratorem meum Petropoli, virum optime mihi et Ordini suo promeritum; variae enim Fundationes, quibus tot annis inserviebat, revocant mihi in mentem illius scientiam ac fraternalm charitatem in regimine subditorum, quibus notus ubique extitit, ac inclaruit. Insignitum pietate, et quod maximum est, zelo erga Religionem plurimum conspicuum, et a longe iam dignum honore promerito.

Diu jam iste traxerat curas de pectore meo, quae vix modo sortiuntur suum effectum. Litterae enim illae recommendationis ac presentationis, uti sunt ex Officio meo, ita etiam enixe obsecro Excellentiam Vestram Ill.mam, ut memoratus R.P. Samuel Nowakowski investiri ad Abbatiam nuper memoratam dignetur, ad quem ex praescripto Legis munus illud dignoscitur. Praeter enim memoratas, sunt et adhuc inpresto rationes moventes me ad talem promotionem; ac *primo*: Monasterium istud in mea Dioecesi est primum, Superior autem hujus monasterij est etiam Membrum Consistorij, cuius regimini insunt et Abbates; *2do*: Nulla per hoc fit injuria Communitati; aliqua enim praedia solum cedantur Abbatii, relictis alijs monasterio ratione sufficientis sustentationis. Tandem remuneratio talis est enim ordinaria in Dioecesibus circum circa meae sitis Dominantis Religionis. His itaque motivis ac rationibus victus, Excellentiae Vestrae Ill.mae hanc praesentationem ac recommendationem sufficientem memorati R.P. Samuelis Nowakowski, ratione promotionis in Abbatiam Polocensem, ex animo dirigo, pro illoque enixe rogo ac demum elucidato meo obsequio erga Excellentiam Vestram Ill.mam et cultu, summa cum veneratione permaneo.

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, D.ni Protectoris Amplissimi, humillimus Servus et quotidianus ad Deum Praecator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Nº 1135.

In Monasterio Onuphriensi, a. 1798, die 13. 10bris.

## 56.

*Onufrey, 7. III. 1799.*

*Heraclius Lisowskyj laetatur de statu meliori Ecclesiae Unitae, et conqueritur de accusationibus Basiliatorum eorumque calumniis, praesertim P. Heraclii Kiryatt, contra Archiepiscopum Siestrzencewicz, qui mediatorem agit inter Ecclesiam Catholicam et Aulam Petropolitanam, etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, D.ne Protector Amplissime.

Gravissimis iisque vere dolendis commotus circumstantiis, praesentes meas litteras expedio Excellentiae Vestrae, Illustrissime ac Reverendissime Domine, uti primam ac praecipuam agenti curam in negotiis Catholicae Religionis. Post tot ac tantas procellas perturbationesque quantas experta est Ecclesia Catholica Unita retroactis temporibus, quarum renovare memoriam superfluum existimo, ac intolerabile cordi futurum. Optimus quisque speravit hoc optatissimum tempus, praesertim tenente sceptro vastissimi hujus Imperii sapientissimo Monarcha Paulo Primo, quo nos frui optatissima illa pace ac tranquillitate liceret. Et non aliter res sortita est suum effectum; siquidem nos etiam Uniti tot gratiis Suae Imperatoriae Majestatis aucti atque suffulti Religionis ac Ecclesiae emolumenta ab eodem sapientissimo Imperatore, Catholicae Religionis tanto Protectore, sparsa, intuemur fere in dies majora. Nunc autem, o dolenda audacia! Ipsi filii extremam cladem ac ruinam Matri contendunt afferre. Excellentissime Domine, lingua non sinit enarrare totam maliciam facti, paucis rem absolvo.

Inter claustra monachorum Ordinis nostri tegitur illa tetrica facies, quae blasphemico ore non erubuit moliri nefandas insidias, labefactato ac rupto penitus christiana Charitatis vinculo, partium studiis ac odiis solum inservientes; non pridem obtulit quaerelas Suae Imperatoriae Majestati monachus quidam Basilianus, Heraclius Kiryatt<sup>155</sup> cum suis asseclis, relate ad accusationem mei et Excellentissimi Metropolitanus Siestrzencewicz, exacerandas ac inauditas calumnias ac criminaciones evomuit, studio exacerbandi benignissimum Imperatorem ad ulteriores prosequendas gratias, quae de benevolo ejus corde sperandae forent; quin etiam perturbandi pacem ac tranquillitatem, quibus ad praesens utitur Ecclesia; totam seriem calumniae hujus non refero Excellentiae Vestrae, Ill.me ac Rev.me D.ne! Est enim mihi animus, de his notum evasisse per Ill.um Metropolitanum Siestrzen- cewicz Mandatum Collegii Justitiae catholicae partitionis; in adjuncto exemplari objectorum criminum requisivit a me plenam explicationem; antequam id faciam ordinario Jure, non immemor tamen officii ac muneris Legati Apostolici, vi obsequii ac cultus, quo ducimur erga Sedem Apostolicam, pernecessarium esse ratus totam malitiam facti istius Excellentiae Vestrae, Ill.me ac R.me D.ne, detegere ac elucidare.

Ac primo. Si regula prudentiae ducuntur et vere literariam artem sibi adscribunt, ut et adstruunt in sua delatione, nonne oporteret illis primum rem totam deferre Nuncio Apostolico? in quo est plenitudo potestatis; sed in contrarium, querellas suas penitus absonas et falsas obtulerunt Impera-

---

<sup>155</sup> Heraclius Kiryatt, Basilianus, frater germanus Ambrosii, eius socius in defendendis iuribus Ordinis Basiliani.

tori, quae postea prodierunt in vulgum, cum summo Christianorum scandalo; estne in illis regula morum ac X.anae doctrinae? Tandem Excellentissimum Metropolitanum Siestrzencewicz accusarunt reum sceleris nefandi, ac mortis, falso supposito inducentes leges Imperiales; me autem depositionis, ac degradationis dignum; quae hic notitia legum ecclesiasticarum? estne hoc charitas christiana? et praesertim in illis, qui arctiori quodam vinculo stringuntur implendi non iniqua precepta, quin et consilia evangelica; decetne prudens oeconomia, ingratum reddere Suae Imperatoriae Majestati illum, inquam, Metropolitanum, qui totum se dedit pro exaltatione Catholicae Religionis, et cum laude aevi nostri, evasit gratiosus Mediator inter Aulam Imperialem, et Catholicos. Tandem memorati detractores famae ac honoris in hac scandalosa petitione, quam dederint Suae Imperatoriae Majestati, coniicerentne, ut ille Imperator Clementissimus tanta fraude ac dolo sciens esse seductum (ut falso asserunt), ingerendo (quod Deus avertat) votis illorum promoveretne alterum?; qui tanta polleret auctoritate, ac evaderet tam gratus non solum Suae Imperatoriae Majestati, sed etiam ipsis Magnatibus Imperii. Excellentissime Domine! Ecce quo tendunt venenosae monachorum sagittae, ac prosiliunt vota; nonne deviarunt a scopo vocationis, in quem fuerunt ab Ecclesia admissi atque approbati?

Demum Ecclesia Unita, dum jam omni spe exciderat, miserum vere ac projectum suum statum sublevandi, Omnipotens providit Ecclesiae suae Mediatorem per Legatum Apostolicum, cuius speciali cura nos cautos ac servatos esse novimus; et hoc etiam non parvi momenti, quod Ordo Basiliianorum annumeratus est, uti proficuus Communitati ac Imperio; hoc autem factum sine speciali cura Excellentiae Vestrae, Ill.me ac R.me D.ne, ac Ill.mi Metropolitani, quis credat? Et ita ne fas est gratos se exhibere; hac enim absona accusatione comprobant se esse scandalo toti Communitati, qualem ergo scientiam dabunt parvulis? Unde autem istae effervuerunt dissensiones ac discordiae, fontem indicare Excellentiae Vestrae, Illustrissime ac R.me D.ne, ratio mihi suadet.

Authores praesentis criminacionis vel maxime sunt illi, qui a principio omni modo conantur stabilire suam exemptionem, quae hocce in Imperio nequaquam stare potest, contra expressa mandata ac leges nationales; hisne uti mediis dictavit ratio? Timeo ne vindicando laesum honorem, tum meimet ipsius tum Excellentissimi Metropolitani, accusatores mei efficerentur calumniatores, adeoque ipso facto progredietur ad praescripta legum. Haecque tota scripti mei ratio est, manifestare ac detegere totam maliciam execrandi facti. Scio enim Excellentiam Vestram, Ill.me ac Reverendissime D.ne, Procuratorem pacis, novella haec ut plurimum inquietabit; voluntas enim mea magis prona est condonandi, quam ulciscendi. Exoro enim a Patre luminum scientiam rectam iis praecipue, qui renuunt eam; in praesenti autem fundo

meas supplices preces ad Principem pacis, ut haec detestanda ac portentosa calumnia nihil noxii, ac in praejudicium religionis quidquam afferret; ad hoc enim flagrant vota mea, sartam, tectam, ac incolumem intueri fidem, religionemque.

In cetero, restat mihi unum vel maximum supplicare Excellentiae Vestrae, Ill.me ac R.me D.ne. Dignoscere causam meam, a Majestate traditum est Collegio Justitiae Catholicae partitionis; si illud Tribunal ultra assignandam putaverit Inquisitionem, parcat mihi, quaeso, Excellentia Vestra, Illustrissime ac Reverendissime D.ne. Ipsam enim eligo personam Excellentiae Vestrae primum Inquisitorem, ac eius vota ad hoc humillime exposco.

Illud enim magis magisque meum excitat animum, ad perfectum in semper cultum et obsequium, cum quibus in praesenti maneo.

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, Protectoris Amplissimi, humillimus Servus et quotidianus ad Deum Exorator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Nus. 208.

Onufrey, Aº 1799, Martii die 7ma.

### 57.

*Onufrey, 21. III. 1799.*

*H. Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis, de Basilianis, et praesertim Ambrosio Kiryatt eiusque fratre Heraclio, de eorum expulsione ex Imperio Rossiaco, etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, D.ne Protector Amplissime!

Litteris, quas non super dictante intimo cordis dolore scribere feci Excellentiae Vestrae, Illustrissime ac Reverendissime Domine, significavi, ad praescriptum Collegii Justitiae Catholicae partitionis, officii mei esse dare sufficientem explicationem, quae vindicet, ad extrema usque laesum honorem meum; itaque confeci illam explicationem, quae in praesenti mittitur Petropolim; ne autem celando moliri aliquid subintelligar Excellentiae Vestrae, Illustrissime ac Reverendissime Domine, de hoc nuncio. Cordi meo Deus testis est, quod quaecunque scripsi, dictante pura conscientia ac charitate facere quidquam non omisi; studio vitandi majora incommoda, quae non jam privatos, sed forte totam profligarent Ecclesiam, siquidem, haec scandalosa sedicio etsi est aliquorum solum monachorum, meretur tamen apud multos, et quod maximum, ipsum clementissimum Imperatorem, Praesules aliosque Spirituales dominantis Religionis in nostris rebellionis ac incorruptionis notam; vereor ne novissima pejora efficerentur primis. Enim vero omnia

retro mala hauserunt principium ac emanarunt ex disrupta charitate, ac zelo male intellecto in nostris; privata enim odia semper nociva sunt communitati, haec edocui bino infelici eventu Ecclesiae Unitae; quapropter ipso inicio puto occurrentum esse malo, ne forte vires sumat ac merore afficiat illos etiam, qui prorsus nullam dederint causam.

Dolendum certe quod aliquot monachi, effrenata privataque invidia ducti, illud disrumpere praesumunt, quod nobilissimi ac doctissimi Viri magno studio ac conatu effecerunt gloriosum. Excellentissime Domine! Ingratus ille ac inquisitio pacis, qui prorsus insontem Ill.mum Metropolitanum Siestrzencewicz una mecum accusavit coram Trono cum summo omnium scandalo; ille, inquam, est Ambrosius Kiryatt,<sup>156</sup> qui aliquot ante annos, uti communis perturbator pacis, mandato p.f. Catharinae Imperatricis expeditus est in ditionem tunc polonam, ac per aliquot annos habitabat docendo Theologiam in Collegio Pontificio Vilnensi, qui, inquam, non semel protestatus est: Usque ad mortem persecuti suum quondam Pastorem non cessabo. Haec etiam querelae, dictante pessimo ac maligno illiusque spiritu, prodierunt in lucem, testimonium dant mihi testes perfectam horum habentes notitiam; timendum certe ne adhuc malevola illa anima praesumat facere, quae ut plurimum nociva ac offensa omnibus forent, et idcirco oro atque expostulo Excellen.am Vestram, Ill.me ac R.me D.ne, ut ille monachus, fautor multarum sedicionum ac discordiarum, primum per seipsum nunc autem per germanum fratrem suum Heraclium, corripere ac ad tramites pacis perduci valeret. Illud est potestatis Excellentiae Vestrae, Ill.me ac R.me D.ne, illudque remedium magis efficax esse ad compescendas illas seditiones, aliter nequam speranda est optatissima illa pacis ac tranquillitatis dies. Certe Mandatum p.f. Catharinae II vult, ne unquam Turbator ille reperiatur in Imperio Rossiae; locus tamen loci illius, fundum Ss.imi D.ni Nostri, ubi alimenta hucusque habuit, servavit illum, ne ulterius cogeretur extra limites Rossiae progreedi. Nunc autem dum nullo fungitur officio in Collegio Pontificio,<sup>157</sup> et novas molitur in dies insidias saltem per alios, congruum itaque est, ut ad extirpandas et tollendas dissidias remedia saltem charitativa adhiberentur, de his vel maxime exoro Excellentiam Vestram, Ill.me ac Reverendissime D.ne, ac tandem confido quod Excell.a Vestra, Ill.me ac R.me D.ne, uti gloriosus Reconciliator in multis hic suam etiam operam ac studium vi potestatis suae non dedigneris adhibere.

Quod autem mei interest, omni summo conatu certum reddere volo,

<sup>156</sup> Ambrosius Kiryatt, Basilianus, Alumnus Coll. Graecorum de Urbe (1761-1765); cfr. notam 115.

<sup>157</sup> Erat Lector theologiae in Pont. Coll. Vilnensi, Cfr. notam 115, et 156.

quod in omni loco ac tempore summo cum obsequio, cultu ac veneratione sum  
Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, D.ni Protectoris  
Amplissimi, humillimus Servus et quotidianus ad Deum Praecator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Onufrey, Aº 1799, m. Mar. 21 die.

58.

..... 1799.

*Litterae H. Lisowskyj cuidam Theodoro Bohdanowicz de concessione aedificationum monasterii Vitebscensis in emolumentum Officiorum Statalium.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 94, n.n.

Copia Responsi. Clementissimus Dominus meus Theodorus Bohdanowicz. – Duxi mihi honori recipere dignissimam D.nis V. Ill.mae epistolam expeditam ad me per D.num Consiliarium Bojarinov, ex qua, secundum dispositionem voluntatis Suae Celsitudinis D.ni actualis intimi Consiliarii Generalis Procuratoris et plurimorum ordinum Equitis Petri Vasilewicz Lopuchin, commissam in personam Ill.mi D.ni actualis civilis consiliarii et Gubernatoris Mathiae Symonowicz Bielokupilov et secundum remonstrationem D.ni Bojarinov intellexi sequens projectum.

Possim ne cedere amplam aedificationem Vitepscensis monasterii in locationem Gubernii Subseliorum(?); Ecclesiam autem in Cathedralem Heterodoxorum, cum fundis ad ea spectantibus? Ad hanc requisitionem, significo V. Ill.mae D.ni tale responsum: Quod ego videns, quia huiusmodi aedicia in emolumentum desiderantur Imperii, non inficias eo cedere ea in commune commodum, et passum huius meae facilitatis curabo efficacem fore, nec non cum celerrima resignatione una cum meis Ecclesiasticis. Idque ideo quod inenarrabilia beneficia et clementissimae beneficientiae Augustissimi Domini Imperatoris circa Romanam Ecclesiam, nosque cum ea conjunctos exhibita, ac studium communitatem Unitorum quantum possibile cum universitatis bono publico coaequandi, intime convinciunt corda Unitorum ad existimationem et submissionem huiusmodi benevolentiae. Nisi ut sextus Articulus Spiritualium Regulamenti sub die 3-tia Novembris 1798 supreme confirmatus (sequentis tenoris: ... cum praedium et villa...) – huic meae oblationi correspondeat, quantum licet et quantum mihi convenit conformari cum eo aequa ac debite. Quod autem spectat ad translationem monachorum in alia monasteria, nolenti mihi inter reliqua infringere jus Fundatorum huius monasterii, nil quidquam convenit agere contra illud. Itaque fas mihi esset cum consensu eorum huiusmodi communitatem monasticam translocare cum omnibus mobilibus ad ecclesiam Sanctorum Petri et Pauli Vitepscensem,

post fluvium Dzwina sitam. Hoc cum responso duco honori esse, Clementissime mi Domine, V. Ill.mae D.nis humillimus Servus.

Subscriptum:  
HERACLIUS

Haec novissima Epistola Ill.mi D.ni Lissowski scripta fuit ad Ill.mum, D.num Theodorum Bohdanowicz Engelard, pro tunc pro-Gubernatorem Albae Russiae.

## 59.

*Onufrey, 15. VII. 1802.*

*Heraclius Lisowskyj Legato Pontificio Th. Arezzo congratulatur de eius missione et legatione.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine Protector Amplissime.

Cum certior factus sum Ill.mam, Excell.mam ac R.mam Dominationem Vestram fungi officio vices gerentis Sacrae Sedis Apostolicae Legati<sup>158</sup> in hocce Roxolano Imperio, speciali Sanctissimi Domini nostri Pii septimi benigna commissione, statim ac certa haec ad me pervenerit notitia, muneric mei esse duco summa cum cordis animique laetitia, Ill.mae, Excel.mae ac R.mae Dominationi Vestrae tota cum Diocesi mea debitam reverentiam ac submissionem praestare, gratularique simul ei, modernam in Ecclesia Sancta non paucam adeptam dignitatem, persistens in spe firmissima non longo tempore ad maiores honores Ill.mam Excell.am Vestram evectum, me fore gratulaturum.

Suscipe igitur benevole, Il.me, R.me Domine, hasce literas ab eo, qui commendatis ejus firmae Protectioni negotijs suae Dioeceseos, manet cum debito cultu ac veneratione.

Illustrissimae, ac Excellentissimae, Reverendissimae Dominationis Vestrae, Protectoris Amplissimi, humillimus Servus

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis, Eques ordinis S. Stanislai.

In Monasterio Onufriensi, 1802, Julij 15.

<sup>158</sup> Agitur de Legato Apostolico Thoma Arezzo, qui Petropoli mansit annis 1802-1804.

## 60.

(Onufrey), IV. 1803.

*De statu Ecclesiae Unitae antiqui et moderni, ut videtur, Legato Apostolico data, praesertim vero de transitu novissimo ad Ritum Latinum; de numero transgressorum ad Ritum Latinum et Clericorum et laicorum, instantibus Latinis, de concordia cum orthodoxis ad mentem propositionum Sorbonicarum an. 1717, etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Notitia primitivi Status Unitorum, nec non moderni, Rossiaco in Imperio.

Quam primum renovata fuit Unio Nationis Polono-Ruthenae in Regno Poloniae, mediantibus legatis Episcopis, videlicet Pociey, Episcopum Brestensem et Vlodimirensem et Terlecki, Episcopum Luceoriensem,<sup>159</sup> huius rei gratia missis ad Sanctissimum Dominum nostrum tunc Clementem VIII, anno D.ni 1595, eadem, inquam, Unio cui subscrpsere S. Concilij Florentini Patres, ab illo fere tempore exigua incrementa huius S. Unionis in Natione Polono-Ruthena apparuere; quam primum enim Roma reversi sunt dicti Legati, et vocata Synodus litteris Sanctissimi Domini Nostri illaque celebrabatur in Urbe Brestia dicta, anno 1596, Natio Polono-Ruthena divisa est in duas sibique contrarias partes, formaveruntque duos Sinodos. Pars una, illaque minor numero, maior autem eminentia, saluberrimum inivit consilium Unionis cum Ecclesia Romana, altera autem, cum suo Duce,<sup>160</sup> adhaesit Patriarchae Constantinopolitano. In ipsa ergo origine S. Unionis semina discordiarum pullularunt. Certum quidem est, Sanctam Unionem a Regibus Poloniae et Comitijs Reipublicae tutela ac praesidio non caruisse. Sed et non minus est exploratum, partem contrariam omni tempore sartam tecumque fuisse ab Imperio potentissimo Rossiae, vicino ac cum illis homodoxo; asserti huius veritatem probant varij temporis acta Comitiorum Reipublicae, ac historici coetanei, referentes funesta dissidia ac jurgia Unitorum cum non Unitis, qui licet omni conatu ac studio provocabantur ad Unionem, spe tamen potentissimi sui Tutoris fere immobiles stabant, ut liquet ex sancitis Comitiorum Reipublicae. Caeterum Natio Polono-Ruthena exigua gaudebat prosperitate ac pace in ipsa sua Patria, quin imo cives,

<sup>159</sup> Legati Hierarchiae Ruthenae Romam ad professionem fidei catholicae faciendum. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. I, annis 1594-1596; *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae 1970, secundum Indicem nominum et rerum.

<sup>160</sup> Constantino Ostrožskyj, duce Ostrogiensi; obiit anno 1608. Cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae 1970, secundum Indicem nominum et rerum.

doctrina, meritis ac ipso genere plurimum conspicui, minime fruebantur praerogativis ac honoribus congruentibus, idque ratione solius Ritus; non admittebantur ad preeminentibus in Republica dignitates, quae aequitas ac justitia? Verum quidem est, Metropolitanum Ruthenorum in declivio Regni Poloniae numero Senatorum adscitum fuisse,<sup>161</sup> sed non ut dignitas illius postulabat; locus enim sessionis in Aula Senatus non solum post omnes Episcopos Latini Ritus, quin imo post omnes saeculares Senatores pro illo fuit destinatus ac erectus. En authoritas Poloniae in Regno Concivium unitorum procurata a Confratribus latinis, et in illo Unitorum eventu terminatus est Reipublicae status.<sup>162</sup>

Dum autem Ecclesia haec numerosissima adscita fuit sceptro Rossiae a triginta annis, quae illorum animi tranquillitas? quae felicitas? praxis indicat. Vix enim ad decursum octennij fruebantur illa diu desiderata pace ac prosperitate. Clarius dicam, ad illud momentum, quo usque Ill. mus Archi-Episcopus Smogorzewski,<sup>163</sup> Antecessor moderni Polocensis Archi-Episcopi, gratus ac iucundus fuit Throno et Magnatibus Rossiae; sed quamprimum immisicuit se negotijs Jesuitarum et signanter contraveniens institutioni illorum Novitiatus in Alba Rossia, cui tamen annuebat felicis recordationis Imperatrix Catharina II, quam primum, inquam, absque scitu Aulæ Imperij obtinuit Metropoliam a Rege Poloniae,<sup>164</sup> mox favorem et simul gratiam non vero Ipse amisit Imperatricis, quin imo extitit, etsi non voluntaria, causa diminutionis Ecclesiae Unitæ in Alba Rossia; cuius post secessum in Metropoliam, S. Unio ut plurimum amisit de suis cultoribus, uti orbata suo Pastore. Certum quidem est intercessione Legati Apostolici, Eminentissimi Archetti, ad potentissimum Thronum Rossiae Ecclesia Unita aliquantulum respiravit, sed et haec pax et tranquillitas non diu florebat; quam primum enim incorporatae fuerunt Rossiae aliae a Polonia Provinciae uti Volhynia, Podolia, ceteraeque ex solis fere Unitis compositae,<sup>165</sup> statim expedita fuit exequens

<sup>161</sup> Tempore Theodosii Rostockyj anno 1789, mense Iulio, in s.d. Diaeta quattuor annorum (1788-1791).

<sup>162</sup> Inde a temporibus Unionis Berestensis Episcopi Uniti hanc dignitatem obtainere contendebant, sed frustra; solummodo post primam divisionem Poloniae (1772) et paucissimis annis ante secundam (1793) et tertiam (1795) et abdicationem ultimi Regis Poloniae Stanislai Augusti Poniatowski dignitas haec acquisita erat in persona Theodosii Rostockyj, qui mox in exilium Petropolitanum abiit, ubi mortuus est die 25 Januarii 1805.

<sup>163</sup> Jason Junosza Smogorzewskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), dein Metropolita Kioviensis (1780-1788). Obiit die 1 Novembris 1788.

<sup>164</sup> Smogorzewskyj fuit electus Metropolita extra confinia Imperii Moscovitici, in Regno Poloniae 1780.

<sup>165</sup> Post secundam et tertiam divisionem Poloniae (1793, 1795). Tunc Moscoviae accesserunt Volhynia, Podolia, Ucraina etc.

Missio ex dirigenti Sinodo in gratiam illorum (*Verbum est Mandati*), qui contra votum et conscientiam adhaeserunt Unioni Ecclesiae. Et illic pene est ultimum Unitorum spirium; passi enim sunt iacturam totius Metropoliae, quin imo universae fere Hierarchiae, adempta bona Capitularia ac Cathedralia Ep.pis, nec non melioris dotationis Monasteria;<sup>166</sup> illius autem importuni ac infelicissimi eventus, inter caeteras rationes, et hoc est non parvi momenti, quod multi ex nostris sedulo non curaverunt aquirere gratiam Throni, nolueruntque obsecundare circumstantijs maiori patientia.

Post hanc itaque alteram, illamque maximam diminutionem S. Unionis, etsi in favorem Unitae Ecclesiae restitutae sunt tres Dioeceses,<sup>167</sup> cura Legati Apostolici, Eminentissimi Litta, ad Imperatorem Paulum I, sed et hic non, ut decebat, extitit Unitorum authoritas; existente enim adhuc partitione Collegij Justitiae, obtigit sors illis servitijs; cum specialibus enim suis legibus, praerogativis, subditi sunt regimini Judicum Latini Ritus (forsan et ignorantum Ritus nostri, suorum Constitutionum, specialium Privilegiorum S. Sedis solis Unitis largitorum) et hoc rescripto Imperatoris Pauli I, cuius tenor est sequens: «*Uniti sic, ut illi coniuncti sunt vel nobiscum vel cum Latinis et non per se existunt, suos Assessores in Partitione habere non possunt*»; talis ergo est aestimatio nostrorum, quae spes Sedi Apostolicae remanet ulterioris propagationis et incrementi Ecclesiae Unitae, dum et Leges Patriae iniungunt, sub poena capitalis sententiae incurrendae, ne quis ex dominanti Religione ad aliam admittatur vel acceptetur, et numerus illorum fere quotidie diminuitur ac decrescit, transitu saepissimo ad dominantem Religionem. Tum demum, quod non pauci ex Latinis, tum Regularibus, tum Saecularibus, curam animarum gerentes, indies ad suum Ritum Unitos traducunt, in praeiudicium S. Ritus et Legum Ecclesiasticarum, imo in apertum illarum contemptum. Inter multa alia, flebilis conditio Archi-Dioecesis Polocensis exemplar in hoc dolendum nobis exhibit, dum factio scandalosa aliquot sacerdotum Latini Ritus, quadraginta millia fidelium, perterriti metu ac verberatione suorum haeredum, alij dolo irretiti, Latinum Ritum suscepereunt.

22 ecclesiae unitae cum argenterijs, fundis adscitae sunt ex ignota Lege Dioecesi latinae Mohiloviensi, totidem sacerdotes ignari, uxorati, rustici cum periurio derelinquerunt suum Ritum, ac Pastorem, et ad Latinum transierunt; haec autem et multo maiora scandala impune grassantur; hi tamen, Legum Ecclesiasticarum et Imperialium transgressores, protectione omni-

<sup>166</sup> Missio Petroburgensis ad covertendos Ruthenos agit annis 1794-1795, praesertim duce Victore Sadkowskyj, Archiepiscopo Minsensi, ut extinctionem Unionis Berestensis, occasione duorum saeculorum exeunte (1595-1795), procuraret.

<sup>167</sup> Eparchiae restitutae erant: Berestensis, Luceoriensis et Polocensis, cum tribus Episcopis ordinariis et 2 suffraganeis.

moda gaudent Latinae Jurisdictionis, quae etiam dominatur Unitis, ac illorum Ecclesiam titulo praesidii in dies diminuit. En miserrima nostra conditio! Ulterius, dicam, potestne haec Unio propagari in Rossia dum per Contracta matrimonialia Unitorum cum non Unitis, quod non est vetitum, una domus bis partita est et duorum Parochorum iurisdictioni subiacet, tertio autem Ritus Latini, hac ipsa de causa; unde in Consistorijs ac alijs Judicialibus locis contentiones ac quaerelae fere quotidinae oriuntur de non debita administratione Sacramentorum per Sacerdotes unitos; multiplicantur autem haec querelae ac accusations fere in dies, studio non Unitorum ac Latinorum.

Et illa flebilis Unitorum conditio in deteriora adhuc evasit; dum enim solis Latinis commissum fuit, ut conderent Legem seu Regulamen pro Ecclesia Catholica in Rossia, oblii sunt in illo Unitorum, qui tamen una fide ac charitate cum illis sunt coniuncti. Imo neque verbum adjicierunt de illis in expositione facta Senatui, ad confirmandum vel reiiciendum. Verum quidem est, Metropolitanus Rossiae supplicem libellum porrexit Majestatui, contendens de restitutione Praerogativarum Unitae Ecclesiae. Id tamen respuit Imperator, imo ad singula petita Metropolitani non ut in votis fuit illius, sed ad normam priorum Mandatorum Catharinae II, de Unitis editorum, secuta est resolutio, et hoc modo Uniti plenarie subditi sunt Latinorum Regimini, qui eos sine illis gubernaturi nec non judicaturi sunt. Conditio ergo Unitorum infelicissima est; undique sunt obvio angustiae omni praesidio ac tutela orbati, numero tamen personarum sui Ritus cultorum, etsi coarctati ad tres solum Dioeceses, adequate Latinis Rossiaco in Imperio. Certum ergo ac exploratum est, quod nulla spes Unitis refulget adhuc majoris authoritatis ac honoris acquirendarum, quae prorsus sublatae sunt ab illis Rossiaco in Imperio, imo in dies diminuuntur pari modo ac numerus personarum; optandum ergo est hocce magnae calamitatis nostrae tempore, ut Summus Pontifex nos sublevaret salubri aliquo modo; unus ex duobus medijs restat ad illud, vel si hoc fieri potest, transitu omnium ad Ritum Latinum, sed hoc est difficillimum ratione ruditatis ac ignorantiae Plebis; alterum autem optabilissimum, et ad quod omnium prosiliunt vota, navare operam ac curam gerere de communi ac perfecta Unione Ecclesiarum Rossiae cum Romana; quae res non est nova et inaudita, siquidem anno D.ni 1717 Doctores Academiae Sorboniensis Petro I,<sup>168</sup> tunc Rossorum Imperatori, visitanti praeclarissimam illam Academiam, obtulere apologeticum Libellum, ordine ineundi pacem ac concordiam; quam Apologiam retulit Imperator sui Ritus Spir-

<sup>168</sup> Colloquia s.d. Sorbonensia Petri I (1682-1725) locum habuerunt de unione Ecclesiarum an. 1717, cui etiam projectum quoddam propositum fuit a Doctis Sorbonae. Hoc projectum modo speciali dilectum fuit Heraclio Lisowskyj.

tualibus, cum obligatione rescribendi ad illam; jussu ergo sui Imperatoris respondentes ad illam Episcopi Rossiae declararunt salutare hoc opus in tempore perfecturos; quod dum est S. Sedi optime notum, aevum nostrum summe est opportunum producendi hoc saluberrimum opus in optabilem finem; siquidem Clerus Rossiae et vel maxime Antistites illius omni virtutum genere, scientia, ac doctrina, plurimum praeeminent, quod optime fuit persavsum Eminentissimo Cardinali Archetti,<sup>169</sup> tunc Legato Apostolico Petropoli, ut ipse apertis verbis professus est in sermone habito post impositum Pallium Excellentissimo Siestrzencewicz: « quoties enim dum in hac magnificientissima urbe versor huius inclitae invictissimaeque nationis ad cultum divinum sinceramque pietatem proclives animos, quoties Pastorum suorumque Antistitum insignem probitatem ac virtutum omnium praestantiam consideravi, toties mihi obortis lacrimis exclamandum fuit; utinam tales cum sint, utinam nobiscum omnino conjuncti essent », et ulterius progreditur; convenientissimum itaque foret, si in modernis temporibus Sacra Sedes clementissimo pijssimoque Imperatori Rossiae insinuaret, et illud imprecaret, ut saltem oretenus Praesulibus Rossiae Catholicisque Episcopis mentem voluntatemque suam aperiret, hoc nempe modo, quod gratissimum illi foret, si Spirituales per semetipsos illam macriem, illum divisionis murum, uti opus illorum solverent abjicerentque hoc medium moderno in aevo, ut aptissimum est ad stabiliendam diu desiderabilem pacem; sic Vineae Domini non modus prodesset effectu, si illa vastissima Natio Rossiae, et ut utar verbo praedictae Apologiae: « omnia Simbola fidei nobiscum profitens », in locum multorum Deistarum, qui fere quotidie deflectunt a fide, ac multiplicantur, rediret ad Communionem Unionemque Ecclesiae, de qua ineunda nos, et illi in Liturgiis Supremum Numen enixe rogamus. Illud si feliciter perficeretur, Uniti, etsi nunc infelicissimi undique, numero tamen personarum adequantes Latinis in Rossia, ter felices, ac ter beatos se existimassent; juncti enim Rossiacaee Ecclesiae atque coadunati, pari honoris, aestimationis nec non praerogativarum gradu tractarentur cum Latinis.

## 61.

*Polocia, IV. 1803.**Brevis relatio de statu Archidioecesis Polocensis.*ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344, III fasc. 93 nn.*Brevis Relatio de Archi-Dioecesi Polocensi Graeco-Unita*, videlicet de numero ecclesiarum, monasteriorum, Cleri saecularis et regularis, nec non

<sup>169</sup> Nuntius Varsaviensis Joannes Andreas Archetti de hac re egit dum fungebatur Legatione moscovitica annis 1783-4; cardinalis creatus an. 1784; obiit anno 1805. Cfr. Indicem nominum et rerum.

fidelium utriusque sexus, quibus illa componitur; Illustrissimo, Excellentissimo ac Reverendissimo Domino, Domino Thomae Arezzo,<sup>170</sup> Archi-Episcopo Seleuciensi, a latere Sanctissimi Domini Nostri Nuntio, a me infra scripto Archi-Episcopo Polocensi humillime prorecta:

Polocensis Archi-Dioecesis componitur numero ecclesiarum:

Parochialium .....	430.
Fidelium utriusque sexus .....	561,480.
Sacerdotum saecularium .....	600.
Monasteriorum O.D. Basilij M. ....	18.
In illis caetus Monachorum .....	100.
Monasteriorum Monialium ejusdem Ordinis .....	3.
In his Monialium caetus .....	39.
Ecclesiasticorum, qui libertate et immunitate gaudent, liberique a solutione tributi Capitalis, numerus ....	1000.
Ecclesiarum cum Parochijs, quae post secessum in Me- tropoliam piae rec. Ill.mi Smogorzewski anno 1781, transierunt ad Dominantem Religionem .....	53.
Tempore Exequentis Missionis a. 1795 transierunt iterum ad Dominantem Religionem ecclesiae cum Parochijs	64.
Anno autem praeterito mutaverunt in hac Archi-Dioe- cesi Ritum arbitrarie multi Fideles, per transitum ex Graeco-Unito ad Latinum, et hac de causa Ecclesiae Unitae cum suis numerosissimis Parochijs in Direc- torio Ecclesiarum Mohiloviensis Archi-Dioecesis Ritus Romani typis sunt impressae numero .....	22.

et totidem Sacerdotes Uniti Latinum Ritum censemur suscepisse.

April, 1803 Anno.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

## 62.

*Onufrey, 20. IV. 1803.*

*H. Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis, congratulatur cum Legato Apostolico Th. Arezzo, commendat suum Procuratorem Petropolitanum J. Krasowskyj, de concordia cum orthodoxis ad mentem propositionum Sorbonensium; agit de intentione visitandi Terram Sanctam; de substitutione sua ex parte Gregorii Kochanowicz etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

---

<sup>170</sup> Archiepiscopus Seleuciensis Thomas Arezzo, Legatus pontificius Petropolim

Illustrissime, Excellentissime ac Rerevendissime Domine, D.ne Protector Munificentissime!

A multis jam annis continuis fere gemitibus ac votis Ecclesiae Unitae hocce in Imperio sitae desiderabatur ac expectabatur ille Mediator, qui provideret de illius Ecclesiae felici statu. Gratissimum illud Dei donum, per quod omnis spes nostra reviviscit, cum apprehendere conglorificamur, dum Urbs Imperij nostri Capitalis, et Ecclesia per vastissimum hoc Imperium Rossiae dispersa a latere Sanctissimi Domini Nostri Nuntium in praeclarissima persona Excellentiae Vestrae Illustrissimae intuetur; quapropter ego uti Primus Unitae Ecclesiae Pastor, cum tota mea Grege ac Vinea, cui custodienda praepositus sum, prostratus ad pedes Excellentiae Vestrae Illustrissimae intimum ac debitum obsequium, quod mihi semper fuit et est in corde et opere erga Sacram Apostolicam Sedem contestare accelero; tum demum specialiter gratulari personae Excellentiae Vestrae felicem hoc in charactere ad nos adventum; sollicita cura Excellentiae Vestrae, de qua certos nos reddit loquax fama ac scopus Missionis illius, non vanam spem nobis ingerunt majoris gaudij de exaltatione et prosperitate Religionis Catholicae, quapropter ego speciali tutela ac praesidio cum Pascua mea universa me commendo et ad illud configio, commotus peculiari sollicitudine Sacrae Apostolicae Sedis, qua vigilanter nos protegebat ab ipsa origine, inchoata in Concilio Florentino et demum a renovatione Sacrae Unionis, quae accessit temporibus Clementis VIII in Polonia, certos nos etiamnum reddit in modernis circumstantijs non deserturam; plura licet sunt, quae ad notitiam Excellentiae Vestrae Illustrissimae referre oportet, et in quibus implorare ejus intercessionem, urget conditio hujus Ecclesiae, sed de his referendis commissum habet meus cum plena potestate Procurator, traditor praesentium, Sanctissimi Domini Nostri Alumnus, Causarum Curiae meae Auditor et Proto-Presbyter Cathedralis Joannes Krassowski, quem tum ad testificandum meum obsequium et intimam venerationem erga Excellentiam Vestram Illustrissimam, tum demum in causa negotiorum meae Archi-Dioecesis misi Petropolim personam illius nec non negotia ei concredita speciali gratiae Excellentiae Vestrae Illustrissimae ex animo commendo, ac expostulare audeo benevolentissimum illius animum erga ista, quae insimul sunt Sacrae Unionis; de his bene instrutus iste meus Procurator commissum habet certum reddere et illa monstrare Excellentiae Vestrae Illustrissimae. Faveat ista benignis excipere auribus; siquidem nos Uniti ad Sedem Apostolicam, in modernis videlicet ad Excellentissimum Dominum, qui praecellenti illius Sedis fungeris ministerio, uti

ad tutissimum portum configimus, sperantes in praevalenti illius intercessione ad Augustissimum Thronum, haec quae sunt proficia Ecclesiae obtenturos; in te enim, Excellentissime Domine, singularis ac unica spes contra refulget. Utinam iste felix Nuntij Apostolici adventus obsignaretur perfecta Ecclesiarum Rossiae cum Romana concordia, et evaderet ille gratiosus Angelus evangelizans nobis gaudium, ad quod vota et studia nostra prosiliunt; siquidem temporibus Petri Magni, Rossorum Imperatoris,<sup>171</sup> haec res fuit tractabilis, uti testimonium praebet disertissima epistola Academiae Sorbonae, et ad quam concordiam perficiendam incitamentum invenitur in sermone Eminentissimi Cardinalis Archetti,<sup>172</sup> tunc temporis Nuntij Apostolici Petropoli, tempore traditionis Pallij Excellentissimo Metropolitano Siestrzencewicz habito, illo modo terminaretur perfecta prosperitas Catholicae Ecclesiae. Quapropter nihil mihi ultra fas est addere, quam quod me ipsum et Pascuam meam speciali curae, tutelae ac praesidio Excellentiae Vestrae committere, siquidem ego pio voto intentus (qualem habui ab adolescentia) nunc adimplere cupio, et hac mente itineri sum commissus extra limites Imperij Rossiaci,<sup>173</sup> animo visitandi Loca Sancta in Palestina. – Hujus rei gratia accessit mihi et Indultum Augustissimi Imperatoris ad decursum octo mensium; in tractu hujus termini teneor implere meum propositum et reverti ad meam Dioecesis; Collegium autem Catholicum assignavit Administratorem Dioecesis, in tractu meae absentiae, Officiale meum et nominatum Suffraganeum, Reverendissimum Gregorium Kochanowicz. Cui et ego Regimen Dioecesis plenarie commisi, de hoc certum reddere Excellentissimum Dominum debiti ac officij mei esse ratus, quod et in praesenti impleo.

Fusius omnia negotia elucidabit, desideria Cleri mei monstrabit, et ad singula proposita, quae possunt tractari, sufficienter respondebit supra specificatus meus Procurator,<sup>174</sup> qui in omnibus causis ac negotijs vices meas tenebit Petropoli, quoisque revertar de itinere.

Tandem in documentum addictionis et obsequij mei erga Excellentiam Vestram Illustrissimam ac illius Ministerium adjungo notitiam seu Relationem de ecclesijs deque numero Personarum tum spiritualium tum saecularium meae Archi-Dioecesis Polocensis, qualis est in praesenti statu. In caetero non restat mihi, quam adhuc et iterum implorare opem et omne studium Excellentiae Vestrae Illustrissimae, praesertim erga nostram Unitam

<sup>171</sup> Petrus I, Imperator-Zar Moscoviae (1682-1725). Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>172</sup> Joannes Andreas Archetti, Nuntius Varsaviensis (1775-1784). Obiit anno 1805. Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>173</sup> Iter-peregrinatio in Terram Sanctam, a mense Majo ad Octobrem, 1803.

<sup>174</sup> Joannes Damascenus Krasowskyj, dein Archiepiscopus Polocensis (1811-1826).

Ecclesiam, quae majoris indiget levaminis et adjutorij, tum demum conglomerare, quod cum incomparabili veneratione, cultu supremo et obsequio ad decursum vitae sum

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, Domini Protectoris Munificentissimi,

humillimus Servus et ad Deum Praecator quotidianus

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

20 Aprilis, 1803 anno.

### 63.

*Petropolis, 29. V. 1803.*

*Procurator J. Krasowskyj Th. Arezzo, nomine H. Lisowskyj, de Suffraganeo Gr. Kochanowicz, confirmatione ab Imperatore, et varia acta completa ab Excel.mo Litta, de adimplectione actorum; de non transitu ad Ritum Latinum, praesertim in Alba Russia, in Consistorio Mohiloviensi; de erectione Collegii Spiritualis, et rationes in favorem; de distinctoriis et Canonicis pro Archieparchia dandis etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 85, nn.

Illustrissimo, Excellentissimo ac Reverendissimo Domino, Domino Thomae Arezzo, Archi-Episcopo Seleutiensi, Sanctissimi D.ni Nostri Pii Papae VII, ad Augustissimum totius Rossiae Imperatorem cum Facultatibus Legati de latere Nuncio.

Nomine Archi-Ep.pi Polocensis Graeco-Uniti, Cleri saecularis, et Populi Dioeceseos Polocensis a me infra scripto illorum Procuratore, humillima Petatio.

Imo. Illus.mus Archi-Episcopus Polocensis Graeco-Unitae Ecclesiae, Pastor meus, decursu viginti annorum Praesulatus sui super hanc nostram Polocensem Archi-Dioecesim existens in variis importunis circumstantiis, cura tamen assidua et zelo studiose semper laborans (uti ministerium illius postulabat) erga prosperitatem suaे Pascuae sentit nunc viribus se esse debilitatum, serio confectum, et hac ratione indigere levamine in his, quae sunt Ordinis et Characteris ipsius; quapropter praesentavit Majestatui, mediante Excell.mo Metropolitano Siestrzencewicz, Officialem suum R.mum Gregorium Kochanowicz, ordine ut iste in sui levamen ac adjutorium pro Suffraganeo Polocensi constitueretur. His votis Archi-Ep.pi obsecundavit Imperator, et 30 Aug. 1798 a. praedictum praesentatum ad Suffraganeatum Polociae, supremo Rescripto confirmavit; haec tamen nominatio Suffraganei hucusque non est sortita, varias ob circumstantias, sacro effectu; conditio autem Archi-Dioecesis Polocensis magis magisque, judico, urget de perfectione illius salutaris operis.

Solemnitates sacris canonibus requisitae ad Ordinationem in Episcopum, perscito impletae sunt per Eminentissimum Litta,<sup>175</sup> tunc temporis Nuntium Apostolicum; processus finitus, testes jurati fide digni testimonium depo-suerunt de supra memorato nominato Suffraganeo, processus hujus Acta in Archivo memorati Eminentissimi Nuntii certo certius inveniuntur, testimonium autem de perfectione harum solemnitatum habetur ex litteris Eminentissimi Litta ad Archi-Ep.pum Polocensem et ad ipsum nominatum Suffraganeum, quarum exemplaria hic adpongo, authografa autem inveniuntur apud Excell.mum Metropolitanum Siestrzencewicz. Tandem: Nominatus Suffraganeus R.mus Gregorius Kochanowicz, quoniam est ex Clero saeculari, conformando se Constitutioni Synodi Zamosciana, habitum monasticum O.D.B.M. suscepit,<sup>176</sup> ne ex defectu monasticae qualitatis obstaculum aliquod pro illo oriri possit. In caetero autem debiti ac officii mei esse judico, obsequendo Mandato Ill.mi mei Archi-Praesulis, certum reddere Illustrissimam Excellentiam Vestram, quod iste nominatus Suffraganeus summe est acceptus Clero Ecclesiae Polociae, uti unus ex illis et os ex ossibus illorum, dilectissimus Populo, gratus ipsis Magnatibus, verbo, omnium prosiliunt vota videre illum in charactere Episcopi; scientia litterarum congruenti pollet, et a triginta prout annis<sup>177</sup> in hac Archi-Dioecesi varias functiones cum honore, laude et utilitate Cleri obierat. Post ordinationem suam in caelibatu,<sup>178</sup> statim ab Ill.mo Smogorzewski, Predecessore moderni Archi-Ep.pi, creatus Decanus, postea a moderno Archi-Episcopo Judex surrogatus, ac demum Generalis Archi-Dioecesis Officialis. Hoc modo meruit gratiam Throni, benevolentiam Archi-Ep.pi, amorem autem Cleri et Populi; quapropter ego nomine mei Archi-Praesulis et Universae Ecclesiae Dioeceseos Polocensis, cum osculo Pedum Excellentiae Vestrae Illustrissimae, humillimas fundo meas preces: 1º, de institutione Suffraganeatus Polocensis; 2º, de designatione tituli nominato Suffraganeo Ep.patus in partibus infidelium, ac de confectione instrumenti in ordine illius consecrationis; 3º, de dispensatione circa non residentiam illius ad aedes Cathedrae, quae pro titulo designata illi erit, tum demum de adimpletione omnium solemnitatum, quae de jure requiruntur; prout id

<sup>175</sup> Laurentius Litta, Legatus Petropolitanus (1797-1799), qui die 9 Maji abiit Petropoli «inter quatuor horas». Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>176</sup> Revera Kochanowicz habitum basiliandum accepit mense Septembri 1798, Cfr. supra sub hoc anno litteras Lisowskyj, et documenta biographica Gr. Kochanowicz, infra.

<sup>177</sup> Ut videtur, Kochanowicz laborabat in Archidioecesi Polocensi, inde ab anno 1775.

<sup>178</sup> Res fere exceptionalis tunc temporis et in Ecclesia Unita praesertim saeculo XIX-o.

omne ad praeeminens ministerium Excellentiae Vestrae pertinere dignoscitur, et hoc primum desiderium primaque humillima petitio Archi-Dioecesis Polocensis ac illius Pastoris.

IIdo: Certum ac exploratum est omnibus, Excellentissime Archi-Praesul, Domine et Protector Munificentissime, quod Sancta Apostolica Sedes Ecclesiarum Occidentis pariter ac Orientis Universalisque X.ti in terris Militantis Ecclesiae Mater, ac Magistra, omnes sacros ritus, qui recepti et approbati sunt, inviolabiliter veneratur, et vult quemlibet in illo Ritu (ne in confusione Sacri ducantur Ritus), in quo ortus est, permanere. Illa Sanctae Matris Ecclesiae oeconomia multis dissidiis inter Christianos occasionem praeccludendo Unitatem Spiritus, et internae amoris foveat; clare hoc liquet ex gestis Concilii Florentini et Lugdunensis,<sup>179</sup> in quibus Graeci adfuerunt, Unioni Ecclesiae inter cetera ex hoc non parvi momenti motivo, quod Ritus Graecus Decreto Oecumenici Synodi, annuente Summo Pontifice, sacrosancte tueri et conservare debere statutum fuit; transitus autem ex Graeco ad Latinum penitus est prohibitus Decretis tum supra memoratorum Conciliorum tum novissime Oecumenici Tridentini, et multorum Summorum Pontificum. Graeci enim et vel maxime Natio Ruthena, semota hac conditione, Unionem cum Ecclesia servare nequeunt. Hoc clare patet ex Bulla Pauli V, a. 1615 apr. 10,<sup>180</sup> in qua Ritus Graecus confirmatur, et Summus Pontifex vult, ut qui in eo orti sunt perseverent, quae edita fuit ex ratione illa.

Natio Ruthena, post celeberrimam Unionem, tempore Clementis VIII perfectam, perterrita falsa fama, quod quasi et Ritus illorum a S. Aplica Sede sunt reprobati, caepit ambigere voluitque iterum derelinquere Matrem Ecclesiam; hac ductus ratione Summus Pontifex, ut removeret omnem dubitandi causam, praedictam edidit Bullam, quae statim ac promulgata fuit, natio in sua fide ac Unione firmiter ad nostra tempora perseveravit et illa fuerunt praecipua studia Clementis VIII, qui ritus nostros et ceremonias sartas tectasque esse voluit, et hoc modo provocavit ad Unionem totam Ruthenam Gentem; conformes supra memoratis ab Apostolica Sede latae fuerunt leges Innocentii IV, Leonis X, Clementis VII, Pauli III, Julii III, Pii IV et V, Gregorii XIII, qui et multa pro educatione Graecae et Ruthenae Nationis adolescentium fundavit Collegia; tum demum recentissimae Constitutiones inveniuntur in Decretis Benedicti XIV, qui praecipuus fuit amator Rituum nostrorum. Istis, inquam, Legibus et Constitutionibus Summorum Pontificum vel maxime, et in virtute s.ae obedientiae prohibitur, ne quisquis,

<sup>179</sup> Concilium Oecumenicum Florentinum (1431-1445), Lugdunense II (1274).

<sup>180</sup> Bulla Pauli V die 29 Maii 1615 (non 10 aprilis), sub tit. « Provisionis Nostrae ». Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 355, nr. 250.

sive Laicus sive Clericus, sub quovis pretextu et titulo, ex Ritu Graeco ad Latinum, etiamsi sponte transire voluerit, admittetur vel acceptetur sub nullitate actus, et aliis penis, arbitrio Romanorum Pontificum transgressoribus infligendis, licet transitus ille fieret cum facultate Praelatorum Ruthe-norum et Graecorum, sed omnino requiritur ad hoc specialis Sedis Apostolicae licentia. His tamen non obstantibus Constitutionibus et Decretis Summorum Pontificum, Canonibus Conciliorum Universalium, Traditionis Ecclesiasticae, imo in praejudicium horum, et in apertum contemptum Ritus Graeci, Sacer-dotes latini Mohiloviensis Dioecesis a triginta annis fere quotidie Unidos ad suum Ritum variis modis traducunt; sic in Urbe Vitebscii, quae fuit sedis Sacrae Unionis ac decor illius, uti insignita sanguine Martyris Beati Josaphat, vix in Ritu nostro tertia pars nunc remansit, et hoc ex conditione vilissimae, plebeiae; in urbe iterum Vielizii, et in aliis locis fere evacuatae ecclesiae Unitorum. Haec et multo majora damna, et injurias, quae Ritui nostro nobisque inferebantur, in silentio et pacientia ferebamus, nolentes offendere fraternalm charitatem, et sperantes quod tandem aliquando nostri homodoxi, memores injuriarum nobis illatarum, relinquant residuos Unidos in pace; sed subsecutus eventus aliter nos docuit; preterito siquidem anno Perillustris D.nus Stanislaus Szantyr, Auditor Curiae Metropolitanae Mohiloviensis, falso innixus supposito, excogitavit famosam fabulam, quod Unio hoc in Imperio extin-guetur, et Uniti, qui non transibunt ad Ritum Latinum, in decursu aliquot mensium omnes compellebuntur profiteri dominantem Religionem; haec fama jam per litteras memorati missas undique locorum, jam per latinos Sacerdotes ubique vulgata, et probata falsificatis quasi Imperialibus scriptis, uti fulmen aliquod pertransiit universam Dioecesim; contremuerunt cuncti, praesertim Populus rudis ac ignarus Legum, perterritus jam variis circum-sstantiis, credidit huic falsae relationi; in aliis locis Rustici subditi vi, metu suorum Heredum coacti, alii dolo irretiti undique locorum tumultuose (sine voto tamen) ad Communionem secundum Ritum Latinum accedebant, hoc ante factum et vulgatum tempore quadragesimae, uti aptissimo; Sacerdotes multi Graeco-Uniti, hac fraude seducti, licet ignari, rudes, uxorati celebra-tione Missae in Azimo censentur Ritum Latinum suscepisse, et nunc etiam hoc modo celebrant. 22 ecclesiae Parochiales Archi-Dioecesis Polocensis cum fundis melioris dotacionis, argenteriis et omni supellectili ecclesiastica ex ignota Lege ademptae et in Directorio Dioecesis Mohiloviae typis impressae ad illamque adscitae censentur; in aliis autem locis Sacerdotes uniti expulsi de suis Parochiis, qui in Ritu, secundum conscientiam illorum, perseverare voluerunt. Multae familiae Ecclesiasticorum, privatae omni sustentatione; pro Rusticis et ignaris Sacerdotibus, qui non callent linguam latinam, novus Ritus excogitatus, aperte contra Canonem Concilii Tridentini, sessio 6<sup>a</sup>, can. XIII, celebrant in lingua sclavonica in azimo, verba autem consecra-

tionis latine pronunciant et hac de causa numerantur a nobis in Archi-Dioecesi Polocensi 40.000, a R.mo autem Auditore Szantyr 80.000 fidelium Unitorum, qui Communionem secundum Ritum Latinum praeterito anno suscepserunt. 24 Sacerdotes saeculares, majori ex parte rudes et uxorati, aperte contra Decretum Sancti Pii V, alii in censuris existentes et in suspensione, Ritum Latinum suscepserunt, et hoc modo putant se esse liberos a censuris; generatim autem omnes isti Sacerdotes, cum perjurio id fecerunt, siquidem tempore Ordinationis quilibet stringitur juramento, uti in fide ita et in suo Ritu perseverare ad mortem, ut ex sua Dioecesi ad alteram, sine litteris dimissorialibus, discedere nequit. Haec cum scandalo impune grassantur.

Tandem: Religiosi ipsi O.D.B.M. Ritus nostri, licet contra expressam prohibitionem: *Inter multa*, Urbani VIII, 3 Sep. 1624, quae confirmata<sup>181</sup> et a Benedicto XIV in Bulla: « *Allatae sunt* », discedant hoc solo pretextu e monasteriis, quod suscepserunt communionem secundum Ritum Latinum et, relicto religioso habitu, uti Clerici saeculares vivunt, beneficia saecularia obtinent, pro aliis autem latinisatis Basiliensis, qui statim sibi procurare non possunt titulum in beneficiis saecularibus, assignata in redditibus duo monasteria in Dioecesi Polocen. et licet Basiliani arctissime tenentur in suo Ritu perseverare, apud nos autem nulla indigent dispensatione, praeter testificationem propriae voluntatis. Sacerdotes autem Uniti, de quibus mentio facta et qui Ritum Latinum censemur suscepisse, jurisdictioni legitimae suae videlicet unitae ac Pastori rebelles sunt, ordinationes illius hac in materia editas irrident, hoc autem audaciter faciunt gaudentes omnimoda protectione Latinorum, et hac mente, quoniam suscepserunt S.am Communionem secundum Ritum Latinum, liberatos se esse existimant a ceteris obligationibus Ritus nostri, in quo orti et ordinati sunt, videlicet a jejunis, orationibus, celebratione festivitatum, et aliis; pari modo et Populus instructus ab illis falsa conscientia credit quod S. Communio Ritu Latino, casu etiam suscepta, liberat hominem ab omnibus obligationibus Ritus Graeci, hoc autem aperte contra Bullam Benedicti XIV, quae incipit: « *Demandataam caelitus* ».<sup>182</sup> Consistorium autem Mohiloviense Metropolitanum omni studio fovet hos abusus, et scandala; imo ex illius ordinatione initium et profectum sint isti omnes eventus, ut clare patet tum ex litteris quas saepius hac in materia mittit ad nostrum Polocen. Consistorium, tum ex ordinationibus Dioece-

<sup>181</sup> Die 7 Februarii 1624; cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. I, pag. 16, nr. 9, sub tit. « *Ad conservandam pacem* ». Dictione « *Inter multa* » forsitan exprimitur Decretum hoc tempore, vel 3 Septembris 1624 emissum.

<sup>182</sup> Bulla Benedicti XIV « *Demandataam caelitus* » emissâ fuit Graeco-Melchitis, et res Ruthenorum directe non tangebat, et inde in nostra collectione Documentorum non invenitur.

sanis, in quibus volentibus retro transire ad suum Ritum vi Bullae citatae: « Demandata caelitus », omni studio prohibet, factumque quod multi ad dominantem Religionem tumultuose transierunt. – Verum quidnam est quod isti eventus, infeliciter perturbantes nostram Dioecesim, devenerunt jam ad notitiam Augustissimi Imperatoris et ex hac causa editae sunt ex supremo Mandato prohibitiones, ne quisque audeat transire ad Ritum Latinum, quod et suo non caruit effectu; sopiti enim sunt isti falsi rumores et fama.

Quadraginta tamen millia fidelium nostri Ritus, 22 Ecclesias nequaquam cedere possumus Latinis, nolentes reddere rationem Deo et Imperatori; sola enim assumptio Communionis latinae non liberat fideles ab obligationibus Ritus, ut dum illicite, quia contra omnes Leges ecclesiasticas factus ille transitus, et nullitate actus cassatur, jure ergo et licite possunt et debent reverti ad suum Ritum, in quo orti sunt, et ad quem non Communio sed Baptismus janua sunt; aliter enim nunquam pax stabilis esset inter nos et Latinos; hi enim eventus sunt in praejudicium Ritus Graeci, quem ut sanctum semper venerata Sancta et Aplica Sedes, et cuius ipsa vetustas postulat ut honorificetur; nunquam enim Unio est praetextus, ut Ritus Graecus in Catholica Ecclesia extinguetur.

Nos sumus Repraesentantes Orientis, Ecclesia autem Catholica, ut Universalis, diffunditur non modo per Occidentem, verum et per Orientem. Certum quoque, Consistorium Mohiloviense legitimat hunc transitum Unitorum ad Ritum Latinum vi Bullae Benedicti XIV, quae incipit: « Etsi Pastoralis »,<sup>183</sup> ubi haec leguntur verba: « Laicis vero ut ad Ritum Latinum transire possint Ep.pum dioecesanum posse pro sua prudentia permettere, non autem Communitati Graecorum sive Albanensium, sed solum privatis personis, attenta cujuscunque necessitate »; sed ex hoc Mohilovienses non possunt pro sua causa habere probationem, siquidem haec Bulla Summi Pontificis edita est pro Graecis Albanensibus, qui in Italia sub Ep.pis latinis vivunt; nos autem habemus Hierarchiam unitam, suos Pastores, Regimen plenarium et sufficiens; sed, ut in illa apertis verbis Summus Pontifex loquit « non autem Communitati », hic autem 40.000 fidelium est vel maxima communitas. Tandem, in eadem Bulla Summus Pontifex prohibet ne Ecclesiastici, sine expressa Sedis Apostolicae licentia, ad Ritum Latinum transire audeant, in nostra autem Dioecesi, praeter Basilianos, 24 Sacerdotes saeculares absque ulla licentia Latinum Ritum suscepereunt, sine ulla spirituali jurisdictione nonnulli et suspensi Parochiis praesunt, et Sacra menta administrant; multi

<sup>183</sup> Bulla « Etsi pastoralis » edita fuit, ut videtur, pro Graecis Albanensibus in Italia, et directe Ruthenis non applicabatur, nisi forsitan indirecte; exinde in nostra collectione non invenitur.

autem Laici contra votum, vi et metu coacti Ritum mutaverunt, sed quod vel maxime dolendum est, quod isti infelicissimi eventus acciderunt hoc tempore, dum sub piissimo et clementissimo Imperatore existentiam nostrae Religionis et Ritus stabilitam sartam tectamque esse noscimus.

Illustrissime, Excellentissime D.ne, D.ne Protector noster benignissime! – His praemissis, quae fidelissime exposui et quae probare semper sum paratus, liceat mihi adhuc addere, quod « brevi absolvo multa », plura sunt quae tamen dictu sunt difficilia, quia nobis afflictis Unitis, usque flere oreque petere licet, destituti sumus omni praesidio, ex quo autem vel maxime cor dolet, has omnes injurias, has clades patimur a confratribus nostris, et proximi fere jam sumus naufragii; salva nos, D.ne, perimus.

Unio Ruthenorum celeberrimum ortum habuit temporibus Clementis VIII, numquid aequitas postulat tam detestabilem illi habere finem, dum et relinquunt existentiam Unionis, et illam extingunt; quapropter ego nomine afflictæ Archi-Dioecesis Polocen. et S.ae Unionis, vi officii, quo fungor, debiti mei esse existimo, has injurias cum fiducia aperte ad paternum cor Excellentiae Vestrae Illustrissimæ referre, firmiter credens quod Sancta Ap.lica Sedes, uti Communis Mater, in causa afflictorum filiorum solatio ac adjutorio illis non deerit et non derelinquet sperantes in se. Faveat ergo Excellentia Vestra Illustrissima prævalenti sua intercessione protegere Ecclesiam nostram in ordine restitutionis supradictorum, quae cum injuria et offensione Ritus Graeci, Dioecesis Polocen. et Pastoris illius, cum damno Cleri, Ecclesiasticorum et Populi, contra omnes Leges, cum scandalo, illegitime ac injuste adempta sunt a nobis, tum demum stabilem ac fixam procurare pacem, ne adhuc similia, discordia ac contentiones inter germanos fratres charitatem scindant, cum offensione Communis Matris Ecclesiae, quia totus « decor filiae Regis intus » et haec tota est ratio alterae meae humillimae petitionis.

IIIº: Dum supremo Mandato defuncti Imperatoris Pauli 1 statutum fuit, ut ad Collegium spirituale catholicum ex unaquaque catholica Dioecesi in Rossia eligeretur unus Canonicus pro Assessore ad decursum triennii, formatum fuit dubium num et Uniti hac praerogativa frui possent, et facta Majestatui expositio specialiter de Unitis, ad quam Imperator rescripsit in sequenti: « Uniti, sic ut illi sunt conjuncti vel nobiscum vel cum Latinis, suos Assessores in partitione habere non possunt ». Hoc ergo modo Uniti plenarie sunt subditi Regimini Latinorum factumque quod non est qui pugnat pro illis, ut Ecclesia Unita in Rossia, licet componit tres Dioeceses in quibus certe certius 2.500.000 invenitur fidelium utriusque sexus, non censitur tamen ut Communitas, sed ut pars aliqua adscita est Latinis; de hac infelici fortuna, et sorte cor dolet singulorum ex Unitis, et licet necessitas, et conditio hujus Ecclesiae urget, ut participes simus in communi Regimine, habendo tamen præ oculis supremum supra citatum Mandatum, uti subditi non audemus

hac in materia preces nostras exponere Majestatui, ad Excellentiam Vestram Ill.mam, uti infirmi ad medicum, cum fiducia accedimus. Universa nostra Ecclesia confugit sub illius praesidium. Faveat Excellentia Vestra Illustrissima, accepta opportunitate, proponere Majestatui, ut Augustissimus Monarca, qui suam clementiam diffundit aequaliter in omnes suos subditos, nobis Unitis, qui et in fidelitate subditatus non sumus postremi, indulgeret habere pari modo ac Latinis ex qualibet Dioecesi Assessorem in spirituali catholico Collegio; hoc modo terminarent omnia nostra desideria et prosperitas Unitae Ecclesiae esset perfecta, ac existentia illorum semper stabilita evaderet, quod omnino ex intercessione et cura Excellentiae Vestrae Illustrissimae sperare debemus.

Motiva autem, quae urgent nos fundere has preces ad Excellentiam Vestram Illustrissimam, sunt ista praecipua: 1º, Quod Graeco-Uniti gaudebant semper his omnibus privilegiis, praerogativis, quibus utuntur Latini, ut hoc clare liquet ex Decretis Summorum Pontificum; in praesenti autem hoc amittunt absque propria culpa; 2º, Nos Uniti, praeter generales, habemus speciales Leges, Privilegia, Sacrae Sedis Constitutiones, Consuetudines, Mores etiam, in disciplina Ritus speciales qualitates, de quibus et ignorare possunt Latini, et quae saepe saepius omittuntur cum iniuria et derogatione Unitorum hac sola de causa, quia non est, qui instet de executione istarum; 3º, Fere omnes, quae ad Collegium deveniunt Unitorum causae, sunt inter Ritum et Ritum, quis dirimit has lites et ponat judicium deciditque? Ipsi et soli Latini; adeoque sunt judices in sua causa, adeoque regunt et judicant Unitos sine illis; liceat mihi hic addere, quod ex hac fonte et causa hujus profluunt illa damna, iniuriae nobis illatae, quae descripsi in 2º puncto meae petitionis; 4º, Hoc modo Uniti in Rossia existunt, et non existunt, privati enim specialibus suis privilegiis et, ut adveni in terra, reguntur ab aliis. Unius tamen Ecclesiae sunt filii et ejusdem Patriae incolae; 5º, Numero Personarum sui Ritus, etsi coarctato ad tres Dioeceses, fere adequate Latinis Rossiano in Imperio.

Et haec sunt principaliora motiva, quibus ducti Uniti accedunt ad Excellentiam Vestram Illustrissimam, clamant ut ad salvatorem suum et cum osculo pedum implorant illius intercessionem et adjutorium. Faveat Excellentia Sua Ill.ma providere Ecclesiae Unitae in hoc maximi momenti negotio et nomine Sanctitatis Suae Majestatui proponere hanc Ecclesiae Unitae necessitatem, ut iustissimus Imperator, solita sibi clementia annueret Unitis habere in Collegio Assessores de sua gente et Ritu, in normam Latinorum; si autem hoc fieri non potest, saltem judices deputatos, qui in Collegio gauderent tunc presertim temporis voce decisiva, dum causae Unitorum deveniunt et disjudicantur; hoc si feliciter cura et studio Excellentiae Vestrae Illustrissimae perficeretur, Ecclesia Unita omni desiderabili gauderet pro-

speritate et Deo ter Optimo Maximo agendo gratias, personam Excellentiae Vestrae Illustrissimae conglorificaret, ut alterum Cyrrum; et his finem impono tertiae meae humillimae petitioni, ac demum audeo Excellentiam Vestram Ill.mam implorare.

IV<sup>o</sup>: Felicis recordationis Ill.mus Jason Smogorzewski, Antecessor moderni Archi-Episcopi Polocensis Graeco-Uniti,<sup>184</sup> post secessum ex Alba Rossia et ex Cathedra Polocensi in Regnum tunc temporis Poloniae, ubi obtinuit Metropoliam totius Rossiae Kijoviensem, pastorali sua studiosa cura incessanter laborans, ut Clerus Unitus (pridem jam ante multis privilegiis a Sacra Aplica Sede suffultus) ut, inquam, in omnibus aequipararetur cum Clero Latini Ritus, obtinuit a Summo Pontifice Pio VI Decretum in forma Brevis, quo indultum fuit fundare 36 Canonicatus ad Cathedras Episcoporum Unitorum in Polonia,<sup>185</sup> et his praeficere Canonicos ex Clero saeculari, qui et distinctoria portare deberent. Hujus Pontificiae gratiae facta fuit Distributio ab Ill.mo Metropolitano Smogorzewski, secundum proportionem cuiuslibet Dioecesis, et dignitatem Cathedrae; nostra autem Dioecesis et Cathedra Polocensis, uti jam extra limites Regni Poloniae, videlicet in Imperio Rossiae situm habuit, hac ergo ratione nec particeps fuit factae hujus Pontificiae gratiae. Nunc autem dum et universa Unitorum Hierarchia adscita est sceptro Rossiae<sup>186</sup> et extincta Metropolia, Archi-Cathedra Polocensis primum locum inter tres Unitorum residuas Cathedras obtinuit, aequum ac justum est, ut ex hoc dono grato Pontificis Maximi et nostra Dioecesis participare posset, secundum jura justitiae distributivae; sed quodam infelici eventu ad illud usque tempus nullus est ad nostram Cathedram distinctoriatus Canonicus, licet et supremo Pauli 1 rescripto Ep.pis data est potestas constituendi ad suas Cathedras Canonicos; verum quidem est quod Ill.mus noster Archi-Praesul Polocensis, instando juri suo, aliquoties recursum faciebat tum ad Excell.mum Metropolitanum Rostocki, tum ad Ill.mum Ep.pum Brestensem, qui ex comisso Metropolitani plenariam habet potestatem circa distributionem horum Distinctiorum.<sup>187</sup> Sed non obtinuit effectum; quapropter mandavit mihi, nomine sui et Cleri, implorare opem et curam Excellentiae Suae Illustrissimae, ut ex illius praevalenti ordinatione et mediatione Polocensis quoque Archi-Cathedra ad participationem hujus Pontificiae gratiae,

<sup>184</sup> Archiepiscopus Polocensis (1762-1780).

<sup>185</sup> Agitur de Brevi Pii VI ad Archiepiscopum-Metropolitam Kiovensem Jasonem Smogorzewskyj (1780-1788). Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 268-271, nr. 842, de dat. 13 Julii 1784.

<sup>186</sup> Post tres divisiones Poloniae (1772, 1793, 1795).

<sup>187</sup> Josaphat Bulhak, Episcopus Berestensis, qui quasi Metropolitam Th. Rostockyj in hac materia substituebat, qui Petropoli impeditus manebat. Obiit 25 Januarii 1805.

omnibus Unitis benigne largitae, admitteretur illaque frui, secundum proportionem et dignitatem suam valeret.

Illustrissime Excellentissime D.ne! Haec sunt praecipua desideria et querelae Cleri et Populi Dioecesis Polocensis ac Ecclesiae Unitae. Benignas intende ad illas aures. Felix horum eventus magis magisque Unidos in obsequio et fidelitate erga Sanctam Sedem confirmabit. Ego vi injuncti mihi officii illa exponere audeo, iterum iterumque implorare unus nomine omnium.

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, D.ni Protectoris Munificentissimi, humillimus et intimus Servus et Cliens

JOANNES KRASSOWSKI,

Ss.mi D.ni Nostri Alumnus, Auditor Curiae, Consistorii Assesor, Proto-Presbiter Cathedralis et Ill.mi Archi-Ep.pi Polocensis Graeco-Uniti in negotiis illius Dioeceseos Procurator (mp).

S. Peterburg, d. 29 Mai, 1803 Anno.

#### 64.

*St. Petersburg, 5. IX. 1803.*

*J. Krasowskyj, Procurator Petropolitanus, nomine Administratoris Polocensis Gr. Kochanowicz petit Legatum Pontificium Arezzo pro dispensatione ab impedimento bigamiae interpretativae pro duobus candidatis ad Ordines: Symone Tolocki et Onisymo Chomski.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 85, nn.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime D.ne, D.ne Archi-Praesul dignissime, Protector munificantissime.

Ill.mus D.nus Gregorius Kochanowicz, nominatus Suffraganeus, Officialis, ac in praesenti Administrator Dioecesis Polocensis, litteris suis de die 13 Julii currentis anni, ex Officio datis, comendavit mihi, qua Archi-Dioecesis Procuratori, porrigerre supplicem libellum, et humillime petere Ill.mam Excellentiam Vestram, ut benigne, de Apostolica potestate illi communicata, largire digneris dispensationem a Bigamia interpretativa duobus hac irregularitate irretitis, ad statum autem spiritualem seriam vocationem habentibus; quapropter ego tum obsequendo praedictae obligationi, tum demum per se, qua Auditor Curialis Ill.mi Polocensis, certam habens notitiam de utilitate Archi-Dioecesis, ac urgente necessitate praedictae dispensationis, cum osculo pedum Illustrissimae Excellentiae Vestrae humillimas fundo praeces, ut ex benigna sua gratia, vi praeminentis sui Ministerii, duobus Dioecesanis Polocensibus et Ecclesiasticis, nominatim vero Symone Tolocki, et Onisymo Chomski, dispensationem in Bigamia interpretativa largire digneris, ordine ac fine, quatenus illi, sublata hac irregularitate, quam con-

traxerunt per matrimonium cum viduis honestissimis, ad statum spiritualem et ad Ordines Presbyteratus promoveri possent.

Rationes et causae, quae praebent motivum ad porrigendam praesentem petitionem, insertae inveniuntur in praememoratis litteris Ill.mi Suffraganei, quas in authentico cum translatione in linguam latinam hic adjungo, ad illasque, ex propria mea notitia, addere certas ac veras rationes rectum esse judico.

Ac 1<sup>a</sup> de Symeone Tolocki:

Illum nempe tum Collatores tum Parochiani ecclesiae Studzienensis, uti optime instructum, ac sibi dilectum sedulo desiderant ad praedictam ecclesiam habere Sacerdotem, et Parochum. Contrario autem casu, videlicet si hoc ipsis quacumque de causa denegeretur, ut multis exemplis edocti sumus, Parochiani facile possunt deflecti a religione; haec dein ex certa intelligentia characteris Populi, et aliis multis circumstantiis nostri Imperii, mihi optime notis.

De 2<sup>o</sup> autem, videlicet Onisymo Chomski: Multa ille et longo tempore passus est pro Sancta Unione; per aliquot enim annos detentus fuit in stric-tissimo carcere, ac cetera varii generis damna et afflictiones hac ipsa de causa sustinuit, attamen ad finem usque perseveravit, et suo laudabili zelo multis praebuit exemplum; quapropter juste meruit, ut Minister altharis, pro quo tam fortiter pugnavit, praeficeretur.

Ambo autem ex praedictis Aspirantibus, nullo alio canonico impedimentoo sunt irretiti, pollent perfecta scientia, unus filius Presbyteri Rutheni, alter liberi status et ex numero Ecclesiasticorum; hoc unum impedimentum, vide-llicit Bigamiae interpretativae, illis obstat quatenus promoveantur ad Ordines Presbyteratus. De dispensatione ergo praedictae irregularitatis, duobus praememoratis Aspirantibus ad statum spiritualem, tum nomine illorum, tum Parochiarum, quibus praeficiendi erunt, humillimam adfero petitionem Ill.mae Excellentiae Vestrae, et expectans ad effectum petitionis benignam resolutionem, cum incomparabili veneratione ac perfecto obsequio in semper maneo.

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi D.ni, D.ni Archi-Praesulis dignissimi, Protectoris munificentissimi, intimus Servus

JOANNES KRASSOWSKI,

Archi-Presbiter Cathedralis, Auditor Curiae et Consistorii Polocensis  
Uniti Assesor, Procurator generalis Archi Dioeceseos.

Archi-Ep.po Seleutiae, Legato Ap.lico. – Ill.mo, Excell.mo ac R.mo  
D.no, D.no Arezzo, 5<sup>a</sup> 7bris, 1803<sup>o</sup>.

## 65.

*Constantinopolis, 15. IX. 1803.*

*H. Lisowskyj, Peregrinus in Terram Sanctam: de sua peregrinatione, de sua promotione ad Archiepiscopatum, de dilatatione suae iurisdictionis in Russiam Albam, Volhiniam, Podoliam et Ucrainam tempore Catharinae II; de suis colloquiis tempore Pauli I cum orthodoxis; de perductione Unitorum ad Ritum Latinum; de participatione Unitorum in Collegio Ecclesiastico; de concordia cum Ecclesia Moscovitica dominante, in fundamento propositionum Sorbonensium; de missione Legati Pontificii Petropolim etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n. (textus mutilus).

Beatissime Pater.

Brevi gaudens tempore a Serenissimo Imperatore... (non) potui exspectare pro itinere Sanctitatis Vestrae benedictionem, quam postulavi per litteras Constantinopoli ultimis Junii datas; at interpretativa facultate veni Jerosolymam ad visitanda Sacra: Sepulchri Christi Domini, in Horto Gettacema... Sepulchri B.V. Mariae, in Monte Oliveto Ascensionis Domini, Bethleemis... Nativitatis Christi loca, quae a Fratribus Ordinis S. Francisci cum omni reverentia, decore et cultu custodiuntur. In... ad Domum Caenae Domini, ubi Christus Dominus Discipulis suis lavaverat pedes et Spiritus Sanctus supra eos descendit, in manu Turcarum degentem oclusam non permittitur peregrinis christianis aditus. Mons Olivetus, unde Christus Dominus ascendit ad coelos relictis in lapide sanctorum suorum pedum vestigiis, parvulam habet capellam, in qua propter Turcarum insolentiam nulla fieri potest congrua huic S. loco apparentia, muro tantum circumseptam, apertis semper januis.

Breviter innui illis meis litteris, quod ex Dioecesi mea sine speciali Senatus et Collegii Nostri Catholicci facultate nullam possum habere referentiam ad Beatitudinem Vestram in negotiis Pascuae meae undique afflictae, et ideo sicuti prius, ita et nunc extra limites Imperii nostri morans hac facultate tutius utor, et quod conscientia silentio praetermittere vetat, defero statum in quo erat ante, et nunc reperitur Archi-Dioecesis mea. Post secessum 1780 anno extra limites Imperii Rossiaci Illustrissimi Antecessoris mei Archiepiscopi Polocensis, piae mem. Jasonis Smogorzewski, ad Regimen Metropoliae Ritus nostri Uniti in Polonia degentis, spatio 4 annorum vacantis, sub regimine Consistorii a Throno instituti, cui hoc tempore ego (*ut*) Abbas Onuphiensis, praefui. Antequam evectus a. 1784 ad gradum Archiepiscopalem, multae numero fere ducentae ecclesiae ex Dioecesi Polocensi, cura spiritualium et saecularium haeredum, professionis Graeco-Orientalis, protectione traductae sunt ad Religionem Dominantem; causa autem huius diminutionis Archidioecesis Polocensis est haec: quod... ...to antecessori meo indignata... Catharina

II Imperatrix ...ratam sibi sine eius scitu... Metropoliam; ob quam causam ad consecrationem meam non praedictum Metropolitanum, sed coadiutorem eius Ill.um Episcopum Pinsensem, Gedeonem Horbacki,<sup>188</sup> provocare jussit. Post aliquot annos, tempore Missionis causa Incolarum in Wolhynia et Podolia habitantium, qui ex S. Unione ...siderabant ad ecclesiam Graeco-Orientalem, inceptae, omnes Dioeceses... Metropolia sub Regno Poloniae prius existentes cassationi subje... ...gioni Graeco-Rossiacae, quibus eiusdem Professionis assignati episcopi, excepta (nostra) Polocensi, quae etiam huic subjecisset sorti, si nullam propria cura et meritis apud Thronum invenissem gratiam et favorem pro servandis maiori saltem in parte ecclesiis. Siquidem durante eadem Missione in Lithuania et tota Rossia a Spiritualibus Graeco-Rossiacis procurata, multae parochiales ecclesiae cum Monasteriis Basilianis, Vitebscensi ...revensi, Lubavicensi et Skite... ...in fundationes penes Patres remansere, ad dominantem Religionem traductae sunt. Pars residua, post cassationem Dioecesum cum suis Episcopis in Volhynia, Podolia et Lithuania, Unionis, expresso Throni Rossiaci mandato commissa fuerat regimini meo, quod magnum mihi laborem, tam in visitandis parochialibus ecclesiis et Monasteriis, quam in proferendis litteris ad Gubernatores earum ditionum, ubi hae residuae Ecclesiae habuere situm, protulit difficultatem ad mortem usque Catharinae II.

Postquam in Thronum successit Paulus I, Imperator totius Rossiae, assignavit cura fel. record. Pii VI per suum Legatum hoc tempore Archiepiscopum Thebarum, Ill.um de Litta, pro Unitis duas dioeceses, Brestensem et Luceoriensem cum Episcopis, confirmata mea Polocensi, ex quo tempore aliqua videbar frui pace. Modernis autem temporibus hanc tranquillitatem, a potentissimo throno donatam in libera culibet secundum arbitrium Professione Fidei, multi Praepositi Ritus Latini et maxime Religiosi Monasteriorum quibus adnexa est cura animarum nulla autoritate, nulla potestate, nulla facultate, in contrarium tot Bullarum a S. Sede Apostolica editarum, Imperialium mandatorum et Collegii Catholici, cui praeest Ill.mus Metropolitanus Stanislaus Siestrzencewicz, qui post delationem archiepiscopi Mohiloviensis non Uniti Athanasii,<sup>189</sup> litteris suis expresse prohibuit transmutationem Ritus, disrumpere ausi sunt, libere ad Ritum Latinum pertrahentes ex S. Unione, quae in suo Ritu, caeremoniis et lingua Ruthena aequa examat et honorificat communem Matrem S. Catholicam Ecclesiam, id ipsum sapiens et profitens. Haec traductio Unitorum ad latitudinem, quam maxime opprimit

<sup>188</sup> Gedeon Daszkiewicz-Horbackyj, Episcopus Pinsensis (1769-1784), Coadiutor Metropoliae Kioviensis (1781-1784). Consecrator Archiepiscopi Polocensis Heraclii Lisowskyj, in praedio principis Gregorii Potemkin, anno 1784.

<sup>189</sup> Athanasius, Archiepiscopus Mohiloviensis non-Unitus.

et afflit cor sincerimi filii Matris nostrae Ecclesiae Sanctae (cuius ...cum omni reverentia ab omnibus... ...que servari, nec non deside... ac propagatio debet) et sine... ...a me ille disordo nullomodo potest... ...lum et damnum gregis, ...ex rusticis componitur, prodit. Damna... ...dem soli rustici, qui praete... ...am suam sclavonicam linguam quo... occupati labore, non dico latitatem, quam nullomodo possunt intelligere, sed nec linguam polonam possidere sunt in statu, plus, quam mille in tribus Dioecesisibus constituunt ecclesias Unitas. Quomodo ergo preces et cathechismum ad salutem necessarium possent calere in lingua aliena? Quae in vulgata non solum a Parochis, curam eorum gerentibus, sed a maioribus suis in pubertate ediscent; at nescientibus parentibus, consequenter nec liberi eorum scient, quae... paecepto scienda sunt necessario, maxime... oppressi paupertate... ...non adeuentes ecclesiam. Assueti ab antiquis temporibus... ...Ecclesia Unita peragentes, aegre omnino ferentes Latinas, et ipsam etiam... ...modi possunt capere, cum ipsi haeredes et nobiles scholas latinas parum... ...Festa, jejunia a S. Ecclesia paecepta patribus et protoparentibus in... ...in latino difficillimum agnoscere et servare. Ad suscipienda SS. Sacraenta... ...potest zelus et debita contrictio, praeter solam fidem, quae primaeviis temporibus imbuta est a suis parochis et maioribus adeoque nec proficere possunt in spiritualibus. Tandem (quod maxime opprimit cor meum) Praepositi latini, nulla facta deliberatione successus atque eventus, Unitos pertrahunt ad latitudinem. Nam plebani, canonici et caeteri curatores latini, assueti beneficiis insignibus et paebendis magnis, parochias transver... ...pauperrimis beneficiis, ex quibus parochi uniti magno labore et cura alimentum sibi... ...vita habuerunt, paezeros et fugere studebunt, curantes pinguiora et ditiora, ut vidimus... ...ere... illa vero propinquioribus ecclesiis 5 vel 4 millia distantibus certe adjungent; at haec distantia omnimodam parit incommoditatem occupatis semper labore, et praeterea paupertate et inopia oppressis. Unde evidenter patet, quod relict parochiani sine commoditate et servitio in spiritualibus, nescientes in qua parte invenire hoc spirituale solatium, vicinioribus ecclesiis Graeco Rossiacis, quae ubique propinquissimae sunt, accumulentur et assidentur; et consequenter propagabitur Ecclesia Graeco Rossiaca hac transversione, propter assuetudinem et proclivitatem Russorum tam ad Ritum et caeremonias notas, quam ad propinquas sibi ecclesias. His tamen, quae in rusticis non eruditis eventura sunt, non paevisis damnis viscera Matris Ecclesiae disrumpentibus, audaciter Curati latini non solum ruditatem, sed ipsos etiam minoris ingenii Presbyteros seducte pertrahunt, ob causam non nisi, ut ampliarent in Imperio Rossiaco Ecclesiam suam, quae in profitentibus longe minor est nostra unita, quae plus, quam 1000 in tribus Dioecesisibus cum ecclesiis constituit Parochias, quarum quaelibet seorsim sumpta ex personis ultra 1000 componitur. Quod ex nostris parochianis curant ampliare

in suo Ritu ecclesias, praxim iam habemus in Urbe Orsa, ubi aliqua parte seductis ex eius districtu Unitis (de quibus cura Spiritualium Graeco Rossiaceorum procurata inquisitio, iudicio saeculari cum nostris delegatis peragebatur praeterito anno), constituerunt 4 parochias penes monasteria Religiosorum, ut Decanus Orsensis possit creari novus. Inde modo apparet, quod ideo tempore institutionis regulaminis pro Catholicis, mandato Serenissimi moderni Imperatoris praeceptae, curabant Latini, ut ex S. Unione nullus sit in Collegio Catholico Petropoli non solum con-judex, sed nec delegatus, qui posset omnia fausta S. Unioni procurare.

Utinam hanc persecutionem S. Unionis, hunc disordinem et damna, brevissime hic enarrata(?), multis gravioribus absurdis praetermissis, ultimaret Beatissimus Pater, depraecamur (humil)lime. At non alio quopiam modo finire posset, nisi inchoata anno 1717 tractatione... ...Ecclesiarum Graecae cum Romana a Sorbonensi Academia, quae transeunte Parisiis Petro Magno, Rossiae Imperatore, ad manus illius dedit Apologiam Graeco Rossiacos ad unionem cum Romana Ecclesia invocantem. Haec Apologia non abjecta, sed acceptata a Spiritualibus Graeco Rossiacis, ad quam respondentes anno 1720 inter caetera haec scripserunt: «Sine scitu et recursu ad Patres Spirituales non possumus propria authoritate... ...Ecclesiae Romanae, quia soli non... ...Ecclesiam». Quod facilime Beatissimus (Pater) ad effectum perduceret, si vellet eo... ...in Republica Galliae, ubi Religio... ...extincta et explorata fuerat, invenit (modum) faciendum concordatum, quo Dogmata Christianitatis suscepta et propagata sunt, tractare per Legatum suum, Ill.mum Archiepiscopum Seleuciae Arezzo, cum Serenissimo Imperatore nostro, ut Spiritualibus suis iniungeret et praeciperet reseratam Ecclesiarum Unionem mutuo nobis cum Latinis sermone atque allocutione restaurare; quam defunctus Paulus I, Imperator Rossiae, videbatur desiderare. Modernus autem,<sup>190</sup> facta a Sanctitate Vestra referentia, procul dubio ad effectum perducet, si Spirituales tam Graeci, quam nostri et Latini Antistites concordentur, salva in omni Beatitudinis Vestrae approbatione. A qua concordia, ut audivimus in Insula Chios a Catholico Episcopo, Ill.mo Timoni, Metropolita... illius insulae, Graecus non est alienus; et caeteri Graeci in Oriente degentes certe... ...hac peregrinatione... omnium fere Graecorum cognovi animum... ...Herosolymita... aspirare ad Rossiam, utpote... ...qua consentient... nullum certissime ex parte eorum esset obstinatio... ad faciendam Unionem. Hanc sententiam omnibus Rossis, tam Saecularibus, quam Spiritualibus, saepissime a me propositam, et nunquam ab illis abjectam, quam sub pedes Vestros subjicio, dignetur Beatissimus Pater libentissime suspicere

---

<sup>190</sup> Alexander I Paulovič (1801-1825).

et attendere, quid Ecclesiae Nostrae Unitae eveniet, ad quam Rossi non venient ob dominantem suam Religionem, Latini autem curant diminuere, si in praesenti statu diutius permanebit, et non succedet illa optabilis Unio, de qua inchoanda, ante egressum meum ad Palestinam, deque numero Sacerdotum saecularium, ecclesiarum et parochianorum, monasteriorum Ordinis S. Basilii Magni, utriusque sexus, et personarum in illis degentium, scripsi ad Ill. *mum Legatum ... Archiepiscopum Seleuciae Petropolim*, per Procuratorem a me missum,<sup>191</sup> ut latius omnia enumeret, quae hic brevitatis causa partim solum enarrata damna, quibus Ecclesia nostra affigitur, defero extra limites Imperii morans; ideo, quia ex nostra Patria nullam, ut innui, licet mihi habere referentiam ad Beatitudinem Vestram, non adepta a Senatu et Collegio nostro facultate, et omnia descripta illis debo praesentare. Ego autem nollem, ut hae querellae inter nos et Latinos paterent Senatui, ex personis Graeco-Rossiacis composito; at Collegio certe non placerent, cui adsunt illi Praepositi, qui ad diminutionem Unionis incumbunt, relictis nostris tribus Dioccesibus sine Judice et Procuratore in hac Spirituali Magistratura, adeoque nec concederent mittere praesentes litteras, sed imo multum indignarentur pro verissima hac omnium eventuum delatione mea Beatisimo Patri, ut Capiti Ecclesiae nostrae Catholicae, a quo omnia fausta et prospera debemus sperare. Spes, quam in Vesta pro felicitate Ecclesiae cura pono, certe non me fallet in protectione, quam humillime explorans, debitus Exorator cum tota mea grege ad extrema vitae esse desidero. Cum hac intentione, cum qua in primo ecclesiae SS. Sepulchri Domini, in Capella improperiorum, secundo autem aditu in Monte Calvariae pro salute Beatitudinis Vestrae, nec non felici Regimine et Unione S. Catholicae Ecclesiae, devotissimas in Missis solemniter celebratis, ad Salvatorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum profudi orationes.

Beatitudinis Vestrae quotidianus ad Deum ... tor atque humillimus Servus.  
Constantinopoli, 15. 7-bris 1803.

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Beatissimo Patri Pio VII, Pontifici Maximo, Romae.

## 66.

(*Petropolis*), 26. IX. 1803.

*Plenipotentiarius Polocensis Legato Apostolico de mutatione cuiusdam scholae puellarum Minscensium in Seminarium: brevis historia scholae et conaminum eius transmutationis: rationes projecti et motiva.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 85, nn.

---

<sup>191</sup> Per Joannem Krasowskyj, qui erat Procurator Archiepiscopi Petropoli.

Status Causae, a me Plenipotentiario Archi-Dioeceseos Polocensis inchoatae,<sup>192</sup> ordine instituendi in eadem Dioecesi Seminarium ex redditibus, quibus nunc sustinetur schola puellarum, ad monasterium Monialium Ordinis S.B.M. Orsanense, instituta;

1º Defunctus Imperator Paulus I,<sup>193</sup> introductis monachis Gallicanis Ordinis Trappensis ad Imperium Rossiae, supreme et proprie mandavit, pro sustentatione illorum solvere tributum monasteriis catholicis, sitis in Imperio Rossiae; ad effectum ergo hujus mandati, monasteriis Basiliyanorum Unitorum Dioecesis Polocensis, facta ordinatione per Excell.mum Metropolitanum Siestrzencewicz (cui huius negotii cura commissa fuit) injunctum erat quolibet anno solvere 4.500 Rublonum Russicorum pro sustentatione memorati Ordinis.

2º Dimissis autem his monachis Trappensibus extra limites Rossiae, idem defunctus Imperator aº 1800, mensis Augusti 10º die, oretenu significavit, ac mandavit, ut ex illis redditibus tunc jam vacantibus (videlicet ex Tributo quem solvebant Bazyliani Trappensibus) institueretur schola pro educatione aliquot puellarum; quapropter Archi-Ep.pus Polocensis unitus, adimplendo hanc supremam voluntatem, scholam pro puellis instituit in Urbe Orsa, ad monasterium Monialium O.S.B.M., quae hucusque perseverat, et Bazyliani Dioecesis Polocensis quolibet anno solvunt Tributum 4.500 Rublonum Russic., quibus illa sustinetur; et triginta puellae in illa educantur, ordinariis, et sui sexus propriis scientiis.

3º Post elapsum tamen integrum annum ab institutione praedictae scholae, videlicet aº 1801º, Archi Ep.pus Polocensis, considerando, quod haec schola tam magnis redditibus sustentata, parvum facit publico bono fructum, et in simul prae oculis habendo incomparabiliter majora commoda, et utilitatem Patriae ac suaे Dioecesi, si ex illis redditibus, loco scholae praedictae, institueretur Seminarium in illius Dioecesi, fecit projectum mutationis hujus scholae in Seminarium, illudque retulit ad Romanum Catholicum Collegium, ac ab illo petiit, ut hoc suum projectum Collegium praesentaret et exponeret pro obtainenda confirmatione ubi de jure; sed obtento negativo responso, anno praesenti mittens me ad hanc Almam Urbem, mandavit mihi, qua suo Plenipotentiario, renovare praedictum projectum, et curam gerere apud Ministrum seu Praefectum studiorum Comitem Zawadowski, videlicet ut loco praedictae scholae institueretur Seminarium, ad quem Ex-

---

<sup>192</sup> Agitur de Pleni-potentiario, qui erat forsitan Joannes Krasowskyj, qui simul et Procurator Petropoli erat. Postea Archiepiscopus Polocensis (1811-1826).

<sup>193</sup> Paulus Petrovič I (1796-1801). Successit post obitum Catharinae II die 6 Novembris 1796; obiit a suis militaribus aulicis die 12 Martii 1801 occisus; ei successit eius filius Alexander I Paulovič (1801-1825), qui obiit 19 Novembris 1825.

cell.mum Comitem et speciales hac in materia dedit suas litteras, implorando illius gratiam erga negotium desuper memoratum.

4º Ego, Plenipotentiarius, obsequendo Mandato mei Archi-Praesulis, nomine illius porrexvi supplicem libellum ad Comitem Zawadowski, in quo, renovando projectum Archi-Ep.pi, imploravi ut Excell.mus Comes faceret subditissimam expositionem Majestatui, et impetraret supremam voluntatem, ut loco scholae praedictae, et ex illius redditibus institueretur Seminarium in Polocensi Dioecesi et ad aedes Cathedrae illius.

5º Excell.mus Comes Zawadowski, perscrutata hac integra causa, remisit meam petitionem ad Celsissimum Principem Czartoryiski, mihiique dedit resolutionem ut sequitur: « Quoniam Dioecesis Vestra Polocensis est in Districtu Academiae Vilnensis, cuius Curator et Protector est Princeps Czartoryiski, quapropter ille prius perscrutabit omnes rationes, circumstantias, et causas, hujus negotii; ego ab illo expectabo representationem, qua recepta omnia libentissime faciam, Tu autem nunc ad illum recurras ». Ad effectum ergo hujus resolutionis mihi datae, faciebam ego aliquoties recursum ad praedictum Principem Czartoryiski, porrexvi illo adhuc specialiter binas petitiones hac ipsa in materia, in quibus id omne elucidavi et descripsi quidcumque illam tangere potest. Ante aliquot tamen dies, Secretarius Principis Czartoryiski nomine illius mihi significavit, quod Princeps hoc negotium suspendit, et effectum illius ulteriori tempori relinquit. Hac ante resolutione sciens me spe constitutum in ambiguitate, et ignorans quando et quomodo finem accipere, hoc tam longo tempore agitatum summi momenti negotium, humiliter recurro ad Illustrissimam Excellentiam Vestram et ex intimo cordis fundo meas preces, ut Illustrissima Excellentia Vestra licet unum verbum digneris celsissimo Czartoryiski dicere hac in materia, hoc nempe pretendens, ut ille memoratum negotium, uti ab illius sententia in praesenti dependens, sine mora finire, et ad effectum petita perducere digneretur. Rationes autem, quae juvant ut hoc projectum sortiretur suo effectu, videlicet ut haec schola puellarum mutaretur in Seminarium, et quas ego in multis meis petitionibus descripsi, sunt haec praecipuae:

1ª. – Defunctus Imperator, volens institui hanc scholam pro puellis, non praetendebat aliud, quam publicum commodum; illud autem majus esset, si illa mutaretur in Seminarium, hocque modo majori effectu satisficeretur intento Imperatoris.

2ª. – In Dioecesi Polocensi nullum invenitur Seminarium pro educatione ordinandorum.

3ª. – Mutata haec schola in Seminarium, millies majora ex illo commoda profluerent non modo in Ecclesiam verum et in patriam: 40 enim ex hac summa possent sustentare et educare Seminaristae; tantus autem numerus

sufficeret pro universa Polocensi Dioecesi. Educati autem Sacerdotes, seminarent in cordibus Rusticorum scientiam morum.

4<sup>a</sup>. – Uti fons ignominiae Ecclesiasticorum est ruditas; ita decor ac gloria illorum est scientia; adeoque incumbit curare, unde illam aquirant.

5<sup>a</sup>. – Injuriosum ac detestabile est Ordini S.B.M., quod illi solvunt tributum pro educatione puellarum, nulla autem esset ignominia si illud mutaretur pro Seminario, siquidem ad hoc maxime esset proficuum Ordini, siquidem multi Seminaristae habentes vocationem possent amplecti statum religiosum.

Quapropter illa, ac ceterae etiam rationes et motiva, quae exposui in multis meis petitionibus, robur dant proposito, ut haec schola puellarum, quae in praesenti sustinetur in urbe Orsa ad monasterium Monialium O.S.B.M. ex redditibus 4.500 Rublorum Russicorum, qui ex monasteriis Basiliatorum Albae Russiae quolibet aº colliguntur, ut inquam haec schola muteretur in Seminarium Dioecesanum. Seminarium autem illud commode, et in splendore Cathedrae Polocensis posset institui, ad aedes illius.

Ad hanc mutationem scholae praedictae in Seminarium facile annueret Augustissimus Imperator, utpote Amator scholarum, si Celsissimus Princeps, posita sua sententia, concreto ordine id Majestatui exponeret.

7br. 26 die, 1803º Aº.

## 67.

*Onufrey, XII. 1803.*

*Heraclius Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis Legato Pontificio gratias agit pro actis in favorem Ecclesiae Unitae, praesertim de creatione Collegii Ecclesiastici Petropolitani nec non Capituli ad Cathedralem Polocensem.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Illusterrissime, Excellentissime Domine!

Reversus, gratia Dei, ex Palestina 21. 9bris ad Pascuam meam felix, in omni Ditionum Turcicarum loco tutus, et multum sub magno Serenissimi Imperatoris nostri ALEXANDRI nomine honorificatus, primo mihi habeo debito Excellentissimum Dominum Legatum Apostolicum omnia fausta et prospera S. Ecclesiae nostrae Catholicae, et praesertim S. Unioni procurantem, certum praesentibus reddere, et humiliter postulare, ut si Regimen, quod nos ex Mandato Imperatoris nostri edito 4 Julij inferimus, independens a Collegio, propter restituendam pacem et tranquillitatem, ex personis Unitorum compositum instituetur cura Excellentissimi Domini paenes Cathedram Polocensem, utpote vacante sede Metropolitana unita, omnia munera et officia secundum Instituta subministrantem confirmatum sit. Hoc donum

regenerans Unitos, undique afflictos, multiplicabit in diem debitum, cum quo volo permanere.

Illustrissimi, Excellentissimi, Reverendissimi Domini, Protectoris Amplissimi, humillimus Servus et ad Deum Precator

HERACLIUS LISOWSKI, Archiepiscopus Polocensis.

Ex Monasterio Onufriensi, anno 10bris 1803.

## 68.

(*Petropolis, VI. 1805*)

*Heraclius Lisowskyj principi Golitzin ecclesiam Unitam commendat defendandam a Latinis, de provisione novi Metropolitae, etc.*

TOLSTOY D., *Le catholicisme Romain en Russie*, vol. II, Paris 1864, annexe nr. 24, pag. 510-514.

En juin 1805, l'archevêque de Polotsk, Héraclius Lissowsky, écrivit au prince Galitzin:

« Encouragé par la justice et la générosité de Votre Excellence, si notoirement connues de tout le peuple, ainsi que par la bienveillance avec laquelle vous avez voulu bien défendre la cause si juste des Grecs-unis dans leur affaire, qui est parvenue jusqu'à l'anguste trône, au sujet des persécutions qu'ils endurent des Romains, — je prends la liberté d'importuner encore la personne de Votre Excellence, par ces lignes, dans la même affaire, qui est suffisamment connue de Votre Excellence, comme l'archiprêtre Krassowsky, mandataire de mon diocèse à Saint-Pétersbourg, durant les années 1803 et 1804, a eu le bonheur d'implorer la protection et le secours de Votre Excellence. Le but de ma présente prière consiste en ce qui suit: Après avoir exposé à Votre Excellence l'état actuel de l'Église grecque-unie, mes réflexions sur l'avenir, implorer au nom de tous les Grecs-unis l'appui et l'influence de Votre Excellence dans toutes leurs affaires générales dans les cas où Votre Excellence jugera convenable d'intervenir.

« L'ordonnance suprême du 12 juillet 1804, émanée au sujet de l'affaire des Grecs-unis, donna à cette Église une nouvelle existence et l'éleva au degré de dignité conforme aux priviléges de son rite; le clergé latin voyait avec indignation cet état heureux des Grecs-unis, en se persuadant qu'il perdait le droit de les opprimer et de les persécuter, comme il l'avait fait durant les deux siècles précédents et s'efforça par tous les moyens possibles, particulièrement avant l'arrivée des députés grecs-unis au collège, d'attirer la vengeance sur les Grecs-unis pour leur hardiesse d'avoir osé, dans leur oppression extrême et au milieu de toutes les offences qu'on leur faisait endurer, se placer sous l'égide de la justice et de la clémence du monarque vertueux. C'est mon

diocèse qui eut le plus à souffrir avec une douleur inexprimable de toutes ces calamités, étant le premier objet d'indignation pour le clergé latin à cause des plaintes portées au gouvernement, et quelques-unes des mesures du clergé catholique eurent même un succès complet, à la profonde douleur des Grecs-unis; ainsi: 1<sup>o</sup> Dans différentes parties du diocèse furent nommées des commissions d'enquête directement par le collège catholique romain, sans nécessité aucune, sur un simple soupçon; la suite démontra que ces commissions n'apportèrent aucune utilité, ne découvrirent rien d'important et n'étaient qu'à charge aux employés diocésains par leurs courses continues, en leur occasionnant par là beaucoup de pertes. 2<sup>o</sup> Dans plusieurs prescriptions du collège on me faisait des menaces blessantes, même au mépris de ma dignité. 3<sup>o</sup> Plusieurs décisions du collège dans différentes affaires des Grecs-unis ont statué à notre détriment des jugements, dont quelques-uns ne pouvaient même convenablement être mis à exécution. Et enfin en me blessa successivement par la licence accordée aux subordonnés de porter plainte contre leurs supérieurs, quand même ces plaintes n'étaient basées sur rien. Quoique de pareilles prétentions de l'autorité catholique aient diminué tant soit peu depuis l'arrivée au collège grec-uni des assesseurs et des membres, elles n'ont point cessé encore entièrement, car le collège avait par toutes ses résolutions préalables arrangé toutes les affaires grecques-unies, de sorte que son système fut suivi même pour leur conclusion, et c'est pourquoi il fut impossible aux députés grecs-unis de changer quelque chose que ce fut et ils n'eurent aucune voix d'après les lois générales à ce sujet. Quant aux affaires nouvellement entrées, les députés grecs-unis se voyaient forcés de soutenir des discussions avec les Romains pour défendre leurs opinions et leurs voix, quand il s'agissait de parler en faveur et pour la défense des Grecs-Unis; en outre, il se voyaient exposés aux offenses ordinaires. Une pareille situation des Grecs-unis, obligés de souffrir et de supporter les animosités des Romains, se trouvant outre cela dans un péril incessant de leur part, combien ne leur fait-elle pas de tort et n'entraîne-t-elle d'abaissement pour eux? Combien de lenteur aussi dans la décision des affaires, et par là quel retard à leur accorder justice et à les défendre!

« Et c'est une raison équitable pour les Grecs-unis de regretter que le projet de leur donner une administration particulière sous la surveillance et la protection de Votre Excellence n'est pas réalisé, et s'ils remettaient entre ces mains leur sort, ils parviendraient au bonheur, à la tranquillité et à une félicité parfaite. Actuellement, les Grecs-unis, se trouvant au même collège avec les Romains, rencontrent non-seulement des difficultés dans la juridiction, mais ils doivent, en outre, surmonter plusieurs difficultés que leur opposent les Romains dans leurs présentations et dans leurs démarches qui se rapportent à l'ordre et à la défense de leur Église, ce que maintenant

encore l'autorité catholique vient de prouver, car, quand, à la mort de Rostozki, métropolitain grec-uni,<sup>194</sup> j'eus le bonheur de faire la présentation au gouvernement (laquelle affaire est actuellement transférée au ministère de la justice) selon l'ordonnance de la diète de Zamosc,<sup>195</sup> confirmée par le pape Benoît XIII, en 1724, — qu'en cas de mort du métropolitain grec-uni, l'archevêque de Polotzk soit appelé à le remplacer; c'est pourquoi j'implorais aussi l'autorisation suprême à remplir cette fonction en ce qui concerne l'autorité spirituelle, à l'exclusion du titre de métropolitain de Kiew et de Galiz, ce qui aurait pu blesser le métropolitain orthodoxe, — dans ce cas-là comme dans les autres, l'autorité catholique ne manqua point de faire des difficultés, ce qu'elle manifesta en faisant une présentation opposée, en alléguant et prétendant que l'autorité spirituelle du métropolitain grec-uni est abolie pour toujours, et que, par conséquent, je n'avais point à demander son rétablissement. Mais pourquoi l'autorité catholique ne cite-t-elle aucune loi? Elle n'a fait cela que dans l'intention que tous les Grecs-unis fussent soumis à l'autorité spirituelle du métropolitain romain en Russie,<sup>196</sup> qui n'y a, toutefois, aucun droit, car, 1<sup>o</sup>, les Grecs-unis dans leurs droits, coutumes, rites, dans leurs institutions ecclésiastiques et dans toute leur composition, ainsi que dans leurs dignités, ne sont que des Grecs; et comme ceux-ci, lors de leur alliance avec l'Occident jusqu'au neuvième siècle, n'étaient en rien soumis directement à l'autorité des Romains, mais étaient toujours gouvernés immédiatement par leurs patriarches d'Orient, c'est pourquoi aussi les Grecs-unis, qui, en 1595, conclurent avec le pape Clément VIII une union ecclésiastique et formèrent un corps spécial, en se soumettant en toute chose à l'ancienne alliance des églises, ne sont nullement et en rien subordonnés à l'autorité du métropolitain latin, et, lors de l'union avec le pape, c'était le principal souci des Grecs-unis, afin de conserver leur indépendance, ce qui fut aussi confirmé alors; et toute l'autorité patriarcale sur les Grecs-unis, particulièrement en ce qui concerne la nomination des évêques et des archevêques, la visite des diocèses, la réorganisation de la discipline ecclésiastique, ainsi que d'autres franchises ecclésiastiques, furent dévolues aux métropolitains. C'est pourquoi aussi les papes, à commencer par Clément VIII, ne se permirent jamais, en leur dignité de patriarches de l'Occident, de porter la moindre atteinte aux Grecs-unis, ce que l'autorité catholique, comme nous l'avons dit plus haut, ne remplit pas actuellement. D'ailleurs, dans un acte pareil, l'autorité catho-

<sup>194</sup> Metropolitanus Theodosius Rostockyj obiit Petropoli 25 Januarii 1805.

<sup>195</sup> Synodus Zamostiana an. 1720, confirmata a Benedicto XIII, die 19 Julii 1724, Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, pag. 49-50, nr. 660.

<sup>196</sup> Archiepiscopo Mohiloviensi Stanislao Siestrzencewicz (1782-1826).

lique ne porte aucune attention sur ce que ma présentation est basée sur la teneur exacte des lois, et n'avait pour but unique, non de me procurer quelque privilége personnel, mais de défendre le premier droit des Grecs-unis et le bien de l'Église qui, par la permission que je demande, verrait tous ses besoins ecclésiastiques accomplis, sans aucun concours de l'autorité extérieure. Or tout cela prouve que l'autorité catholique romaine en Russie ne cessera pas de violer les droits et de s'opposer à l'organisation voulue des Grecs-unis, tant que ceux-ci n'auront point leur gouvernement et leur autorité, et par là seront exempts de toute dépendance de Rome. A l'appui de ces preuves, j'ai l'honneur d'exposer encore à l'examen sage et pénétrant de Votre Excellence, que l'autorité catholique romaine, par la licence qu'elle accorde à l'autorité locale des diocèses, comme autrefois elle coopéra à répandre le bruit de l'abolition de l'union, et contribua par là à la conversion d'une grande partie du peuple de la Russie Blanche de l'union au latinisme: de même actuellement elle retient par des moyens inconcevables et antilégaux ainsi que par des subterfuges, ces Grecs-unis convertis dans un rite inconnu et incompréhensible pour le bas peuple. En outre, l'autorité catholique, à la plus grande offense des Grecs-unis si humiliés déjà, en cachant la cause naturelle de la conversion d'une si grande partie du peuple, accuse le clergé grec-uni auprès du gouvernement, comme nous le savons positivement, d'avoir porté le peuple, par leurs demandes et extorsions exagérées pour les cérémonies religieuses, à une pareille conversion au rite latin. 1<sup>o</sup> Jamais à aucune autorité on ne porta de plaintes à ce sujet, comme cela aurait été nécessairement le cas, si l'accusation était fondée, on n'en entendit jamais parler durant la conversion même, mais après, et cela provenait des Romains; 2<sup>o</sup> des lois claires sur cette matière et une bonne inspection des seigneurs sur leurs paysans n'auraient-elles donc point été en état de s'y opposer? D'ailleurs, cette conversion nombreuse a été faite en une année seulement, et cela dans le rite romain encore, dont le clergé, vu sa position florissante, attache un plus grand prix pour ses services que les prêtres grecs-unis qui, demeurant ordinairement avec tout leur chapitre sur un espace de 36 désiatines de terrain de l'Église, ont à peine de quoi se nourrir; enfin cette injuste calomnie du clergé grec-uni qui se manifeste encore par là, qu'avec la conversion du peuple grec-uni, on est parvenu encore à convertir par la séduction quelques prêtres qui, comme autrefois, remplissent les cérémonies religieuses de leurs paroissiens, et sont non-seulement tolérés à leurs cures par les Romains qui, d'après ce qui a été dit plus haut, auraient dû les éloigner pour alléger les paroissiens, mais y sont retenus violemment, parce qu'ils séduisent plus facilement le peuple et le retiennent dans le rite latin; car ces prêtres (ce dont je me suis convaincu par un examen personnel et par les renseignements recueillis dans le diocèse), par le seul sacrifice sur le pain des azymes et par le même enseigne-

ment de la sainte eucharistie aux paroissiens, se considèrent, eux et le peuple, comme passés au latinisme; toutes les autres cérémonies, ils consentent à les célébrer d'après le rite grec-uni, de même que le service divin, et cela 1<sup>o</sup> à cause de l'ignorance de ces prêtres de la langue latine et des cérémonies romaines; 2<sup>o</sup> surtout parce que le peuple, habitué de tout temps aux cérémonies de l'Église grecque qui lui sont compréhensibles, jamais n'aurait consenti selon sa conscience à les abandonner et à adopter le rite latin avec tous ses accessoires, s'il n'y avait été amené par toutes les ruses, tous les subterfuges du clergé latin, et par sa bonté et son ignorance.

« Mais de pareils actes du clergé latin et l'aurotisation à cet effet de son autorité, dans toute son étendue, se proaduisent avec un mépris marqué pour les lois ecclésiastiques générales. En outre, un pareil mélange dans la hiérarchie de l'Église présente un scandale public et offre le prétexte à chaque particulier de changer les ordonnances des saints Pères et des conciles oecuméniques et cela surtout à la grande offense et humiliation de l'Église orthodoxe, car ces cérémonies grecques-unies (que les prêtres convertis enseignent lors des offices religieux au peuple attiré à la sainte eucharistie d'après le rite latin) sont introduits par condescendance pour leur rite et pour y retenir les gens simples, ce qui est un surplus de crime. L'affaire à ce sujet ainsi que concernant d'autres objets, portée de mon diocèse auprès du gouvernement et qui, jusqu'ici, s'y traite encore, me donne l'espérance que de pareilles violences arbitraires, que tous ces abus ne resteront point impunis et seront abolis et que mon diocèse, parvenu par là à un grand degré de désorganisation, recevra une satisfaction complète, et que les brebis de mon diocèse seront réunies en un seul troupeau; mais si, contre toute attente, par quelque considération, on voulait, lors de la décision de cette affaire, conserver le peuple et le clergé grecs-latins convertis comme appartenants au rite latin, dans ce cas, par devoir de ma conscience ainsi que pour défendre la sainteté et la dignité du rite grec, auquel je suis sincèrement attaché, je devrai prendre des mesures actives pour mettre fin aux abus qu'on fait des cérémonies grecques en les mêlant au culte latin; et l'autorité latine devrait, à cet effet, placer dans les paroisses converties des prêtres qui connaissent à fond leur rite, d'après lequel ils devraient aussi administrer à leurs paroissiens les secours de l'Église, sans employer aucune des cérémonies grecques. Mais, dans une pareille situation, le bas peuple pourrait-il s'habituer à des cérémonies d'église incompréhensibles et nouvelles, ainsi qu'abandonner celles qui lui sont transmises par ses aîeux et qui se sont presque tout à fait établies dans leur paroisse? Certainement, des incohérences en sortiront, et le même peuple, dont je connais suffisamment l'état local, ne manquera pas de faire tous ses efforts pour revenir à son rite d'Église primitif. C'est pourquoi, en prévoyant de pareilles suites et sachant positivement les mauvaises dispositions des Ro-

mains d'ici à notre égard et leur tendance constante à opprimer les Grecs-unis, et, après avoir présenté les principales preuves, j'ose prier Votre Eminence de daigner porter votre bienveillante attention à ma présentation et, si cela est possible, d'en faire le rapport auprès de l'auguste Trône.

## 69.

(Rome) 1806.

*De titulo Metropolitani « Kioviensis et Haliciensis », et de sua iurisdictione in episcopos Galiciae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 19, fol. 74rv.

Bramerei schiarito dall'Archivio di Propaganda il seguente dubio.

In tutti gli Atti relativi al Metropolitano di Kiow si nomina questo Arcivescovo, o Metropolitano Kioviensis, et Haliciensis.

Nella lettera però dell'Imperatore d'Austria,<sup>197</sup> diretta a Sua Santità sotto li 11 Settembre 1806, quantunque si dà al Metropolitano di Kiow lo stesso titolo di ambedue le Chiese, tuttavia nell'elenco degli altri Vescovadi Ruteni della Galicia, ove si nomina il Vescovo Ruteno di Leopoli, anche a questo sì dà, e si dice competere il titolo di Vescovo di Leopoli, e di Halitz, come dal di contro testo (Perdentes itaque Clerum, et fideles Ritus Greco-Catholici per Districtum Halicien. Episcopo ejusdem Ritus Leopolen. subiectos; esse, eumdemque Episcopum Leopoliensem Haliciensis simul Episcopi titulo gaudere), e si suppone che il Vescovo di Leopoli governi i Greco-Catholici del Distretto di Halicz, quando nella nota del Cavaliere Lebzelten si suppone, che allorquando furono unite le due Metropoli di Kiow, e Halitz, al Metropolitano di (f. 74v) Kiow ricadesse la cura anche della Chiesa e Cattolici di Halitz.

Questa contraddizione, forse soltanto apparente, si desidera schiarita.

(A margine):

Halitz era Città Arcivescovile;

Il Metropolitano di Kiovia, s'intitola altresì di Halitz. Si trova ora Halitz unita all'Arcivescovato di Leopoli, che fu fatta Sede Arcivescovile in luogo di Halitz, l'anno 1414.<sup>198</sup>

Bramo altresì schiarimento sul seguente oggetto.

<sup>197</sup> Imperator Austriae Franciscus II (1792-1806).

<sup>198</sup> Metropolia Haliciensis existebat annis 1301-1347. Agitus hic de Metropolia latina.

L'Arcivescovo di Kiow è stato sempre il Metropolitano dè Vescovi Ruteni della Galicia. Perchè, secondo l'Ukase dell'Imperatore delle Russie, la giurisdizione di sudetta Metropolia si dà all'Arcivescovo di Polosko?

(*A margine*): – Perchè l'attuale Arcivescovo di Polosko è stato dichiarato Metropolitano dall'Imperatore delle Russie.<sup>199</sup>

La S. Sede ha aderito a questo Ukase, che è quanto dire ha conferita tal giurisdizione all'Arcivescovo di Polosko?

(*A margine*): Non mai!

Leopoli è lo stesso che Lamberg?

È lo stesso.

---

<sup>199</sup> Nominatus Metropolita Unitorum in Russia ab Alexandro I, die 24 Julii 1806.

**EPISTOLAE GREGORII KOCHANOWICZ  
Metropolitae Kioviensis**

**(1809 - 1814)**





**GREGORIUS KOCHANOWICZ**  
**Metropolita Kioviensis (1809-1814)**



## GREGORII KOCHANOWICZ BIOGRAPHIA

Morendo Metropolita Unitorum in Russia Lisowskyj petuit ab Imperatore Alexandro I in Augusto 1809, ut suum successorem in Metropolia nominaret Gregorium Kochanowicz, episcopum Luceoriensem et iam die 3 Octobris 1809 Kochanowicz obtinuit nominationm in «Metropolitam Ecclesiarum Unitarum in Russia», in qua remansit usque ad annum 1814, administrando simul eparchiam Luceoriensem.

De Gregorio Kochanowicz paucas tantummodo habemus notitias biographicas. Natus est ante annum 1750 in Russia Alba, ut filius sacerdotis. In loco nativo forsan etiam studia obiit minora. Philosophiam et theologiam absolvit forsan Vilnae, ubi anno 1753 Benedictus PP. XIV s.d. Seminarium Vilnense iterum Ecclesiae Unitae destinavit, exdividendo Alumnos in diversas eparchias. Absoluta theologia, ordinatus fuit sacerdos celebs, forsan a suo episcopo J. Smogorzewskyj et ab anno 1777 Archieparchiae Polocensi in variis officiis inservivit; Heraclius Lisowskyj hoc suo adiutorio inde ab anno 1784 utebatur; loquitur Lisowskyj de eius scientia in theologia morali, historia et iure canonico; erat longo tempore Parochus Holovczynensis; ex officiis maioribus primum fuit Decanus, dein Iudex surrogatus, membrum Consistorii, et Officialis Archieparchiae Polocensis temporibus H. Lisowskyj, praesertim postquam ei a Catharina II etiam reliquiae Ecclesiae Unitae in Lithuania, Volhinia, et Ucraina, post sublatam Hierarchiam unitam an. 1795; in suis litteris anno 1798 ad Legatum Apostolicum J. Litta, H. Lisowskyj multa de Kochanowicz laudabilia scribit, postquam eum in suum Suffraganeum et Coadiutorem proposuit, tum in Departamento Ecclesiastico Petroburgensi et a Paulo I nominationem obtinuit. Die 20 Septembris 1798 Kochanowicz habitum Basilianum et tonsuram monasticam e manibus H. Lisowskyj obtinuit nec non novitiatum inchoavit, a Synodo Zamostiana praescriptum, ne ei exinde quaedam difficultas opponeretur. Anno 1799 in Januario Processus canonicus de eius vita in parte compilatus fuit. Anno 1803, quando H. Lisowskyj in Terram Sanctam peregrinationem faciebat, Kochanowicz Administratorem in Archidioecesi Polocensi obibat. Sed neque tunc Kochanowicz consecratus fuit in episcopum, non obstantibus novis instantiis tum Heraclii Lisowskyj, tum eius Procuratoris J. Krasowskyj Petropoli. Tantummodo post mortem Theodosii Rostockyj (25. I. 1805) et nominationem H. Lisowskyj in Metropolitam Unitorum, Kochanowicz consecratus fuit in

Suffraganeum Polocensem, sed mox, 1807, post obitum episcopi Luceoriensis Stephani Levynskyj Gregorius Kochanowicz nominatus fuit episcopus Luceoriensis.

Kochanowicz in eparchia Luceoriensi non multum facere potuit, quia iam 3 Octobris 1809 nominatus fuit ab Alexandro I Metropolita Unitorum in Russia, ut Successor H. Lisowskyj, qui suam metropoliticam iurisdictionem exercere cepit, emissa primum Petropoli s.d. «epikia» cum aliis episcopis (5. I. 1810).

«Epikiam» Petropoli subscriptam a Conventu episcoporum: Gregorio Kochanowicz, Metropolita, Josaphat Bulhak, episcopo Berestensi ab anno 1798, Nominato Polocensi Joanne Krasowskyj; in hoc documento Metropolita Kochanowicz declarat, se, etsi non confirmatum a Sede Apostolica, accedere ad exercitium potestatis metropolitanae et consecrationis episcoporum nominatorum ab Imperatore Alexandro I, quia accessus ad Sanctam Sedem, ob confusionem napoleonicam in Europa, devenit impossibilis; ulterius Metropolita affirms suam fidelitatem Sanctae Sedi, emittit professionem fidei et iuramentum fidelitatis, suo tempore Romam transmittenda Pontifici pro approbatione. Hoc tempore Pontifex iam erat in captivitate Imperatoris Napoleonis I Parisiis. Tamen, certioratis omnibus episcopis latinis et unitis in Imperio Rossiaco, die 10 Januarii 1811 Kochanowicz, in adsistentia duorum episcoporum latinorum: Josephi Dederka, Minscensis et Cypriani Odyniec, Suffraganei Polocensis, in cathedra Vilnensi consecravit tres episcopos unitos: Adrianum Holovnia, episcopum Oršanensem et Coadiutorem Metropolitae in eparchia metropolitana Vilnensi; Joannem Krasowskyj, Archiepiscopum Polocensem; Leonem Javorovskyj, coadiutorem Berestensem, cum titulo episcopi Volodimiriensis.

Non multo tempore post, episcopo Berestensi Bulhak contigit mittere dictam «epikiam» Romam, per manus Nuntii Viennensis Severoli. Sed, ut videtur, Kochanowicz usque ad finem vitae suae (1814) responsum ad suam «epikiam» Roma non obtinuit, ob difficultates communicationis cum Sede Apostolica.

Toto tempore sueae Metropoliae Kochanowicz occupatus erat sua lite cum Basilianis, etsi non nobis constat utrum ipse novitiatum Basilianorum finivit et professionem religiosam fecit, ad mentem Synodi Zamosciana. Alexander I restitit programmati suppressionis monasteriorum Basilianorum et cessationis in officio Procuratoris generalis in Urbe Jordani Mickiewicz (1789-1828), quod proponebat s.d. «Collegium Spirituale» Petropolitanum, quod etiam anno 1810 prohibuit Ordini Basiliiano accipiendi ad novitiatum Nobiles latinos, mutato Ritu. Sed iam anno 1812 minister educationis hunc Decretum «Collegii Spiritualis» abolivit. Praeterea Kochanowicz resistebat doctrinae Basilianorum, ut scribebat anno 1812 ad principem Golitzyn.

Metropolitatus Gregorii Kochanowicz non longo perduravit tempore, nam iam 1814 obiit Zydycziniis, ubi suam habuit residentiam, ut episcopus Luceoriensis. Ei successit, secundum voluntatem ab ipso expressam in lecto mortis, Joannes Krasowskyj, Archiepiscopus Polocensis; Luceoriensis vero eparchia erat certo tempore concredita episcopo Berestensi Josaphat Bulhak.

BIBLIOGRAPHIA: HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862; PELESZ J., *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, Wien 1880; BOBROVSKIJ P.O., *Rysskaja hreko-unjatskaja cerkov v tsarstvovanije Alexandra I*, St. Peterburg 1890; THEINER A., *Die neuesten Zustaende der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841; LIKOWSKI E., *Dzieje Kościoła Unickiego na Litwie i na Rusi w XVIII i XIX w.*, Warszawa 1906; WOJNAR M., *De Capitulis Basiliyanorum*, Romae 1954; TOLSTOJ D.A., *Rymskij katolicizm v Rossiji*, St. Petersburg 1876, II; NAZARKO I., *Kyjivski i Halycki Mytropolity...* Rym 1962.

A.G. WELYKYJ, OSBM

## DOCUMENTA ROMANA BIOGRAPHICA

### I.

*Petropolis, 2. IX. 1798.*

*Legatus Apostolicus Petropolitanus Ministerium Imperiale certiorat de consuetudine episcopos ex Ordine Basiliiano nominandi, occasione propositionis Gregorii Kochanowicz.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n. (copia).

NOTE. – Monseigneur Heraclius Lyssowski, Archevêque de Polock du Rit Grec en Russie Blanche, a présenté pour son Evêque Suffragan le prêtre seculier Gregoire Kochanowicz. Le soussigné Ambassadeur du Saint Siège ne peut pas se dispenser d'observer au Ministère Impérial que les Evêques du Rit Grec ont été toujours choisis parmi les moines de S. Basile et que par consequent la destination d'un prêtre seculier pour Evêque Suffragan seroit tout afait contraire aux regles et à la pratique observée constamment dans les promotions aux Eveschés du Rit Grec-Uni. Le soussigné est d'avis qu'il faudroit avertir Mgr. Archevêque Lyssowski de presenter un autre sujet d'autant plus qu'il y en a qui sont Evêques ou Abbés de Ordre de St. Basile.

St. Petersbourg, 2.7-bre 1798.

### II.

*In Monasterio Onuphriensi, 20. IX. 1798.*

*Ut videtur, Legato Apostolico de sua nominatione in Suffraganeum et de acceptione habitus Basiliani et tonsurae monachalis certiorat Kochanowicz.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 94, n.n.

Illustrissime, Excellentissime Domine, D.ne Protector Clementissime! Augustissimi atque Potentissimi Imperatoris nostri iussu, non sine praestantissima Vestrae Excellentiae Ill.mae ac Rev.mae (tanquam super totius Ecclesiae Romanae negotiis curam agentis) tutela et auxilio, destinatus in Suffraganeum Archidioeceseos Polocensis, quam primum me haec advolaverit notitia, peraequum atque pernecessarium esse ratus, ut una ex parte pro tantis Suae Excellentiae Ill.mae in me officiis ex nunc summas offeream gratias, altera ut ad complementum mei ad quid vocatus sum muneris, beni-

gnissimas Suae Ill.mae Excellentiae tanquam Nuntii Apostolici,<sup>200</sup> per manus mei Archi-ep. Praesulis exposcam gratias atque in consecrationem mei gratiissimam eius benevolentiam, quod utrumque cum humillimo moderno exequor scripto, quoad vixero me Suae Excellentiae Ill.mae protectioni atque gratiae commendabo.

Cum autem non sim ignarus Constitutionum atque consuetudinis Ecclesiae Orientalis, quorum utraque monachos in Sede Episcopali esse volunt, adeoque huic obstaculo preeveniendo, quod gremio Basiliatorum iam fecerim initia, vestitum religiosum officiaque acceptando, atque quod dextera Archi-Praesulis mei iam sim tonsus, de eodem Suam Ill.mam Excellentiam certiore facere humillime non praetermitto, id sumnum habens per integrum dierum meorum, si mihi non denegatum fuerit sincerrime fari, quod cum summa veneratione atque cultu sim.

Ill.mi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, D.ni Protectoris Clementissimi, devotissimus, oboedientissimus et humillimus Servus ac ad Deum Praecator.

Die 20 Septembbris 1798, in Monasterio Onuphriensi.

GREGORIUS KOCHANOWICZ, Officialis, Nominatus Suffraganeus.

### III.

*Petropolis, 20. I. 1799.*

*Processus canonicus de vita et activitate Gregorii Kochanowicz, Nominandi in Suffraganeum Polocensem; Processus nondum absolutus.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 35, n.n.

*Processo per il Suffraganeato Polocense Greco-Unito.* N.B. Questo Processo fu soltanto incominciato e non si compì, onde debba conservarsi per il caso che potesse ripigliarsi l'affare suddetto Suffraganeato ad oggetto di ultimarla.

*Examen pro Suffraganeatu Polocensi-Graeco-Unito.* Hic Processus inchoatus, non fuit confectus ex eo quod defiebant Documenta necessaria inserenda, quae debebant remitti a R.mo Kochanowicz.

In nomine Domini. Amen! Cunctis ubique pateat quod anno Nativitatis D.ni Nostri Jesu Christi 1799, Indictione Romana, die vero 20 mensis Januarii, Pontificatus Ss.mi D.ni Nostri, D.ni Pii Divina Providentia Papae Sexti Anno. Petropoli.

Coram Illmo, Exc.mo ac R.mo D.no Laurentio Litta, Archiepiscopo

<sup>200</sup> Agitur de Legato Apostolico, Nuntio Varsaviensi Laurentio Litta (1796-1799) Obiit anno 1820. Cfr. Indicem nominum et rerum.

Thebarum, apud invictissimum et potentissimum Paulum I, totius Russiae Imperatorem, Oratore Apostolico, comparuit personaliter Reverendissimus Pater Theodosius Głowiewski,<sup>201</sup> Ordinis S. Basillii Magni, Abbas Chorobrowicensis, Adm. R.di Domini Gregorii Kochanowicz, Officialis Archidioecesis Polocensis, ad actum infrascriptum Plenipotens ac specialis Mandatarius et petiit quatenus praelaudatus Ill.mus, Exc.mus ac R.mus D.nus Archiepiscopus Thebarum, ex facultatibus sibi a Sancta Sede concessis formandi Processum personalem super qualitatibus necessariis ad Episcopatum, Processum de vita et moribus, scientia, doctrina aliisque qualitatibus necessariis dicti Adm. R.di Principalis formare dignaretur, pro eius promotione (si Ss.mo D.no placuerit) ad Suffraganeatum novo erigendum Polocensem, salvo etc. etc. Qui Ill.mus Ex.mus, ac R.mus Archiepiscopus Thebarum, ex eius speciali qua munitus est Apostolica facultate, attentis attendendis et consideratis considerandis, visisque insuper documentis coram se productis, petitionem huiusmodi admisit, Testes super Interrogatoriis porrigendis examinaturum, processumque formatum obtulit et omnia in publicum Instrumentum seu Instrumenta redigi per me Notarium infrascriptum, ad effectum de quo supra, mandavit ut ita redacta, suis loco et tempore, ad SS.mum D.num Nostrum transmitti valeant, et ita etc. etc.

INTERROGATORIA CONCERNENTIA vitam, mores et idoneitatem Adm. R.di Domini Gregorii Kochanowicz, Ritus Graeco-Uniti, Officialis Polocensis Archidioecesis, promovendi (si Ss.mo D.no nostro Papae Pio Sexto placuerit) ad novum erigendum suffraganeatum Polocensem.

1. An testis cognoscat Ad.mum R.dum D.num Gregorium Kochanowicz, Officialis Archidioecesis Polocensis? Quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus?
2. An sciat in qua civitate, vel loco, et Dioecesi est natus et quae sit causa scientiae?
3. An sciat ipsum natum esse ex legitimo Matrimonio atque honestis et Catholicis parentibus et quae sit causa scientiae?
4. An sciat cuius aetatis sit, praesertim an expleverit annum trigesimum et quae sit causa scientiae?

---

<sup>201</sup> Theodosius Głowiewski, Basilianus, frater Episcopi Berestensis Arsenii (1791-1798). Obiit die 19 Aprilis 1798. Ei successit Josaphat Bulhak (1798-1838). Cfr. Indicem nominum et rerum. Archimandrita Chorobrovicensis, Plenipotens Gregorii Kochanowicz, Officialis Polocensis. Hic multum egit in favorem Ecclesiae Unitae et Metropolitae Rostockyj. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 10, pag. 136.

5. An sciat eum esse in sacris Ordinibus constitutum, a quo tempore, citra; et praesertim ante sex menses, et quae sit causa scientiae?
6. An sciat eum in ecclesiasticis functionibus diu versatum fuisse, in susceptione Sacramentorum frequentem et devotum et quae sit causa scientiae?
7. An sciat eum semper catholice vixisse et in Fidei puritate permansisse et quae sit causa scientiae?
8. An sciat eum praeditum esse innocentia vitae bonisque moribus et an sit bonae conversationis et famae et quae sit causa scientiae?
9. An sciat eum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem et quae sit causa scientiae?
10. An sciat eum aliquo gradu in Jure Canonico vel in Sacra Theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore et quo fructu ipsi theologiae vel iuri canonico operam dederit, et an vere ea doctrina polleat, quae in episcopo requiritur ad hoc ut alios docere possit et quae sit causa scientiae?
11. An sciat eum aliquo munere functum esse, vel circa curam animarum aut regimen alicuius ecclesiae se exercuisse et quomodo se in iis gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem et mores et quae sit causa scientiae?
12. An sciat eum publicum aliquando scandalum dedisse circa fidem, mores sive doctrinam vel aliquo corporis aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad Episcopatum promoveri, et in Suffraganeum Polocensem deputari et quae sit causa scientiae?
13. An sciat quod praefatus Adm. R.dus D.nus Officialis Kochanowicz possideat aliqua beneficia, quonam sint, et quantus singulorum redditus, an habeant adnexam actualem vel habitualem curam animarum et quo talis cura exerceatur? An obligent ad residentiam, an ea in titulum vel in commendam, an pacifice vel non pacifice possideat et an possit cedere in alicuius praeiudicium, si eorumdem beneficiorum retentio ipsi a S. Sede concederetur, et quae sit causa scientiae?
14. An eum existimet idoneum ad bene gerendum et obeundum munus Suffraganei, seu dignitatem episcopalem, et an dignum qui ad dictum munus promoveatur, et an eius promotionem Ecclesiae utilem et proficuam fore censeat et quae sit causa scientiae?

Anno D.ni 1799, die vero 20 mensis Januarii, Petropoli examinatus fuit per Ill.mum, Exc.mum et Rev.mum D.num Archiepiscopum Thebarum, ut supra, in solita eius residentia Adm. R.dus Pater Samuel Nowakowski,<sup>202</sup>

---

<sup>202</sup> Samuel Nowakowskyj, Basilianus, Provincialis Provinciae Alboruthenae ab anno 1792. Cfr. Indicem nominum et rerum.

Ord. S. Basili M. nec non Monasterii Polocensis S. Sophiae Superior, annorum 47, prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, testis ex officio vocatus, secrete examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout de facto tactis Sacrosanctis Evangelii, quae praे manibus habebat, iuravit et ad interrogatoria Personam Adm. R.di D.ni Gregorii Kochanowicz, promovendi ad Suffraganeatum Polocensem (si Ss.mo D.no Nostro placuerit) resipientia, dixit et depositus, videlicet ad:

- 1-mum Respondit. Cognoscere ab annis novem personaliter, et non esse suum amicum, neque inimicum, nec consanguineum vel affinem.
2. Rp. Natum esse in Archidioecesi Polocensi, ubi usque adhuc fratres eius germani ac plurimi consanguinei reperiuntur.
3. Rp. Natum a legitimis et honestis Parentibus, ex eo quod audivit filium esse Presbyteri Ritus Graeco-Uniti.
4. Rp. Habere quinquaginta circiter annos, uti apparet ex eius aspectu.
5. Rp. Presbyterum esse; cognovit enim ipsum uti Parochum ac Decanum Holowczyni, a novem annis.
6. Rp. Eundem novem annorum tempore vidisse et scivisse saepe, ac devote eum Missas aliasque sacras functiones celebrasse.
7. Rp. Conscium esse et testari posse catholice semper vixisse; nihil enim unquam Fidei contrarium fecisse ac dixisse pro certo scit, et immo noscere omnia argumenta dedisse, in adversis circumstantiis, zeli ac firmitatis eius pro Catholica Religione.
8. Rp. Bonae esse famae et conversationis nec non ornatum bonorum morum, prout semper audivit et vidit in colloquiis cum ipso habitis et ex cohabitatione eius in eodem loco per duos circiter annos.
9. Rp. Noscere virum gravem et prudentem esse, dum munia semper officialatus Dioecesani aliaque munera obivit cum laude et prudentia.
10. Rp. Scire Theologiam Moralem in Scholis a iuventute sua didicisse et ex conversatione quoad sententias secum saepe habita arguere potuisse ex lectura librorum, ipsum optime callere historiam ecclesiasticam nec non theologicam scientiam, iurisprudentiam ac sacros canones idque etiam probari ex eo quod ecclesiastica munera sapienter a multis annis exercet.
11. Rp. Inter alia munera illud quoque Parochi exercuisse Holowczyni a multis annis, et cum personaliter per multum tempus curam animarum exercuit, specimen dedit doctrinae, prudentiae atque exemplaritatis.
12. Rp. Ex hactenus dictis colligi, nullum unquam scandalum dedisse, et testari posse nescire quod aliquo detineatur impedimento quominus in Episcopum instituatur.
13. Rp. Unicum tantum habere beneficium Curatum tercentorum cir-

citer Rublorum, in quo Vicarius existit. Ipsum autem beneficium libere ac pacifice possidet in titulum.

14. Rp. Eum dignum, idoneum ac proficuum existimare pro dicto Suffraganeatu eo etiam magis, quod usque adhuc, quamvis Suffraganeatus honore non fuerit insignitus, pro posse utilem Ecclesiae ac Archidioecesi Polocensi esse curavit.

Et tunc, finito examine suprascripto, Testis dimissus, iniuncto ipsi ut se suae depositioni subscribat, quod fecit, ut sequitur: « Ita pro rei veritate deposui ego Samuel Nowakowski, Ordinis Divi Basillii Magni, Superior Monasterii Sanctae Sophiae Polociae, m. propria ».

Die eadem, videlicet 20 mensis Januarii, examinatus fuit per eundem Ill.mum, Exc.mum et Rev.mum D.num Archiepiscopum Thebarum, quem supra, Adm. R.dus D.nus Ignatius Szostakowski, Assessor Collegii Justitiae, annorum 63, prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et secrete examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout de facto tactis Sacrosanctis Evangelii, quae piae manibus habebat, iuravit et ad Interrogatoria Personam Adm. R.di D.ni Gregorii Kochanowicz, promovendi ad Suffraganeatum Polocensem (si Ss.mo D.no nostro PP. Pio VI placuerit) respicientia, dixit et depositus, videlicet ad:

1. Respondit: Cognoscere eum a decem circiter annis personaliter; non esse neque amicum vel inimicum nec nimis familiarem aut consanguineum.

2. Rp. Natum esse in Alba Russia, ubi Archidioecesis Polocensis reperitur.

3. R. Natum esse ex legitimis et honestis Parentibus, alias iuxta canones et etiam leges civiles Poloniae ad Ordines ecclesiasticos non fuisset promotus.

4. R. Prout conjici ex eius facie, potest ultra 50 annos aetatis habere.

5. R. Semper ipsum agnovisse uti Sacerdotem.

6. R. Ipsum vidiisse frequenter celebrantem Missam et alias ecclesiasticas functiones peragentem, cum maxima exemplaritate et devotione.

7. R. Catholice semper et in Fidei puritate vixisse, maximo habendo zelo pro conservatione et augmento Catholicae Religionis.

8. R. Optimae esse conversationis et famae et semper boni ac morigeri viri dedisse opinionem, sic enim et ipse potuit videre et ita ab aliis audivit.

9. R. In munere Parochi et Officialis et in aliis etiam muneribus cum prudentia et peritia rerum sese gessisse.

10. R. Nescire an Doctoratus insignia receperit et omnibus theologicis studiis vacaverit, noscere tamen eum in rebus theologicis, in lingua latina, atque in aliis, quae Episcoporum propria sunt, instructum esse.

11. R. Tam in cura animarum, quam in officialatus munere specimen doctrinae, prudentiae, ac bonorum morum dedisse.

12. R. Non audivisse quod ullum unquam scandalum dederit vel quod canonico aliquo corporis vel animi impedimento irretiatur, quominus ad Suffraganeatum Polocensem promoveatur.

13. R. Scire tantum quod habeat beneficium curatum.

14. R. Quod ex eius moribus, vita, doctrina, dexteritate atque zelo in rebus spiritualibus argui, atque testari posse utilem eo magis Ecclesiae Archidioecesis Polocensis futurum, quando ad Episcopatum et ad Suffraganeatum ipsius Archidioecesis evectus erit.

Et tunc, finito examine suprascripto, Testis dimissus, iniuncto ipsi prius, ut se sua depositioni subscribat, quod fecit, ut sequitur: « Ita pro rei veritate deposui ego Ignatius Szostakowski, Ass. Coll. Justitiae, m.pr. ».

#### IV.

*Roma, 14. VIII. 1807.*

*Votum Cardinalis L. Littae circa informationes ep. Lewinskyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 583-5.

MUH, vol. VII, pag. 347-348, nr. 149.

(Signor card. Di Pietro, prefetto della S. Congregazione di Prop. Fide)  
Casa, 14 agosto 1807.

Per adempiere...

Pensando agli altri oggetti, gravissimo è quello, che concerne la consacrazione di Mons. Gregorio Kochanowicz in vescovo suffraneo, eseguita dal suddetto arcivescovo di Polock Eraclio Lissowski, che con ukaso del regnante imperatore Alessandro I, siccome è già noto alla S. Congregazione, fu destinato Metropolita a tutti gli Uniti con gli stessi diritti e privilegi del defonto Metropolita Mons. Teodosio Rostocki (f. 584v). Quanto alla persona del suffraganeo consacrato, sono sufficientissime le notizie fornite da Mons. Benvenuti. Non si ricorda bene chi scrive, che furono date particolari istruzioni al di lui promozione a Mons. Arezzo,<sup>203</sup> alorché partì per la sua missione in Russia, ma ciò potrà sapersi subito, interrogandone lo stesso degnissimo prelato ora presente in Curia.

Quanto poi alla seguita consecrazione, non vi sarebbe gran difficoltà, se Mons. Lissowski avesse ottenuta dalla S. Sede, secondo le consuete forme, la conferma, istituzione o provisione della metropolia, alla quale dal citato

<sup>203</sup> Thomas Arezzo, Archiepiscopus Seleuciensis, Legatus Petropolim (1802-1804), Cardinalis, obiit anno 1833, 3 Februarii. Cfr. notam 170.

ukaso è stato designato, essendo certo che in vigore della bolla di Clemente VIII « Decet Romanum Pontificem » i vescovi Ruteni, « qui pro tempore eliguntur », sono esentati di recarsi alla Sede Apostolica, o mandar altre persone a richieder (f. 585) la conferma della loro elezione, ma si permette a chiunque eletto o nominato a qualsivoglia delle sedi episcopali della provincia Rutena sia confermato, istituito e consecrato dall'arcivescovo metropolita di Kiovia e Halicia...

È noto alla S. Congregazione, che Mons. Lissowski, arcivescovo di Polock, dopo (f. 585v) emanato il citato ukaso di Alessandro I, ha fatte replicate istanze nei modi che ha potuto impiegare, ad onta delle leggi di quel governo, affine di ottenere la conferma ed istituzione apostolica od almeno un assenso e benepacito ad esercitare la giurisdizione metropolita sopra i Ruteni uniti, che ora gli si permette dallo stesso governo. Sarebbe questo un oggetto sommamente meritevole di occupare le cure della lodata Congregazione, ma fino ad ora è certo, che Mons. Lisowski non è stato confermato, ne istituito, e nettampoco riconosciuto dalla S. Sede.

Mancandogli il titolo di metropolita, ha creduto sufficiente ad effetto di eseguir la consecrazione del suo suffraganeo l'altro titolo competente originariamente alla sua sede come arcivescovo di Polock, in vigore del Sinodo di Zamoscia, tit. V: « De Metropolitano », che si riporta in margine:

« Cum vacaverit aliqua sedes episcopalibus, metropolitanus vel per se ipsum, vel per episcopum vicinorem ecclesiam administret tam in spiritualibus quam in temporalibus; si vero sedes ipsa metropolitana vacaverit, antequam administrator a S. Sede constituatur, vicinior episcopus, scilicet archieписcopus Polocensis, eamdem tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia regat »...

Sebbene non sembrino totalmente applicabili (f. 586v) al caso presente le teorie recate da Mons. Benvenuto nel suo foglio intorno ai Latini, nulla-dimeno non osa cardinale scrivente decidere, se in vigore del citato titolo del Sinodo di Zamoscia potea l'arcivescovo di Polock procedere alla consecrazione del suo suffraganeo come amministratore in spiritualibus et temporalibus alla vacante metropolia de' Ruteni. Lasciando questo punto alla altrui decisione, si restringe bensì a riflettere, che in caso contrario sarebbe sempre espeditivo di por rimedio a qualunque irregolarità, che si credesse commessa, militando in favore dell'attuale arcivescovo di Polock due circostanze molto valutabili. La prima di aver egli richiesto nel modo che poteva, la conferma (f. 587) ed autorizzazione della S. Sede. L'altra poi, d'esser le qualità del consacrato note alla stessa S. Sede Apostolica per le precedenti informazioni, e su la quale vi dovrebbero anch'essere delle istruzioni particolari, date per l'oggetto medesimo a Mons. Arezzo ».

(Card. L. Litta, olim Legatus Apost.)

## V.

*Roma, 30. VIII. 1807.*

*Votum archiep. Th. Arezzo circa informationes ep. Lewynskyj de variis rebus.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 626-627.  
MUH, vol. VII, pag. 367-368, nr. 152.

Em.mo e Rev.mo Signore, Signore Padrone Colendissimo.

Per soddisfare a pregiati comandi...

...Sarebbe stato desiderabile, che l'istessa condotta si fosse tenuta da Mons. Eraclio Lissowski nella consagrazione del suo suffraganeo D. Gregorio Kochanowicz. Fu questi destinato suffraganeo di Polocko da Paolo I sin dall'agosto 1798. Il cardinal Litta ne incominciò il processo,<sup>204</sup> ma non lo terminò a causa di alcuni dubbi inserti sulle qualità e dottrine del medesimo, che non ebbe tempo di chiarire per sua improvvisa partenza.<sup>205</sup> Giunto io a Pietroburgo, mi convinsi che nulla eravi di sussistente e di fondato intorno alle cose, che gli si addebitavano, e quanto alla dottrina, se non era somma, era però supplita da molta prudenza, di cui aveva dato indubitate riprove nel tempo dell'assenza e pelegrinaggio di Mons. Lissowski,<sup>206</sup> la cui diocesi aveva Kochanowicz amministrata con grande applauso in qualità di Vicario generale. Se qualche cosa poteva ostare alla sua promozione episcopale, era il non essere monaco Basiliano, come prescrive il Sinodo di Zamoscia,<sup>207</sup> difetto che Mons. Lissowski aveva procurato di correggere con fargli emettere la professione (f. 626) monacale, dopo alcune settimane di noviziato, rimedio, a dir vero, insufficiente, e che aveva sempre bisogno d'una pontificia dispensa.

In vista di tuttociò non ebbi difficoltà di commettere a Mons. Bulhak, vescovo greco-unito di Bresta, il di lui processo. Mons. Bulhak tardò molto a compirlo, e lo spediti dopo la mia partenza all'arcivescovo di Mohilovia, come egli stesso ne diede avviso.

Essendovi ogni ragione di credere, che nel processo nulla vi fosse di contrario alla promotione del Kochanowicz, si sarebbe potuto procedere senza difficoltà, secondo le regole della Chiesa Greca, alla di lui consacrazione, quando vi fosse stato chi potesse canonicamente consacrarlo. Ma Mons. Ros-

<sup>204</sup> Cfr. supra in *Documenta biographica*, nr. III, pag. 303-308. Processum fecit Laurentius Litta, Legatus pontificius (1797-1790). Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>205</sup> Die 9 Maij 1799; abiit «inter quattuor horas» Petropoli. Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>206</sup> Peregrinatio in Terram Sanctam anno 1803 (a mense Mayo usque ad Octobrem).

<sup>207</sup> Synodus Zamostiana an. 1720, confirmata anno 1724, a Benedicto XIII, die 19 Julii 1724; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 49-50, nr. 660.

tocki era morto. L'Imperatore Alessandro aveva designato, è vero, al vacante posto di metropolita l'arcivescovo Lissowski,<sup>208</sup> ma mancava la necessaria conferma ed istituzione apostolica, a tenore della bolla di Clemente VIII « Decet Romanum Pontificem ». Per altra parte, siccome Mons. Lissowski, oltre la metropolia, aveva ancora avuta la nomina di presidente del nuovo Collegio Greco Unito, formato in questo frattempo, e doveva trasferirsi e fissare la sua dimora in Pietroburgo, era quasi nella necessità di lasciare in diocesi un Vicario generale, rivestito di carattere episcopale, che potesse accorrere a molteplici bisogni di questa vasta diocesi. Mosso da questo riflesso, tentò prima di tutto di ottenere la necessaria conferma ed istituzione della S. Sede, dirigendosi a tal effetto (fol. 626v), come si assicura, alla S. Congregazione di Propaganda, ad onta delle rigide leggi, che proibivano e proibiscono tuttora ogni comunicazione con Roma.<sup>209</sup> Non riportandone alcuna risposta, col consiglio di Mons. Lewinski radunò<sup>210</sup> il suo Clero, alla cui presenza e di un Notaio apostolico emanò la professione di fede, prescritta dal Sinodo di Zamoscia, e fece il solenne giuramento di ubbidienza e di sommissione alla S. Sede, con che credè di aver compito al suo dovere, e di poter esercitare senza taccia i diritti metropolitici.

E siccome, vacando la metropolia, l'arcivescovo di Polosco è l'amministratore nato di essa « tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia », in vigore del più volte citato Sinodo Zamosciano; così senza più esitare, procedè alla consagrazione del suo suffraganeo, persuadendosi che, o come metropolita, o come amministratore nella sede vacante, potesse metter la mano all'opera, e compire quanto desiderava. La questione dunque riducesi a vedere, se sotto uno di questi titoli egli legittimamente potesse procedere a tale consacrazione.

Qualunque sia la facoltà accordata da Clemente VIII à vescovi Ruteni, « qui pro tempore eliguntur », di essere confermati nelle loro elezioni, istituiti e consagrati dal loro proprio metropolita senza ricorso alla S. Sede, vuole tuttavia l'accennata bolla, che nella vacanza del metropolita, « is qui in archiepiscopum seu metropolitam, iuxta eorum morem seu modum illis permissum, pro tempore similiter electus seu nominatus fuerit, electionis (f. 627) seu nominationis suae electionem seu confirmationem, et institutionem seu provisionem, necnon muneric consecrationis licentiam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente petere et obtinere omnino teneatur et debeat ».

<sup>208</sup> Die 24 Julii 1806. Cfr. supra Documenta biographica, nr. I, pag. 144.

<sup>209</sup> Imperium Moscoviticum exigebat s.d. « placet » Imperatoris, ideo omnis correspondentia cum exteris, et praesertim, cum Roma, investigabatur.

<sup>210</sup> Levynskyj Stephanus, Episcopus Luceoriensis (1798-1806), antea titularis Tegeanus et Administrator Luceoriensis (1784-1795). Cfr. Indicem nominum et rerum.

Or l'arcivescovo di Polosco non avendo ottenuto dalla S. Sede tale conferma e istituzione, non può riputarsi vero e legitimo metropolita, nè sotto questo titolo può far uso dei diritti e privilegi metropolitici. Tutti i passi, ch'egli ha fatti per conseguire l'apostolico beneplacito e giustificar la sua condotta potran giovargli per dimostrare la sua sommissione e buona volontà verso la S. Sede, ed ottenergli a suo tempo, qualora fosse d'uopo l'opportuna sana-toria, ma non possono abilitarlo a conferire e render legitima la consagra-zione del suo suffraganeo.

Non così facile a me pare la soluzione della questione sotto il titolo di amministratore. È stata sempre massima della S. Sede osservata costante-mente da' Sommi Pontefici, di conservar alle chiese particolari la lor disciplina, le loro consuetudini e privilegi. Animato Clemente VIII dagl'istessi sentimenti, ha conservato anch'esso alla Chiesa Rutena la sua disciplina e le sue antiche costumanze. Or disciplina e costumanza della Chiesa Greca è stata sempre, che « vacante metropolitana sede, tum etiam archiepiscopo ob aliquam causam ab officio suspenso », ne supplisse le veci il vescovo, che nella provincia occupava dopo lui la prima sede, dai Greci chiamato Prototrone, ed in mancanza di tal prima sede, ne supplisse le veci il vescovo più antico in ciò speciamente, (f. 627v) che riguarda la conferma dell'elezione e con-segrazione de' vescovi. Tanto si rileva da Francesco Hallier nella sua opera « *De sacris electionibus et ordinationibus* », e precisamente al capo 4: « *Quibus ius sit ordinandi episcopos* », § 8: « *Qui absentis metropolitani suspensi vel demortui locum teneret* ».

Una tal disciplina intese di mantenere il Sinodo di Zamoscia, allorché nel capo V: « *De Metropolitano* », stabili: « *Si vero sedes ipsa metropolitana vaca-verit, antequam administrator a S. Sede constituatur, vicinior episcopus, scilicet archiepiscopus Polocensis, eamdem tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia regat* », affinché non fosse mai priva di un pastore, che in ogni tempo, ed anche nelle circostanze più rilevanti, accorrere potesse ai bisogni delle chiese a lei sottoposte. Or chi non sa, che avendo questo Sinodo riportato la conferma ed approvazione della S. Sede Apostolica,<sup>211</sup> quanto in essa si stabilisce deve riputarsi come stabilito ed approvato dalla S. Sede medesima? E quindi a me sembra, che l'arcivescovo di Polosco, essendo l'amministratore interino della metropolia deputato dal Sinodo suddetto, godere debba di tutte le prerogative e diritti, che goderebbe un'amministra-tore deputato e stabilito della stessa autorità pontificia. E siccome in tal caso avrebbe egli la facoltà di conferire l'ordinazione episcopale, così pure

<sup>211</sup> *Synodus Zamostiana* an. 1720 confirmata fuit a Benedicto XIII die 19 Julii 1724; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 49 50, nr. 660.

dovrà averla indipendentemente da tale immediata autorizzazione, ed in forza del diritto, che gli accorda il solo Sinodo di Zamoscia, tanto più che non si tratta qui di un vescovo diocesano, ma di un semplice suffraganeo dello stesso arcivescovo (f. 628), eletto già da molti anni, e la cui elezione è stata riconosciuta ed approvata dalla S. Sede. Qualunque siasi questa mia opinione, se non gioverà a discolpare del tutto l'arcivescovo di Polosco, potrà almeno giovare ad ottenergli da codesta S. Congregazione una più facile indulgenza, e compatimento. ... ».

## VI.

VIII. 1806.

*De consacrazione Gr. Kochanowicz a novo Metropolita Unitorum, H. Lisowskyj.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Rutzeni*, vol. 18, fol. 528r .

## FOGLIETTO ADDIZIONALE:

Esaminata di bel nuovo ed attentamente tutta la posizione per quello spetta la consagrazione fatta dall'Arcivescovo di Polocko del suo Suffraganeo, io sempre più mi confermo nel sentimento di doversi riguardare tale consagrazione come illegittima, o almeno sommamente dubbiosa, e perciò che abbisogni di qualche Apostolica providenza.

Il fondamento di questa mia opinione si è il seguente: All'Arcivescovo di Polocko, per uno di questi due titoli, cioè o di Metropolitano di Kiovia, o di Amministratore della vacante Metropolia potea competere il diritto di consagrare il suo Suffraganeo. Ma io non veggo che militi in di lui favore nè l'uno nè l'altro. Non quello di Metropolitano di Kiovia, poichè commettendo che a questo Metropolitano compete per concessione Apostolica la consagrazione dè suoi Suffraganei, nego che egli sia di fatti Metropolitano, poichè sebbene abbia la nomina dell'Imperatore, ed abbia egli fatto di tutto per ottenere la Conferma Apostolica, non l'ha tuttavia in fatto ottenuta. Non (f. 528v) quello di Amministratore della vacante Metropolia, poichè, io trovi incertissimo in diritto che l'Amministratore di essa possa anche consagrare i Vescovi della Provincia, e ancorchè l'avesse, mi restarebbe sempre la difficoltà se potesse consagrare il Vescovo in questione, il quale non è uno dei Vescovi della Provincia, Suffraganei di Kiovia, ma è un Vescovo senza Diocesi, Suffraganeo soltanto o Auxiliare dell'Arcivescovo.

Che però atteso almeno un fondatissimo dubio sulla legittimità di tale consagrazione, credo che sia necessariissimo l'intervento dell'autorità della Santa Sede a sanare, *prout de jure*, un tal atto.

Niuna difficoltà incontro che ostar possa alla sanazione suddetta. Il Suffraganeo di cui si tratta è necessario alla Diocesi; degnissimo è il soggetto

consagrato; altrettanto degno è il Consagrante, e la di lui condotta in tutto questo affare può averlo anche posto in perfetta buona fede, e scusato dalla colpa.

Sugli altri articoli contemplati nella Posizione e nel voto parimenti non incontro difficoltà.

## VII.

*Roma, anno 1807.*

*Analysis informationum ep. Levynskyj in Congregazione de Prop. Fide. A Secretario pro Em.mo Praefecto facta.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 516.  
MUH, vol. VII, pag. 370, nr. 153.

Il vescovo Ruteno unito di Luceoria<sup>212</sup> con suo procuratore de'  
Ruteni esistente in Roma<sup>213</sup> gli dà notitia:

1. Che l'arcivescovo di Polosco, come metropolita di Kiovia, nominato dall'Imperatore delle Russie,<sup>214</sup> e come amministratore tam in spiritualibus quam in temporalibus della detta sede metropolitana vacante, a forma del Sinodo di Zamoscia, è venuto alla consagrazione di D. Gregorio Kochanowicz in vescovo suo suffraganeo. Si da quindi luogo a cercare, se avesse un tal diritto? Et, quatenus negative, qual provvidenza debba darsi?

È chiaro che non lo avesse come metropolita nominato dall'Imperatore, non avendo mai conseguito la conferma della S. Sede, sebbene dal canto suo abbia egli l'arcivescovo tentato ogni mezzo per ottenerla,<sup>215</sup> senza, però averla, a motivo delle cose passate tra la S. Sede e quella Corte.

Sembra peraltro almeno assai probabile, che (f. 516v) un tal diritto possa competergli come amministratore della vacante metropolia, in virtù del Sinodo di Zamoscia, al titolo V: « De Metropolitano », e così par che inclini a credere e l'Em.mo Litta e Mons. Arezzo.

<sup>212</sup> Stephanus Levynskyj, Episcopus Luceoriensis (1798-1806). Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>213</sup> Jordanus Mickiewicz, Procurator generalis Basilianorum et Ecclesiae Unitae in Urbe (1789-1827). Obiit in officio die 5 Januarii 1827. Ei successit, ab anno 1825 praeparatus, Anatolius Wilczynskyj (1827-1829). Post obitum Wilczynskyj Legatio moscovitica romana Sedem hanc sibi occupare voluit, et postea Sedi Apostolicae « donavit ». Cfr. *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, annis 1827-31. Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>214</sup> Alexander I (1801-1825) nominavit Lisowskyj 24 Julii 1806, et ipse obiit 19 Novembris 1825. Cfr. Indicem nominum et rerum.

<sup>215</sup> Ob bellum napoleonicum in Europa, etsi Lisowskyj omnia fecit in suum favorem, congregato Clero et Notario Apost. Petropoli, ubi professionem fidei fecit et iuramentum obedientiae et fidelitatis emisit.

In qualunque dubbio l'uno e l'altro convengono, che debba rimediarsi a qualsivoglia irregolarità possa essere occorsa, con la pontificia autorità. Sono essi mossi dalle seguenti ragioni. Primo, dalla necessità, nella quale era l'arcivescovo di Polocko di venire ad un tal' atto. Secondo, perché lo stesso arcivescovo ha fatto quanto era da lui per esser confermato dalla S. Sede in metropolitano. Terzo, per aver mostrato, prima di venire alla consagrazione del suo suffraganeo, tutti gli atti possibili di sommissione alla stessa S. Sede.<sup>216</sup> Finalmente pe' distinti meriti dell'arcivescovo consagrante, e del consagrato ancora. Aggiungerei il titolo almeno probabile, che può per se addurre l'arcivescovo di Polosco, come l'amministratore della vacante metropolia.

Dovrà quindi impetrarsi dal Santo Padre la sanazione di qualunque irregolarità occorsa nella seguita consagrazione e la conferma dell'atto »...

### VIII.

*Roma, anno 1807.*

*Votum Rev.mi Benvenuti circa res in informatione ep. Lewynskyyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 18, fol. 613-614.  
MUH, vol. VII, pag. 361, nr. 151.

Ho letta la lettera di Mons. Stefano Lewinski...<sup>217</sup>

Da ciò che fin qui ho rilevato, utile sarà senza meno al suffraganeo anche di Polock, tanto più che l'arcivescovo (f. 613) risiede in Pietroburgo. Circa la persona del Kochanowicz, si sono avute buone informazioni rispetto alla dottrina, ai costumi ed ai meriti che si è fatto con i lunghi servigi prestati al suo arcivescovo in qualità di Vicario generale. Era egli del Clero secolare, ma parmi di avere inteso dire, che da qualche tempo ha professato la regola dell'Ordine Basiliano. Se una tale professione sia accaduta col vestire prima l'abito religioso, col premettere il noviziato, e nelle forme richieste, l'ignoro. Mi ricordo di aver soltanto inteso dire, che fece la professione per conformarsi al Sinodo di Zamoscia, il quale ordina, che i vescovi Greci uniti siano dell'Ordine Basiliano, che sempre sopra il Clero secolare (f. 616v) si distinse per i costumi, per la scienza e per il zelo verso la Santa Unione.

Rispetto alla consagrazione, che Mons. Lisowski ha fatto del suo suffraganeo, sembrami che dal citato titolo quinto del Sinodo Zamosciano non si

<sup>216</sup> Post suam nominationem ab Alexandro I, qui eum nominavit decreto imperiali die 24 Julii 1806. Cfr. *Documenta biographica*, nr. I, pag. 144.

<sup>217</sup> Stephanus Lewynskyyj, *Episcopus Luceoriensis* (1798-1806). Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

possa dedurre con franchezza che ne avesse le facoltà. Mi fa amarezza l'esempio della giurisdizione vescovile, che in sede vacante passa nel capitolo della cattedrale e nel Vicario capitolare. Succedono questi al vescovo in quelle cose solamente che gli competono « de iure communi et ordinario ». Io credo, che la prerogativa che ha il metropolitano di Russia riguardo alla consagrazione ed istallazione de' vescovi Greci uniti sia per concessione speciale e delegata de' Sommi Pontefici, (f. 614). La conseguenza quindi sarebbe, che la detta consagrazione non fosse stata in regola. Per altro i canonisti ammettono su di ciò anche un'altra distinzione, ed è che prossimo al capitolo e vicario capitolare anche le facoltà « de iure speciali et delegato », se il vescovo le goda per concessione della S. Sede in perpetuo. Diffusamente tratta di ciò il Pellegrino in « Praxis Vicarii », part. I, sect. 4, subsect. 1 e seg. nr. 31 e seg. Che se può entrare la parità, e se hanno forza le dette distinzioni, esaminata la natura delle prerogative del metropolitano di Russia, sarà facile decidere l'oggetto in questione »...

**EPISTOLAE GREGORII KOCHANOWICZ**  
**Metropolitae Kioviensis**  
**(1809-1814)**

---

I.

*Mscislavia, 12. V. 1803.*

*Ut videtur, Legato Pontificio Th. Arezzo, Kochanowicz refert de sua nominatione in Suffraganeum Polocensem, hucusque acta exponit et petit a Legato facultates episcopales, necessarias tempore absentiae H. Lisowskyj.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, D.ne Protector Clementissime.

Multis gravissimisque negotiis occupatam Ill.mam Excellentiam Vestram audeo interpellare, omni qua par est humilitate rogando, quatenus me, meumque negotium a singularissima Ill.mae Excellentiae Vestrae bonitate dependens in suum peculiare patrocinium benigne suscipere non dedigneris. Rem paucis absolvō.

Anno 1798 Ill.mus Heraclius Lisowski, Archiepiscopus Polocensis, labores meos spatio 20 annorum in diversis Dioecesanis officiis probe exantlatos, benevolo prosequens animo, Ill.mo, Reverendissimoque Domino Stanislao a Bohusz Siestrzencewicz,<sup>218</sup> qua Metropolitano, ad Suffraganeatum Polocensis Dioeceseos commendatum me voluit, atque id dicto Ill.mo Metropolitano referente, defunctus Augustissimus Imperator<sup>219</sup> 30 Augusti eiusdem anni ad praefatum Suffraganeatum clementissime nominare me dignatus est. Qua de re certior factus, non praetermisi Ill.mum Littam, Archiepiscopum Thebarum, Sedisque Apostolicae tunc temporis Legatum convenire litteris suplicibus, quatenus titulum Episcopi in partibus, personalemque processum assignare dignaretur. Id quod Ill.mus Legatus brevi re praestitum, simulque ad Ss.mum Dominum hac de re scripturum, litteris ad me sub 21 Octobri

---

<sup>218</sup> Stanislaus Bohusz Siestrzencewicz, Archiepiscopus Mohiloviensis (1784-1826) antea titularis Mallensis (1773), dein Albae Russiae (usque ad annum 1784).

<sup>219</sup> Paulus Petrovič I, Imperator (1796-1801), a die 6 Novembris 1796, post obitum matris Catharinae II; obiit Petropoli, occisus a suis militibus aulicis 12 Martii 1801; ei successit Alexander I Paulovič (1801-1825), qui obiit die 19 Novembris 1825. Cfr. Indicem nominum et rerum.

1798 anni Petropoli datis, significavit. Consequenter anno 1799 mense Januario peractus est coram Ill.mo Nuntio personalis de vita et moribus processus, testimonia iurata deponentibus Illustribus ac Rev.mis DD. Ignatio Szostakowski, canonico Livoniensi, nec non assessore in Collegio Iustitiae Partitionis Catholicae, et Samuele Nowakowski, Abate et Superiore Polocensis monasterii Ordinis S. Basilii Magni, ad aedes Sanctae Sophiae. Reliquum erat, ut documenta ab Ill.mo Nuntio requisita mitterentur. Cumque de facto per Procuratorem Causarum Archidioecesos Polocensis, sub idem tempus Petropoli commorantem, essent locanda apud praefatum Ill.mum Sedis Apostolicae Legatum, factum est, ut mandato Augustissimi Imperatoris Pauli I, de die 5 Maii 1799 anni, omne Ill.mi Nuntii iurisdictionis exercitium suppressum esset in Rossiaco Imperio.<sup>220</sup> Quia vero idem Augustissimus Imperator supremam in spiritualibus inter Catholicos Rossiacae terrae incolas, eodem 5 Maii mandato, penes Ill.mum Metropolitanam Siestrzencewicz auctoritatem esse voluit, proinde documenta illa ab Ill.mo Nuntio requisita apud eundem Ill.mum Metropolitanum deposita, in ordine peragendorum eorum, quae de iure peragenda supererant. De veritate supra expressorum, testes appello Ill.mum Metropolitanum atque Equitem Siestrzencewicz, atque eximios Rev.mosque Dominos, Benvenutti, qua Auditorem et Lochman, qua Secretarium Ill.mi Littae.

Nunc felici fortunatoque Catholicorum omnium, in vastissimo Rossiae Imperio degentium, sorte accidit, ut Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra in hanc Regionem veniret potestate, facultatibusque iisdem, quibus Ill.mus Litta gaudebat, instructus a Summo Ecclesiae Catholicae Capite, Christi vices in terris gerente. Itaque debita profundissimaque cum submissione, ad singularissimam Ill.mi ac Rev.mi Domini benegnitatem magnanimitatemque configiens, imploro, quatenus mihi ad Suffraganeatum Polocensem nominato, reliqua quae de iure peragenda restant, per summam suam clementiam amoremque erga Unitos catholicos conferre largireque dignetur.

Quam ego gratiam Ill.mae Excellentiae Vestrae toto vitae meae decursu assiduis ad Deum Optimum Maximum precibus pro incolmitate Suae Excellentiae fundendis promererri non desinam.

Illustrissimi, Excellentissimi, Reverendissimi Domini, D.ni Protectoris Clementissimi, humillimus Servus,

Mscislaviae, 12. Maii, 1803.

GREGORIUS KOCHANOWICZ, Ep.pus nominatus Suffr. Archidioecesos Polocensis, Officialis Generalis Consistorii, m.pr.

<sup>220</sup> Legatus pontificius Laurentius Litta Petropoli abire debuit «inter quattuor horas» die 9 Maji 1799. Cfr. Indicem nominum et rerum.

## 2.

*Onuphrei, 14. VII. 1803.*

*Gregorius Kochanowicz, Administrator Polocensis, petit a Legato Apost. Th. Arezzo ut possit erigere quosdam Canonicatus ad Cathedram, cum respectivis facultatibus et distincoriiis.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, D.ne Protector Clementissime.

Post secessum Ill.mi Archiepiscopi Polocensis de sua Dioecesi ad extraneas nationes,<sup>221</sup> humeris meis impositum est regimen illius Dioecesis; qua propter ego revocans in memoriam, quod pro viribus teneo satisfacere muneri ac obligationi mihi iniunctae et curam gerere in persona Pastoris horum omnium, quae vel utilitatis ac Praesidis, vel ornamenti ac decoris, pro illa mihi concedita Archidioecesi notam habent; unum ex illis in officio quo fungor accelero Excellentiae Vestrae Ill.mae ac Rev.mae proponere in sequenti:

Felicitis recordationis Pius VI, Pontifex Maximus, ad praeeminentiam Graeco-Unitarum Cathedralium ecclesiarum in Polonia, ordine promovendi maiorem in modum zelum Cleri Rutheni erga S. Unionem et ut aequipararet illius status cum Clero Ritus Latini, ac ob alias sibi bene visas causas benigne Litteris Pontificiis instituit 36 canoniciatus<sup>222</sup> ad aedes Cathedralium ecclesiarum in Polonia, illisque praeficere voluit Canonicos ex Clero saeculari, qui, constitudo Capitulum Episcoporum, illos opere et consilio adiuvarent ac pontificaliter celebrantibus inservirent. Huius Pontificis gratiae non est hucusque particeps nostra Archidioecesis Polocensis; tempore enim distributionis huius adscita iam fuit sceptro Rossiae, quapropter hucusque nullus in Dioecesi Polocensi invenitur Canonicus. Licet utilitas et splendor domus Domini ac status illius ecclesiae principalis, utpote Cathedralis, inter tres residuas unitas Dioeceses id postulant. Quapropter ego hanc Ecclesiae Polocensis necessitatem exponere Excellentiae Vestrae Ill.mae audeo, humiliter postulando, quatenus et nostra Archicathedralis ecclesia, fundatione ad illam aliquot Canonicatum, cum iure et privilegiis communibus huic dignitati, suffulta evaderet, ac condecoraretur. Faveat igitur Excellentia Vestra Ill.ma et Rev.ma huius praeminentiae ecclesiasticae participem facere nostram Archidioecesim Polocensem ac illius Cathedram, quae certe non carebit aliquo mystico salu-

<sup>221</sup> In peregrinationem in Terram Sanctam (V-X) 1803.

<sup>222</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 268-271, nr. 842, sub data 13 Julii 1784; Congregatio de Prop. Fide decretum suum probavit die 19 Junii 1784.

tari effectu et plenitudine Apostolicae potestatis erigere sex vel octo Canonicatus ad Aedes Cathedrae Polocensis, quibus praeficere possent saltem illi, qui in Consistorio assedendo utilitatis Ecclesiae ac huius Dioecesis curam gerent, ad normam Antecessoris Vestrae Excellentiae, Em.mi Cardinalis Archetti,<sup>223</sup> qui octo canonicatus in Archidioecesi Mohiloviensi instituit. Sustentatio pro his destinabitur ex beneficiis Archidioecesis Polocensis melioris dotationis, quae pro illis uti primi gradus personis designabuntur. In caetero autem ex mensa Archiepiscopi, uti mos est, portionem habebunt tunc praesertim, dum adsunt in Consistorio.

Dignetur Vestra Excellentia Ill.ma ac Rev.ma nostram Dioecesim hoc condecorare honore, unde zelum et addictio Cleri erga Sanctam Unionem ac Sanctam Apostolicam Sedem magis magisque abundabit. Huius negotii ut et aliorum curam gerere commissum habet Polocensis Archidioecesis Procurator, Rev.dus D.nus Joannes Krassowski. Imploro igitur super omnia illi commissa gratiam Excellentiae Vestrae Ill.mae ac Rev.mae, meipsum huius benignae gratiae commendando ac indesinenter cum profundissima veneratione sum.

Ill.mi, Excellentissimi ac Rev.mi Domini, D.ni Protectoris Clementissimi, devotissimus ac humillimus Servus indignusque ad Deum Praecator.

In Onuphrei, die 14 Julii 1803.

GREGORIUS KOCHANOWICZ, Ep.pus nominatus Suffr. Archidioec. Polocen. Officialis Generalis Consistorii, m.pr.

### 3.

*Onuphrei, 8. XI. 1803.*

*Forsan Legato Pontificio Th. Arezzo, Kochanowicz gratias agit de facultatibus pro Archieparchia Polocensi concessis nec non de facultate portandi crucem et vestem violaceam.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, D.ne Protector Clementissime.

Editas a Sua Excellentia Ill.ma ac Rev.ma Ill.mo Archiepiscopo Polocensi, meo Pastori, ad quinquennium facultatem una cum epistola Excellentissimi Metropolitae Siestrzencewicz, debita cum reverentia et pro faustissima hac sorte obtinui. Delatum est mihi etiam a Rev.mo D.no Krassowski, nostrae Dioeceseos Procuratore, de benignissima Excellentiae Vestrae Ill.mae

<sup>223</sup> Nuntius Varsaviensis, Joannes Andreas Archetti (1775-1784), cardinalis an. 1784, obiit anno 1805. Cfr. Indicem nominum et rerum.

ac Reverendissimae data mihi facultate in portanda cruce ac adhibenda veste violacei coloris. Pro quibus his praecipuis in me collatis beneficiis humillimas ad pedes Excellentiae Suae refero gratitudines, firmiter promittendo me et cum grati animi perpetuo officio et cum summa ac commemorabili beneficij huius semper veneratione esse et profiteri.

Ill.mi, Excellentissimi ac Rev.mi Domini, D.ni Protectoris Clementissimi, humillimus Servus indignusque ad Deum Praecator.

In Onuphrei, die 8. 9-bris 1803.

GREGORIUS KOCHANOWICZ, Ep.pus nominatus Suffr. Archidioec. Polocensis, Officialis Gen. Cons. m.pr.

#### 4.

*Onuphrei, 16. XI. 1803.*

*Gratias agit Th. Arezzo, Legato Pontificio, de erectione Capituli Polocensis et de eius forma canonica, et modis subsistendi, de officiis et distinctoriis etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, fol. n.n.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, D.ne Protector Clementissime.

Litteris mensis Augusti ad Ill.mam Excellentiam Vestram transmissis, humillime vi officii mei, quo in praesenti fungor, exposui necessitatem fundandi Capitulum et sex saltem Canonicis ad Aedes Archicathedrae Polocensis Sanctae Sophiae, et enixe petii Ill.mam Excellentiam Vestram, quatenus vi praeeminentis sui ministeri, ad normam praedecessorum suorum Excellentissimorum Archetti et Litta,<sup>224</sup> memoratum Capitulum ut oportet fundare et Canonicos, qui illud constituere deberent, omnibus insigniis, praerogativis et privilegiis, quae de iure et consuetudine illi dignitati sunt propriae insignire digneris. Sed quoniam Constitutiones, consuetudines ac in caetero Graeco-Unitae Ecclesiae status multum est alienus ab Ecclesia Latina in multisque nostrae Ecclesiae deficit, quae tamen dignitas Capituli et officia Canonicorum Ecclesiae Occidentalis postulant, praecipue autem hoc, quod in omnibus Dioecesisibus unitis nulla invenientur Cleri saecularis beneficia nisi curata, et nulla bona ex sua fundatione sunt pro Canonicis destinata, imo ex tribus in Russia unitis Dioecesisibus, habent ut talem suam Cathedralem ecclesiam, quae autem et multa alia non correspondent exercitio officii canonicatus, secundum Constitutiones in hac materia Ecclesiae Latinae; quapropter ego

<sup>224</sup> Archetti Joannes Andreas, Nuntius Varsaviensis (1775-1784) et Laurentius Litta, Legatus pontificius Petropolim et Nuntius Varsaviensis (1796-1799). Cfr. Indicem nominum et rerum.

non ignarus Ecclesiae Unitae ac mei Ritus Constitutionum, consuetudinum ac conditionis, peraequum iudicavi nomine Cleri saecularis concredita mihi Archidioecesis humillime exponere Excellentiae Vestrae Ill.mae ac Rev.mae quid — in materia sentio, videlicet quo modo conformius et convenientius illud Capitulum fundari possit et qua regula, ut illud ordinetur, ita ut haec omnia corresponderent conditioni nostrae Ecclesiae; hoc autem sequentibus articulis demonstrare attento.

1º. Loci Ordinarius debet eligi ex sua Dioecesi sex sacerdotes, qui optime sunt de Ecclesia ac religione meriti, stabiles in fide et probati, Ritui addicti, litteris perfecte instructi, virtutibus pollentes, caeterisque optimis dotibus insigniti; illos, inquam, et tales loci Ordinarius debet promoveri ad Canoniciatus et ad omnes illius functiones.

2º. Titulus illorum debebit esse talis: Protopresbyteri Canonici Cathedralis Sanctae Sophiae.

3º. Quattuor ex illis gaudebunt titulo Praelatorum ac tenebuntur assistere in generali Archidioecesano Consistorio, qua iudices et membra illius, videlicet Officialis, Vice-officialis ac duo Assessores, ex quibus unus potest adhuc fungi officio Auditoris ad Aulam Archiepiscopi. Caeteri autem duo cum titulo Protopresbyterorum Canonicorum Cathedralium fungi deberent officio forensium officialium, sub nomine Surrogatorum.

4º. Pro illis sex Canonicis designantur in Dioecesi tot beneficia melioris dotationis, videlicet pro Officiali in districtu Siebiezensi beneficium Hiszvanense, pro vice Vicario in districtu Drygzensi beneficium Rosicense, pro Canonico Auditore, in districtu Polocensi beneficium Dobrajense, item beneficia in civitate Vitebsk, ecclesia Cathedralis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, in districtu Lepolensi beneficium Woronocense, in districtu Bychoriensi beneficium Barcalaboviense (salvis modernis possessoribus), quibus Parochiis non aliis in posterum debet praefici nisi ille qui prius iudicio loci Ordinari dignus aestimabitur ad obeundam hanc functionem, pro qua destinatum est tale beneficium.

5º. Omnes isti Canonici debent ornari Cruce aurea, quam appensam ad collum gestare ubique et coram quibusque in ecclesiis et extra illas possint ac tenentur. Forma autem Crucis erit octigena, in cuius dextro orbiculo depicta erit imago nostri Salvatoris Jesu Christi, tanquam aeternae Sapientiae, in altera autem parte stemma Imperiale.

6º. Canonicorum officium erit loci Ordinario, et eius etiam Suffraganeo, pontificaliter celebranti, assistere vel secundum Ritum Graecum cum illo concelebrare.

7º. Quoniam designata in 4º articulo pro Canonicis beneficia habent sufficietes reditus, et sunt curata, Canonici autem et Parochi illorum, occupati

suis officiis, per se ipsos curam animarum exercere non possunt, quapropter necessarium est illis dispensare de non residentia ad suas parochias; tenebitur tamen quilibet ex illis sustinere ad suam parochialem ecclesiam Sacerdotem vicarium vel altaris tam, qui illius in parochia vices tenebit et pro quo Vicario loci Ordinarius assignabit ex redditibus beneficii, cui inservit, partem pro sufficienti sustentatione.

80. Ut autem hoc externum insigne Canonicatus non careat interna mystica ac salutari significatione, quapropter necessarium est supplicare Sanctissimo Domino, ut memorati Canonici lucrari possent omnibus his indulgentiis et facultatibus, quas benigne concessit fel. recor. Pius VI, Pontifex Maximus, in suo Brevi anno 1784, die 13 Julii data,<sup>225</sup> ad instantiam p.m. Jasonis Smogorzewski, Metropolitae totius Russiae in Regno tunc Poloniae ac illis Sacerdotibus, quo benigne concessum fuit 30 sacerdotes Ruthenos unitos ornare Crucibus, seu distinctoriis.

Illustrissime, Excellentissime Domine! Haec est mens mea de Canonicis. Ratio autem illius est conditio Ecclesiae nostrae Unitae, quae postulat ut non aliter, quam hoc modo istud Capitulum seu Canonici instituerentur in Archidioecesi Polocensi; in caetero autem hanc meam sententiam subdo praecellenti iudicio Excellentiae Vestrae Ill.mae ac Rev.mae.

Procurator Archidioecesis, R.D. Joannes Krassowski,<sup>226</sup> certum me reddidit quod hac in materia porrexit supplicem libellum ad ministrum internorum negotiorum Illustrissimum Comitem Koczubey, implorando supremum proprium Suae Imperatoriae Majestatis mandatum hac in re, videlicet ut possent institui isti Canonicatus in nostra Archidioecesi; quapropter, antequam illud exibit, nihil decisive hac in materia ut constituatur oportet, sed quam primum subsequetur a Majestate ad petita resolutio, suppliciter exoro Excellentiam Vestram supplicare Sanctissimo Domino, ut ex supra sua apostolatus potestate illud Capitulum in nostra Dioecesi seu Canonicos pro semper instituere digneretur; et si hoc fieri potest, secundum a me nunc praemissum modum. Hanc ergo humillimam petitionem Cleri ac universae Archidioecesis Polocensis unitae Excellentiae Vestrae Ill.mae ac Rev.mae dum expono, me ipsum gratiae illius corde ac animo commendo, ac cum omni veneratione et incomparabili obsequio sum.

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, D.ni Protectoris

<sup>225</sup> In *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 268-271, nr. 842.

<sup>226</sup> Postea Archiepiscopus Polocensis (1811-1826), translatus Luceoriam ob nimiam ebrietatem, et Jacobus Martuszewicz translatus fuit Polociam (1826-1833). Cfr. W. LENCYK, *The Eastern Catholic Church and Czar Nicholas I*, Romae-New York 1968, pag. 45.

Clementissimi, devotissimus humillimusque Servus et indignus ad Deum Praecator.

In Onuphrei, die 16 Novembris 1803.

GREGORIUS KOCHANOWICZ, Nominatus Episcopus Suffr., Officialis et Administrator Archidioecesis Polocensis, m.pr.

5.

*Petropolis, 5. I. 1810.*

*Textus s.d. «epikiae», occasione initiationis muneric metropolitani Gregorii Kochanowicz an. 1810.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeografičeskoju Kommissijeju, t. XVI, pag. 599-600, Vilna 1889.*

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis,  
Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Cum omnium Ecclesiae Sanctae Pastorum sollicitudo in eo elaborare plurimum beat, ut saluti animarum, Sanguine Christi Domini redemptarum, omni studio provideatur, tum Nos, quibus haud modica portio gregis Domini commissa est, eo magis curas Nostras ac vigilantiam intingere stringimur, quo graviora difficilioraque nunc sunt tempora, quibus Divina Providentia ad exercitium fidei Nostrae virtutisque nos nunc explorare ac gravare dignatur.

Quandoquidem igitur, Deo bene juvante, Nos omnes confratres Episcopi, cum Ecclesia Romano-Catholica Uniti, in urbem Metropolim Suae Augustissimae Imperatoriae Maiestatis totius Russiae convenimus,<sup>227</sup> videlicet: Episcopus Luceoriensis, Episcopus Brestensis et Nominatus Archiepiscopus Polocensis; proinde Nos ipsos invicem in osculo pacis salutantes, aequum duximus de incolumentate et prosperitate Ecclesiae huius nostrae Catholicae Romanae Unitae consulere et pro viribus nostris, quod utile et necessarium est, provisorie ac per epicheiam disponere ac stabilire.

Rarissimus isque primus difficillimo hoc tempore occurrit casus, quo, facili ad Sanctam Apostolicam Sedem recursu, a Lege et Apostolicis Constitutionibus sancito et decreto, ad institutionem, consecrationem et iurisdictionem Episcopalem, omnino necessario, excludimus et prohibemus. Assertio haec non indiget probatione: nemo enim ignorat, caput visibile Ecclesiae Sanctae, Summum Pontificem, Roma, a sua Sede abductum ita, ubi sit, neque sciri certo queat, neque, etsi sciretur, ad Illum recurri possit,<sup>228</sup> ac proinde

<sup>227</sup> Anno 1809-1810.

<sup>228</sup> Pius PP. VII deportatus fuit in Galliam cum parte Curiae Romanae (1809-1814).

communicatione cum Illo necessaria, tum reipsa, tum negata a gubernio communicandi cum Illo facultate Episcopos omnes esse destitutos.

His itaque calamitatibus temporum pene inauditis, ex una parte nos Conprovinciales omnes Episcopi concreditorum nostrae sollicitudini Pastorali Dioecesum Polocensis, Luceoriensis et Brestensis commoti, ex altera parte nostra Privilegia et constitutiones Apostolicas conservare et eas immunes esse volentes, instrumentum piae memoriae Archiepiscopi Polocensis et Ecclesiarum in Rossia Unitarum Metropolitae Heraclio Lisowski,<sup>229</sup> in personam Ill.mi et Rev.mi confratraris nostri, Episcopi Luceoriensis Gregorii Kochanowicz, in ordine ad consecrandos Episcopos, nominatos Suffraganeos earundem dictarum Dioecesum emanatum, ad effectum et exequitionem deducere in Domino desideramus.

Ac proinde, profitentes nostram erga Sanctam Sedem Apostolicam submissionem, fidelitatem et obedientiam, circumstantias unice difficillimi temporis et recursus spectantes, ad evitanda pericula et mala, quae e longiori mora promanari possent, Bullam felicis recordationis Clementis Papae VIII, quae incipit: «Decet Romanum Pontificem», non ad aliquam fraudem, non in contemptum iurium Ecclesiasticorum, sed cum debita Clavium Apostolicarum reverentia, exequitioni mandare eiusque Bullae Privilegiis frui pernecessarium duximus, ac in vacantem Sedem Polocensem nominatum Archiepiscopum, praeteritum ejusque Archi-Dioecesis Officialem, Praelatum, Archi-Presbyterum eiusdem Cathedrae, nunc in Collegio Romano-Catholico sectionis 2-ae unitorum Assessorem, Perillustrem Rev.mum Dominum Joannem Krassowski<sup>230</sup> atque etiam Nominatum Suffraganeum Episcopum restitutae Dioecesis Metropolitanae in Lithuania, Abbatem Braslavensem, Perillustrem Rev.mum Patrem Adrianum Holownia,<sup>231</sup> nec non Nominatum Episcopum Suffraganeum Brestensem, Abbatem Suprasliensem, Perillustrem Rev.mum Patrem Leonem Jaworowski<sup>232</sup> in Episcopos ordinare ac eis facultates Pastorales per manuum nostrarum impositionem impertiri.

Quibus de rebus omnibus ac de toto actu praesenti promittimus fidemque nostram damus, Nos primo tempore, quo licebit, humillime Sanctae Aposto-

<sup>229</sup> Heraclius Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis et Metropolita Unitorum in Russia ante suam mortem proposuit Gregorium Kochanowicz in metropolitam Unitorum et Episcoporum Coadiutorum, praesertim Joannis Krasowskyj in Polocensem, L. Javorowskyj in Berestensem etc.

<sup>230</sup> Joannes Damascenus Krasowskyj, Archiepiscopus Polocensis, Officialis, Archipresbyter cathedralis Polocensis, dein consecratus Archiepiscopus (1811-1826).

<sup>231</sup> Adrianus Holownia, nominatus in Suffraganeum Berestensem, vel potius in Administratorem metropoliae in Lithuania (1811-1831).

<sup>232</sup> Leo Javorowskyj, suffraganeus Berestensis cum titulo Volodimiriensis (1811-1833). Cfr. W. LENCYK, *op. cit.*, pag. 45.

licae Romanae Sedi rationem reddituros et, ut rata habeat, quae per duras circumstantias temporum facta sunt, obsecraturos.

Extimulat Nos etiam ad explendum hunc consecrationis actum Mandatum Suae Imperatoriaie Maiestatis, Domini Nostri Clementissimi Alexandri I, Cujus voluntas benignissima relata est a Celsissimo Principe Ministro Justitiae Petro Wasilewicz Lopouchin Collegio Romano-Catholico 2-ae sectionis Unitorum, die 22 Septembris 1809 anno, in qua sua Ministeriali communicatione notum reddit Suam Imperialem Maiestatem velle, ut executioni mandetur instrumentum praefatum, editum a defuncto Metropolitano Archiepiscopo Heraclio Lisowski.

Huius nostrae paginae, ut ad posteros eo facilius perveniat, volumus confici tria exemplaria, unum pro quolibet Episcopo Dioecesano et in ipsorum Cancellaria curiali asservari,<sup>233</sup> ob meliorem vero fidem et testimonium nostrae perfectae propensionis, adhaesionis et reverentiae erga Sedem Apostolicam Romanam Eiusque Sanctissimum Pontificem modernum, Pium Divina Providentia Papam VII, manibus propriis subscrisimus paginamque hanc sigillis nostris communivimus.

Datum Petropoli, anno a Nativitate Christi Domini 1810, mensis Januarii die quinta, in vigilia Theophaniae.

Gregorius Kochanowicz,  
Episcopus Luceoriensis, Metropoliae Unitorum Exarcha,  
ad Consecrationem Delegatus (L.S.)  
Ignatius Josaphat, Episcopus Brestensis, Bulhak (L.S.)  
Joannes Damascenus, nominatus Archiepiscopus  
Krassowski (L.S.)  
Praesentem copiam cum suo originali concordare testor.  
Paulus Buczynski, Praelatus, Cancellarius  
Cathedralis Luceoriensis (L.S.)

## 6.

*Petropolis, 9. I. 1810.*

*Gregorius Kochanowicz Leoni Jaworowskyj, Nominato, de sua consecratione Polociae, de consecratore, de transmittenda professione fidei etc.*

*Ex Archivo monasterii Borunensis.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI, pag. 588-9, nr. 562,*  
*Vilna 1889.*

---

<sup>233</sup> Documentum sub hoc numero editum dicitur a historiographis s.d. «epikia».

Mniemam, iż jest wiadomo J. W. Wmć. Panu Dобр., jako zeszły w Bogu J. W. J. X. Herakliusz, Metropolita, Arcybiskup Połocki,<sup>234</sup> czując siebie słabym, a przeto nie mogącym dopełnić swego obowiązku względem konsekracyi nominowanych na Biskupią godność osób, instrumentem swoim, dnia 19-go Augusta zeszłego roku wydanym, poruczył mnie хиротонію nominowanych czynności, przelewając juryzdykcją swoją metropoliczą na osobę moją, y tegoż czasu do Majestatu naypoddannieyszą zaniosł prozbę o utwierdzenie tey delegacyi y innych uczynionych względem unitów rozrządzeń.

Jego Imperatorska mość, Pan nasz naymiłościwszy, utwierdziwszy s. p. Herakliusza Metropolity rozporządzenia, rozkazać raczył mnie do stolicy przyiachać dla uskutecznienia onych. Za takowym rozkazem, gdym przybył do Sankt-Peterburga, znalazłem już przybyłego pierwey J. W. J. X. Biskupa Brzeskiego Bułhaka, z którym oraz y z nominowanym na Arcybiskupa Połockiego J. W. Krassowskim naradzając się względem konsekracyi nominowanych na dostoieństwo biskupie osób y umówiwszy się takowe akta odprawić w katedrze Połockiey, zapobiegając opacznym wnioskom, tłومaczeniom y zarzutom od współczesnych, lub w potomności wyniknąć mogącym, uczyńiliśmy akt y podpisami przy pieczęciach umocniliśmy, którego kopią legalizowaną tu przyłączam.

Jest zatym moim obowiązkiem obwieścić J. W. Wmć. pana o tem, iż konsekracja. Jego ma być odprawiona w cerkwi katedralnej Połockiey, że konkonsekratorem ma być J. W. Biskup Brzeski, że tytuł otrzymasz znakomitey niegdyś naszey unitskiej katedry. O terminie zaś konsekracyi późniejszej zawiadomię J. W. Wmć. pana, dgyż ieszcze niemogę zgadnąć, jak tu długo zabawię.

Gdym czytał process personalny J. W. Wmć. pana, tu mnie oddany, nie znayduię między papierami onego professionem fidei catholicae wedle formy Urbana VIII, cyli też synodu Zamoyskiego; raczysz więc J. W. Wmć. pan takowe wiary katolickiey wyznanie własną ręką napisać, podpisać y pieczętkę przyłożyć, a przy responsie na niniejszy list do mnie przysłać dla dopełnienia wspomnionego processu.

Polecam mię dobremu Jego sercu y z winnym uszanowaniem ostawam  
Ill.mi, R.mi D.mi, Patroni Colend.mi addictissimus frater in X-to et obsqmus  
Servus

GREGORIUS KOCHANOWICZ, Episcopus Luceoriensis, m.p.

Dnia 9-go Januarii 1810, w St. Peterzburgu.

<sup>234</sup> Heraclius Lisowskyj, Archiepiscopus Polocensis (1784-1809), die 19 Augusti 1809 anni nominavit supradictos Suffraganeos, quos non iam valuit consecrare, et integrum negotium suo successor Kochanowicz commisit, qui ab Alexandro I, petente Lisowskyj, confirmatus est in Metropolitam Unitorum die 23 Septembris 1809.

## 7.

*Petropolis, 28. X. 1810.*

*Gregorius Kochanowicz Leoni Jaworowskyj de proximis programmatibus,  
praesertim consecrationis Nominatorum episcoporum etc.*

*Ex Archivo monasterii Borunensis.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI, pag. 601, nr. 264,  
Vilna 1889.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine frater, patrone Col-me.

Rok już mija moiego tu w stolicy mieskania. Raz tylko ieden miałem honor pisać do JW. wm. pana, podając mu przyacielskie rady, odnoszące się do iego konsekracyi; do dalszey zaś korrespondencyi nie miałem materyi dostateczney; czynić bowiem kondolencyą nad tem, że mu było zamitrężone żałowanie, nie przystało, a winszować nie było czego, gdyś to otrzymał, co sprawiedliwie należało.

Teraz donoszę to, co iest wartym JW. Wm. wiadomości, a naprzód: komitet, dla którego wezwany tu byłem, na dniu 14 Septembra rospocząwszy, 25 tegoż miesiąca szczęśliwie dokończyliśmy. Położenie nasze Jego Imperatorska mość raczył łaskawie konfirmować. Położenie nasze zabezpieczyło klasztory zakonu naszego i onych maiątki przy possessyi duchownych właścicieliów tak, iż na nie nikt posiągać nie odważy się, a zakonne osoby wolne będą od superintendency edukacyjnej władzy i nie podpadną żadnej reformie.

Powtore, iż na dniu 22 praesentis podobało się Imperatorowi panu nominować mnie, namniejszego z pasterzów, metropolitą Greko-unickich w Rossijskiej cerkwie. Kopia naywyższego ukazu (któրą tu łączę) iaśnjej JW. Wm. pana przekona o tem; ta wiadomość rozumiem, że mu będzie przyjemna, a ja z tego się cieszę, że nietylko delegowaną mi władzą, lecz i własną powagą dopełniwszy to, com winien stolicy apostolskiej, pierwiej będę miał szczęście pomnożyć pasterzów dla Greko-katolickiej rozumnej trzody.

3-o JW. nominat Połocki<sup>235</sup> dnia wczorayszego stąd do Połocka wyiechał, my zaś z JX. opatem Mieleckim ieszcze się tu bawiemy, ja dla dalszey interesów duchownych organizacyi, a opat, że bez pożegnania Cesarza Imści ziąd wyiechać nie może i musi czas nieiaki posiedzieć, póki otrzyma audiencję.

4-o Cerkwie, od Gallicy do imperium Rossijskiego przybyłe,<sup>236</sup> w liczbie

<sup>235</sup> Joannes Damascenus Krasowskyj (1811-1826).

<sup>236</sup> In s.d. districtu Tarnopoliensi; cfr. PELESZ J., *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, vol. II, pag. 798; in Tractatu Schönbrunensi (14.X.1809). In hac regione inveniebantur 17 Decanatus.

328 i ieden klasztor mają bydż przyłączone do moiej Luckiey dyecezyi, iako przylegle.

5-o Konsekracye nominowanych w Połocku chyba nastąpią<sup>237</sup> około Bożego narodzenia, lub nowego roku; nie spodziewam się bowiem przedszey dla siebie z stolicy odprawy. Dobra mieć będziecie panowie do Połocka sanną drogę. O terminie konsekracyi będzie moią powinnością JW Wm. pana obwieścić i do Połocka zaprosić, a dla JW. JX. biskupa Brzeskiego na wyjazd z dyecezyi pozwolenie od Monarchy uprosić.

O tem wszystkim, com tu wypisał, może JW. Wm. Pan masz aliunde dokładniejsze doniesienia, a ja tylko za rzetelność moiego śmiało ręczyć mogę.

Świętobliwym modlitwom Illustrissimi, Reverendissimi Domini i całego zgromadzenia Supraslkiego mnie polecam i z należytym uszanowaniem iestem Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae frater in Christo addictissimus et Servus humilis

GREGORIUS, Episcopus Luceoriensis, nominatus Metropolita, m.p.

## 8.

*Petropolis, 6. XII. 1810.*

*Litterae Gregorii Kochanowicz Leoni Jaworowski, ut veniat Polociam ante Nativitatem Domini, ut possit praeparari ad consecrationem etc.*

*Ex Archivo monasterii Borunensis.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI, pag. 600, nr. 263,*  
Vilna 1889.

Illustrissime ac Reverendissime Domine!

List Illustrissimi, dnia 10 Oktobra z Suprasla do mnie pisany, a do Połocka adressowany, ledwo dnia wczorayszego rąk moich doszedł.

Nie zapraszałem ja o tey porze, iak Ill.mus w liscie wymieniasz, JW. biskupa Brzeskiego dla konsekracyi JW. Nominata Połockiego, bo ieszcze w ten czas nie mogłem wiedzieć, iak długo tu się przyidzie w stolicy bawić. Lecz późniece, kiedy się niektóre ułatwili interessa, kiedym otrzymał odjechać pozwolenie do Połocka, zdeterminowałem termina konsekracyom JW. Połockiego 1-o, JW. Hołowni 8-o, a JW. Wm. pana 10-o, lub 13-o następującego miesiąca Januaryi; y aż dopiero listem 29 Nowembra pisanim prosiłem JW. Biskupa Brzeskiego, aby raczył przybydż etiam przed uroczystością Bożego Narodzenia, a to aby personalny process JW. Nominata Połockiego mógł z moiego poruczenia przed nowym rokiem odprawić.

<sup>237</sup> Consecratio haec locum habuit anno 1811, die Natalis Domini, veteris styli.

Teyże daty pisałem i do JW. Wm. pana, prosząc, abyś do Połocka przed nowym rokiem przybył dla uczynienia nam pomocy konsekratorów przy pierwszych chyrotonijach i przypatrzenia się ceremoniom, które i sam potem będziesz odbywał. Ten mój list chyba Ill.mus medijs praesentis otrzymasz, iak uważam na odległość mieysca. Lecz mnie to bardzo zadziwia, iż na list mój w ostatnich dniach Oktobra do JW. Wm. pana pisany, nie otrzymałem o dojściu żadnej wiadomości. O expensa w Połocku niechciey się Ill.ms troszczyć; te nie powinne bydź wielkie; nie będziemy wystawności osobliwszey czynić, obeydziemy się bez wielkiego szumu. Na szczęście, że może ten list mój ieszcze w domu JWM pana zastanie, piszę, odpisywać zaś do mnie nie trzeba, gdyż po 12 dniu niniejszego miesiąca pewnie z stolicy do Połocka wyjadę; iestem z prawdziwym szacunkiem Illustrissimae ac Reverendissimae D.nis Vestrae frater in Christo et Servus addictissimus

GREGORIUS n. Metropolita, Episcopus Luceor., Archimandrita Onuphriensis.

**EPISTOLAE JOSAPHAT BULHAK  
Metropolitae Kioviensis**

**(1817 - 1838)**





**JOSAPHAT BULHAK**  
**Metropolita Kioviensis (1817-1838)**



## **JOSAPHAT BULHAK BIOGRAPHIA**

Ultimus Metropolita Kioviensis seu Administrator eiusdem ex nominatione Sedis Apostolicae, vel Metropolita Ecclesiarum Unitarum in Russia ex nominatione Imperatoris Alexandri I erat Ignatius Josaphat Bulhak, primum et postea etiam episcopus Berestensis. Cum eius morte 23 Februarii 1838, brevi tempore Hierarchia Unita, duce Josepho Siemaszko apostatavit et Ecclesiae Dominanti Orthodoxae se univit anno 1839. Cum morte Josaphat Bulhak series Metropolitarum Kioviensium finem habuit.

\* \* \*

Ignatius Josaphat Bulhak natus est die 20 Martii 1758 in districtu Slonimensi in Alba Russia, ex antiqua familia nobili stigm. Sorokomla, patri Josepho, et matre Rosalia; Ritu Latino baptizatus fuit et nomen Ignatii obtinuit. Jam a decimo anno vitae scholas frequentabat Basiliatorum (1768-1774) Zyrovicensium. Anno 1774 ingressus Ordinem Basiliatorum, professionem monasticam anno sequenti depositus sub nomine Josaphat et Ritum Ruthenum accepit. Usque ad annum 1779 studuit Rhetoricae et Philosophiae, ut videtur in eodem monasterio Zyrovensi, et dein per tres annos et ipse docuit easdem materias in Berezvecz et Zyrovice. Anno 1782 missus est Romam in Collegium de Prop. Fide, ubi theologiae studuit per plus quam tres annos et obtinuit lauream in Theologia et Jure Canonico, ubi et ordinatus fuit sacerdos in ecclesia S. Athanasii 27. III. 1785.

Reversus in patriam, devenit praedicator in monasterio Vilnensi, sed iam anno 1786 episcopus Pinscensis Joachimus Horbackyj eum sibi in Coadiutorem assumpsit, concesso ipsi titulum episcopi Turoviensis, et a Sede Apostolica dispensationem obtinuit a defectu aetatis, et tantummodo 26 Septembris 1790 Metropolita Rostockyj eum in episcopum consecravit Varsaviae, coram Rege Poloniae Stanislao.

Ante suum iter Petropolim anno 1794 Metropolita Rostockyj episcopum Turoviensem administratorem suae eparchiae in Ucraina constituit. Sed mox venit cassatio Hierarchiae Unitae a Catharina II anno 1795 et Bulhak sedem Turoviensem amisit, quae in secunda et tertia exdivisione Poloniae in dominium cessit Moscovitarum. Hoc tempore persecutionis Ecclesiae Unitae et pertractionis Unitorum ad Religionem dominantem seu orthodoxiam, Bulhak multum laboravit in eius defensionem. Sed mox, sub finem

anni 1796 Catharina II obiit, cui successit eius filius Paulus I, qui alium modum agendi in rebus religionis assumpsit et Hierarchiam Unitam in Sede Berestensi, Vilnensi et Luceoriensi restituit et Legato Apostolico commissum erat de vacantibus eparchiis providere. Cum in Aprili 1798 episcopus Berestensis Arsenius Glowniewskyj ad meliorem transiit vitam, Josaphat Bulhak nominatus fuit episcopus Berestensis; postquam Sedi Turovo-Pinsensi abdicavit, die 8 Januarii 1799 L. Litta ei Processum canonicum et confirmationem apostolicam procuravit, simul cum amplissimis facultatibus. Suam eparchiam simul cum praecedenti Pinsensi Bulhak ex novo reformavit et meliorem administrationem introduxit. Per quinque annos etiam iurisdictionem in Basilianos exercuit ex commisione Legati, et 8-23 Septembbris 1802 anno Capitulo Generali Zydyczynensi praesidebat et electioni novae Curiae Generalis invigilabat.

Annis 1804-1805 erat Membrum Collegii Spiritualis Petropoli et defensionem Basiliatorum sustinuit. Sed postquam anno 1805 Collegium divisum fuit et separatum pro Unitis fuit institutum, cui praesidebat H. Lisowskyj, Bulhak rediit in eparchiam, ubi multa pati debuit tum a suo capitulo Berestensi, tum ob Seminarium Vilnense, tum denique ob meliorem dispositionem suae eparchiae.

Post mortem Heraclii Lisowskyj, Metropolitae Unitorum, Bulhak ad hanc dignitatem praetendebat inutiliter apud Aulam Petropolitanam. Dum Metropoliam hanc obtinuit Gregorius Kochanowicz (1809), ipse anno 1810 Petropoli simul cum aliis partem habuit in compositione s.d. «epikiae», qua relationem ad Sedem Apostolicam, tunc impeditam, constabilire contendebat, et in consecratione novae Hierarchiae partem habuit. Annis 1812-1814 suae eparchiae reordinandae attendebat, praesertim occasione belli napoleonici, et post mortem Gregorii Kochanowicz (1814), dioecesim Luceoriensem administrabat, et Metropoliam obtinere contendebat et 27 Januarii 1817 Sedem hanc ex nominatione Alexandri I obtinuit, retenta eparchia Berestensi, a die 24. X. 1817 devenit etiam Praeses Collegii Spiritualis Petropolitani Unitorum, et Petropoli residebat, consecrato, in episcopum Luceoriensem, postquam a Sede Apostolica confirmationem Delegati Administratoris Metropoliae Unitorum in Russia obtinuit. Decretum de Prop. Fide de die 22 Novembbris 1818 confirmavit ei omnia privilegia metropolitanorum unitorum. Sed definitivam confirmationem in Metropolitam usque ad mortem non obtinuit.

Iam ab ipsis principiis sui officii plures habuit difficultates cum clero saeculari, qui Basilianos debellabat dum Bulhak iisdem favebat; 1822-1823 causam agebat cum archiepiscopo Polocensi Joanne Krassowskyj de eius ineptitudine ad administrationem, quem et deponere debuit; partem habuit in coronatione novi Imperatoris Nicolai I (1826), qui et Unionem in suo

imperio sepelivit (1838), ad quam rem iam inde ab anno 1827, collaborante Josepho Siemaszko, Ecclesiam Unitam praeparabat variis ordinationibus seu mandatis. Anno 1827 Basilianis candidatos Ritus Latini acceptare in Ordinem prohibuit; anno 1828 plura accepit gravamina Ecclesia Unita; J. Bulhak devenit Praeses separati Collegii Graeco-Uniti, et obtinuit novam eparchiam Lithuaniae; anno 1830, in Decembri, subscrispsit praeparatam a Josepho Siemaszko litteram encyclicam, quae omnes insurrectiones condemnabat; post mortem episcopi Martusewicz, anno 1833 translatus est ad pinguem dioecesim Albae Russiae cum titulo archiepiscopi Polocensis; anno tandem 1834 consecravit tres Suffraganeos, propositos a J. Siemaszko: Zubko, Zarski et Lužynski, et subscrispsit mandatum Collegii Spiritualis de receptione librorum liturgicorum moscoviticae editionis; item anno 1837 subdere se debuit cum suo Collegio Spirituali Unito «oberprocurori» Protasov, spem inanem habens in conservationem Unionis. Ideo omnia subscribebat, quae ipsi subscribenda proponebantur. Iam fere octuagenarius, non valuit contra agressionem apostatarum protestare, qui directe unionem cum Orthodoxia proponebant et mortem Metropolitae exspectabant, ut iam clare procedere possent.

Obiit Josaphat Bulhak die 23 Februarii 1838 Petropoli, ubi et sepultus est in ecclesia orthodoxa S. Sergii ad Peterhof. Josaphat Bulhak, ex omnibus episcopis Ecclesiae Unitae ab Unione Berestensi usque ad nostra tempora, curriculum administrativum episcopale fere 50 annorum habuit, et ultimus in serie Metropolitarum Kioviensium Catholicorum fuit.

*Bibliographia:* – Monographiam propriam B. non habet; ex minoribus articulis vel libris historicis sequentia iuvat memorare:

HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, pp. 878-76, 897-900; PELESZ J., *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, II, Wien 1880; LESCOUER, *L'Eglise catholique en Pologne*, Paris 1876, t. I<sup>o</sup>, 145, 159-160; THEINER A., *Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841; LIKOWSKI E., *Dzieje Kościola Unickiego na Litwie i Rusi w XVIII i XIX w.*, W. 1906; BOUDOU A., *Stolica swieta a Rosja*, Kraków 1928; CHARKIEWICZ W., *Zmierzch unii kościelnej na Litwie i Białorusi*, Słonim 1929; DUBIECKI M., *Teresa z Wierzbickich Bulhakowa*, Krakow 1895, p. 32-45; BOBROWSKI P.O., *Russkaja grecko-unijatskaja cerkow w carstvovaniju Imperatora Aleksandra I*, Petersb. 1890 et alia; SZAWELSKIJ G., *Poslednieje vozsojedy-nenie s pravoslavnou cerkoviu uniatov Bielorusskoj eparchii (1833-9 g.)*, Peretersb. 1910; *Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju*, t. XVI, Vilno 1889; *Opisanije dokumentov archiva zapadnorusskych uniatskych mitropolitov*, Petersb. 1907 etc.

## DOCUMENTA ROMANA BIOGRAPHICA

### I.

*Romae, 27. III. 1785.*

*Prima data biographica Josaphat Bulhak, Alumni Pontificii S. Congregationis de Prop. Fide.*

ARCHIVIO DEL COLLEGIO URBANO, vol. 2, *Giuramenti*, f. 187; *Registro*, vol. 2, fol. 29; *Liber Ordinationum*, vol. 1, fol. 74-75.

BLAŽEJOWSKYJ D., *Ukrainian and Bielorussian Students...*, Roma 1974, pag. 220.

JOSAPHAT BULHAK, OSBM, Prov. SS. Trinitatis

Filius Josephi et Rosaliae...

VILNENSIS... districtus Slonimensis

Iuravit die 15 Augusti 1783...

A dì 21 Marzo 1784... Clugnes... conferì gli Ordini minori... S. Atanasio...

A dì 13 Marzo 1785... Clugnes... subdiaconato S. Atanasio... A dì 19 Marzo 1785 ...Clugnes... conferì diaconato nella suddetta chiesa. A dì 27 Marzo 1785, giorno di Pasqua... S. Atanasio... Presbiterato.

Omnia praeclara et insignia, quae necesse est, ut resplendeant in ministris Ecclesiae, reperiuntur Dei beneficio in praefato adolescente; eventus probabit opus.

### II.

*Pinsk, 25. IX. 1786.*

*Joachimus Horbackyj certiorat Cardinales de Prop. Fide de nominatione Josaphat Bulhak in episcopum Turoviensem et Coadiutorem Pinscensem, de eius iuvenili aetate et petit dispensationem a defectu aetatis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 875, fol. 150rv.

1786, 25. 7bris. Pinsci.

Eminentissimi Patres, Domini ac Patroni Amplissimi.

Placuit Serenissimo Regi, Domino meo Clementissimo, Admodum R.ндum Patrem Josaphat Bulhak, ex Ordine Basiliano, aetate quidem iuvenem, sed moribus, scientia, ac caeteris virtutibus gravem, in Coadjutorem Episcopatus mei Pinscensis, et Turoviensis cum futura etiam successione, suo Regali

Privilegio nuperrime nominare. Pro hac equidem nominatione meas quoque Sacrae Majestati adieci preces, spe non inani de praedicto P. Josaphat precepta, quod et Sanctae Catholicae Religioni, et Ecclesiae Pinscensi aliquando non sit inutilis. Et quia antiquum et canonicum sit, promotionem ad Episcopatum non posse dici, et esse canonicanam, nisi a Sancta Sede Apostolica, cuius juris ac muneris est, omnibus Christi Ecclesiis per Orbem constitutis, Pastores praeficere, rata fiat; hinc de Coadjutoris mei facta Nominatione, Eminentias Vestras, quibus a Sanctissimo Domino Nostro in similibus negotiis summa rerum concredita est, certiores facio, (f. 150v) simulque enixissime rogo, ut praedictam Coadjutoriam Sanctitas Sua benigne confirmare dignetur. Quam gratiam dum summopere supplex exoro, D. Opt. Max. ut Suam Sanctitatem pro Ecclesiae suae incolumitate semper felicem, Vosque Patres Eminentissimos ad eius juvamen sospites diu conservet, incessanter precor, ac penes Sanctorum Suarum manuum osculum lubentissime maneo cultu profundissimo.

Eminentiarum Vestrarum humillimus Servus

JOACHIMUS HORBACKI, Ep. Piscen. et Turov.<sup>238</sup>

### III.

Pinsk, 7. XII. 1786.

*Iterata instantia ep. Pinscensis Joachimi Horbackyj de nominatione Josaphat Bulhak in episcopum Turoviensem et Coadjutorem Pinsensem, de defectu aetatis et dispensatione ab hoc impedimento. Consecratus revera fuit in Septembri 1790, a Metropolita Rostockyj Varsaviae, coram Rege Poloniae.*

APF, *Scritt. rij. n. Congregazioni Generali*, vol. 875, fol. 149rv.

Eminentissimi Patres, Domini, ac Patroni Amplissimi.

Anno moderno, ni fallor, I.mis 7bris, ad Eminentias Vestras literas meas direxi, de nominatione a Serenissimo Domino meo Rege in Personam Admodum R.ndi Domini Josaphat Bulhak ex Ordine Basiliano, pro Episcopatu meo Pinscensi et Turoviensi, Coadjutoria facta, VV. Eminentias certiorantes, et eiusdem Coadjutoriae Apostolicae confirmationem postulantes. Verum quia desideratam confirmationem hucusque non sumus sortiti, subindeque vereor, ne memoratae meae litterae, casum aliquem in cursu suo patiantur; quapropter preces meas repetere ex aequo duxi. Exinde vos, Patres Eminentissimos, humillime obsecro, ut Vesta eximia accidente intercessione, SS.mus Domi-

<sup>238</sup> Joachimus Horbackyj, Episcopus Pinscensis et Turoviensis (1784-1795); cfr. *Encyklopedia Powszechna*, vol. 13, pag. 136.

nus Noster pro sua Pontificia potestate, praedictam Admodum R. ndi Domini Josaphat, viri equidem iuvenis, sed morum probitate, et caeteris qualitatibus gravis, cum futura etiam successione in Episcopatum meum Pinscensem et Turoviensem a Sacra Majestate nominatam Coadjutoriam benigne confirmare; et quia eidem Admodum R. ndo P. Josaphat Bulhak, Coadjutori, requisita aetas (f. 149v) canonica ad Episcopatum desit, ego vero vires ac valedicinem meam continuo diminui sentiam, exinde muneri meo satisfacere, Dioeceses inter Schismaticos positas, praesertim hoc maligno ac periculo Sanctorae Unioni tempore, gubernare vix sperem, adeoque cum eodem super canonicam aetatem pro sua Apostolica Benignitate dispensare dignetur. Quam gratiam dum supplex exoro, Deum Optimum Maximum pro Suae Sanctitatis et Vestiarum Eminentiarum incolumente, cum toto curae meae commisso grege incessanter precor, et penes Sanctarum suarum manuum lubentissimum osculum maneo, cultu profundissimo.

Eminentiarum Vestiarum humillimus et observantissimus Servus

JOACHIMUS HORBACKI, Episcopus Pinscensis et Turoviensis (mpr.).

1786, 7. Xbris, Pinsci.

#### IV.

(Roma), II-III, 1787.

*Promemoria comitis Antici de Coadiutoria Pinsensi in persona Josaphat Bulhak, laboranti defectu aetatis, et instat, ut dispenseatur apud Praefectum de Prop. Fide, Antonelli.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 875, f. 14rv, 159.

#### Pro Memoria.

L'età senile, e gli abituali incomodi di salute di Monsignor Giovacchino Horbacki, Vescovo di Pinsko, e di Turovia di Rito Greco-Unito in Lituania, lo hanno mosso, pel buon servizio, e pel bene delle sue Chiese, ad assumersi in Coadjutore il P. Giosafatte Bulhak, Religioso Professo dell'Ordine di San Basilio.

Il Re, non pure acconsente alla destinazione di tal Coadjutore, siccome risulta dal Regio Diploma dei 13 Gennajo 1787, il quale congiuntamente al consenso di Monsignor Coadjuto, trovasi esibito nella Segreteria della Sacra Congregazione di Propaganda Fide; ma inoltre ha incaricato il Marchese Antici (f. 148v) suo Ministro Plenipotenziario in Roma,<sup>239</sup> di supplicare, per

<sup>239</sup> Antici Thomas, comes natus in Recanate, in Italia, cardinalis; inde a temporibus Stanislai Augusti Poniatowski (1779); ab anno 1766 nominatus agens apud Sedem Apostolicam Regni Poloniae (chargé d'affaires), dein obtinuit titulum ministri Regis

mezzo della suddetta Congregazione il S. Padre, perchè, attesi li particolari meriti, e la somma dottrina, e prudenza del Religioso suddetto, voglia degnarsi di dispensarlo dal difetto dell'età canonica, in lui supplita dai molti suoi meriti, compiendo egli ai 20 del prossimo Marzo il vigesimo nono anno della sua età, essendo nato ai 20 di Marzo 1758.

Il Ministro suddetto, eseguendo i Comandi del Re suo Signore, implora i buoni ufficij dell'Eminentissimo, e Reverendissimo Signor Cardinale Antonelli Prefetto rispettabilissimo della Sacra Congregazione,<sup>240</sup> perchè (f. 159) voglia intercedere da S. Santità l'opportuna Dispensa non meno che l'Apostolica ammissione, e conferma dell'indicata Coadjutoria.

## V.

(Roma), II-III, 1787.

*Instantia comitis Antici, agentis Regis Poloniae, pro Josaphat Bulhak, Nominati Turoviensis et Coadiutoris Pinscensis, apud Secretarium de Prop. Fide-Borgia, pro dispensatione a defectu aetatis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 875, f. 151rv.

## Pro Memoria.

L'età senile, e gli abituali incommodi di salute di Monsignor Giovacchino Horbacki, Vescovo di Pinsko, e di Turovia di Rito Greco-Unito in Lituania, lo hanno mosso pel buon servizio, e pel bene delle sue Chiese ad assumersi in Coadjutore il Padre Giosafatte Bulhak, Religioso Professo dell'Ordine di San Basilio.

Il Re, non pure acconsente alla destinazione di tal Coadjutore, siccome risulta dal Regio Diploma dei 13 di Gennajo del corrente anno 1787, ma inoltre ha incaricato il suo Ministro Plenipotenziario in Roma, Marchese Antici, di supplicare per mezzo della S. Congregazione di Propaganda Fide il Santo Padre (f. 151v), perchè, attesi li particolari meriti, e la somma scienza, e dottrina del Religioso suddetto, voglia degnarsi di dispensarlo del difetto

---

et Reipublicae Romae; homo habilis et peritus; Regem Poloniae semper defendebat, et fere uniuscuiusque hebdomadae ei Roma scripsit; audax fuit in propositionibus in favorem Regis et Poloniae; hac ratione Nuntium Durini adversabat, inimicus confederationis Barenensis; plura insignia habuit, et nobilitatem polonam obtinuit, et plura beneficia; anno 1779 (27.IV) obtinuit nominationem regiam ad cardinalatum. Ab anno 1792 caepit diversa bona polona in Italia sibi conquirere; 30.III.1789 nominatus fuit cardinalis, sed tantummodo anno 1795 (25.IX) fit presbyter; anno 1798 (7 Martii) cardinalatum abdicavit, «ob assiduam corporis valetudinem», et Pius VI abdicationem admisit die 7 Septembbris 1798; cfr. *Hierarchia catholica*, vol. VI, pag. 36.

<sup>240</sup> Leonardus Antonelli, Praefectus Congr. de Prop. Fide (1780-1795).

dell'età canonica, in lui supplita da molti suoi meriti, compiendo egli ai 20 del prossimo Marzo il 29 anno della sua età, essendo nato ai 20 di Marzo del 1758.

Il Ministro suddetto eseguendo i Comandi del Re suo Signore, implora i buoni ufficij dell'Ill.mo e Rev.mo Mgr. Borgia,<sup>241</sup> degnissimo Segretario della S. Congregazione, perchè voglia degnarsi intercedere ad Sua Santità l'Apostolica ammissione, e conferma di tale Coadjutoria, etc. etc. ...

## VI.

*Roma, 26. III. 1787.*

*De Coadiutoria Josaphat Bulhak Episcopatus Pinsensis et Turoviensis.*

APF, *Litterae S. Congregationis et Secretarii*, vol. 251, f. 28rv.

WELYKYJ A. G., *Litterae S. C. de Prop. Fide...*, vol. VI, pag. 261.

All'Em.mo Signor Cardinal Braschi Onesti, Segretario de Brevi.

Essendosi degnata la Santità di Nostro Signore di accordare ad istanza di questa S. Congregazione di Propaganda un Coadiutore con futura successione a Mons. Horbacki, Vescovo Ruteno di Pinsco e Turovia in Lituania, nella persona del P. Giosafatte Bulhak, Basiliano Monaco Ruttenu, Borgia Segretario di Propaganda si da l'onore di rimetterne a Vostra Eminenza il Decreto, affinchè dia gli ordini opportuni per la spedizione del solito Breve, nel quale sarà necessario di esprimere la dispensa dall'età, e la remissione a Monsignor Arcivescovo (f. 28v) Metropolitano di Russia per il processo, istruzione e consecrazione dell'Eletto, con le altre clausole indicate nel Decreto. — Approfitta lo scrivente ben volentieri di questo incontro per confermare all'E.V. gli attestati della sua devotissima servitù, e pieno d'ossequi profondamente se le inchina, etc., etc.

## VII.

*Roma, 28. IV. 1787.*

*De Coadiutoria Pinsensi Josaphat Bulhak, episcopi Turoviensis.*

APF, *Litterae S. Congregationis et Secretarii*, vol. 250, fol. 221-222.

WELYKYJ A. G., *Litterae S. Congregationis de Prop. Fide...*, vol. VI, pag. 263, nr. 2982.

<sup>241</sup> Stephanus Borgia, Secretarius Congr. de Prop. Fide (1770-1789) dein Cardinalis a die 30.3.1789 tit. S. Clementis, et Praefectus Congr. de Prop. Fide (1801-1804). Obiit die 23.11.1804. Cfr. *Hierarchia catholica*, vol. VI, pag. 36.

Rev.mo D. Joachimo Horbacki, Episcopo Rutheno Pinscensi  
et Turoviensi. 28. Aprilis 1787.

Quando quidem bonum Ecclesiarum (f. 222), quae A.T. curae commissae sunt, postulare videtur, tibi longaeva aetate, et valetudine laboranti Coadiutor detur, qui ad ferendum pastorale onus auxilio tibi sit, atque levamini, Sac. haec Congregatio petitioni tuae libenter annuit, eoque libentius, quod in Coadiutore designando oculos inieceris in probatum virum P. Josaphat Bulhak, Sacrae huius Congregationis alumnū,<sup>242</sup> qui plura etiam in Collegio Urbano praebuit probitatis, et studii argumenta. Placuit ergo SS.mo Domino Nostro, Sacra Congregatione suffragante, eundem P. Josaphat Bulhak in Coadiutorem tuum cum futura successione, et cum charactere episcopali, ac titulo (f. 222v) Turoviensis Ecclesiae constituere, eumque super aetatis defectu benigne dispensare, quemadmodum ex Litteris uberioribus noveris. Dum igitur in huiusmodi concessione voluptatem ex eo capio, quod votis Regiae istius Maiestatis, et tuis satisfecerim, D.O.M. precor, ut A.T. diutissime servet, ac sospitet, etc., etc.

### VIII.

*Varsavia, 26. IX. 1790.*

*Metropolita Rostockyj certiorat suam eparchiam de nominatione Josaphat Bulhak in episcopum Turoviensem, et coadiutorem Pinscensem.*

*Die neuesten Zustaende... Dokumenten nr. 106-108.*

*Akty izdavajemye Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. 16, pag. 562-3.*

Universis et singulis praesentes visuris, lecturis legive audituris, singulariter vero tibi Ill.me et Rev.me Domine, Josaphat Bulhak, nominato episcopo Turoviensi et coadiutori Pinscensi, salutem omnemque prosperitatem in Domino precamur.

Theodosius Rostocki, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia, Archiepiscopus Kioviensis, Haliciensis, totius Russiae Metropolita, Archimandrita Kovo-Pczarensis et ordinis S. Stanislai Eques.

Cum piissimus Ruthenorum Metropolita Michaël Rahoza sanctam totius Ecclesiae suae unitatem de anno 1595 feliciter, Deo coadiuvante, constabiliisset Hypatiumque Pociey, Volodimiriensem et Cyrillum Terleckyj, Luceoriensem Episcopos cum Fidei Catholicae professione et debita Sedi Apostolicae obedientia ad Sac. Mem. Clementem PP. VIII, synodaliter ablegasset,<sup>243</sup> istorum

<sup>242</sup> Josaphat Bulhak, Basilianus, Alumnus Coll. Graecorum (1783-1785); ordinatus sacerdos Romae 1785. Cfr. infra, pag. 350.

<sup>243</sup> Cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae 1970.

vero sollicitudine hoc quoque a Sede Apostolica privilegium confirmari obtinuissest, ut vacantibus in Russia Ecclesiis Cathedralibus solus Russiae Metropolita, servatis de lege servandis, jure et nomine Apostolico Pastores in aevum praeficiat. Cumque onus dignitatis Metropolitanae humeris nostris, licet imparibus, desuper impositum portemus, muneri et officio Nostro utique deessemus, nisi habentes authentice productum consensum Ill.mi ac Rev.mi Domini Joachimi Horbacki, Episcopi Pinsensis et Turoviensis, legitimamque Ser.mi Stanislai Augusti, Regis Poloniarum ac Domini Nostri Clementissimi nominationem, de die 10 mensis Maji anno 1786 emanatam, nec non Sanctae Sedis Apostolicae approbationem et consequenter liberam Episcopatus Turoviensis cessionem, per supradictum Ill.mum et Rev.mum Episcopum Pinsensem factam, in Turoviensem Episcopum et Coadiutorem Pinsensem te promoveremus. Hinc canonicum super tui vita, moribus, idoneitate ac meritis superque statu Ecclesiae Turoviensis instituimus processum et huius tractu compertis ac juramento testium comprobatis virtutum donis, quibus earumdem Largitor Altissimus te insignivit, attentoque eo, quod praefatam Ecclesiam ac Dioecesim Turoviensem regere et Ill.mo et Rev.mo Coadiuto tuo strenuus adiutor esse certo certius poteris, tuta conscientia, optimo iure omnique iustitia ad tui consecrationem institutionemque procedi posse ac debere decrevimus; adveniente tandem die Dominico ante festum S. Josaphat, die scilicet 26/15 Octobris in Nostra Capella Varsaviae, ad praesentiam Ser.mi Regis, Senatus nec non Cleri Populique confluxum ac conspectum, publicam nedum Fidei Catholicae professionem, ast etiam debitam Sedi Apostolicae Romanoque Pontifici ac Nobis Successoribusque nostris subiectionem et obedientiam, imo inviolabilem Serenissimo Stanislao Augusto, Regi ac Domino Nostro Clementissimo et inclytis Reipublicae Statibus fidelitatem a te recepimus, assistantibus denique Ill.mis et Rev.mis Dominis Simone Mlocki, Vladimiriensi, et Stephano Lewinski, Coadiutore Luceoriensi, Episcopis, intra Pontificalium sollemnia in Episcopum et Coadiutorem perpetuum ac irrevocabilem Ecclesiae Pinsensis te consecravimus, sicque consecratum, qua desuper polleamus auctoritate, praesentibus instituimus, dantes tibi potestatem ea omnia et singula in spiritualibus et temporalibus tuae dioecesis peragendi et exequendi, quae cuilibet episcopo de legitimo iure deque laudabili consuetudine competere possunt.

Dum ergo gratia Dei ad operandum in Vinea Christi Domini onusque eius suis humeris portandum vocatus sis, spem non vanam habemus, tua memoria continuo retineri, quod praefatam Ecclesiam Turoviensem ad Cultus Domini Fideique Orthodoxae augmentum, nominisque Regi et Reipublicae gloriam utiliter gubernare, a quolibet bonorum mobilium alienatione abstinere omnino obligatus existas. Proinde Rev.mis praelaudatae dioecesis Officialibus, Surrogatis, Decanis, Parochis universoque Clero ac

Populo praesentium tenore mandamus, ut tibi tamquam Membra Capiti obsequentes, veluti Patri et Pastori suo, omnimodam reverentiam obedientiamque prompte et alacriter exhibeant, salubria tua monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere curent, ita ut in eis tu veros filios, ipsi autem in te verum Patrem invenisse gaudeant, tumque Ill.mus et Rev.mus Coadiutus promptum semper a te adiutorium, Clerus autem Pinscensis spiritualia sua obsequia obtineat.

In quorum fidem has litteras manu sigilloque nostris munitas dedimus.  
Varsaviae, die 26 Septembris (7 Octobris) 1790.

THEODOSIUS ROSTOCKI, Metropolita totius Russiae (L.S.)

B. Nazarewicz, Actor. Curiae Metrop. Notarius.

## IX.

*Vilna, 10/21. X. 1798.*

*Petit novus episcopus Brestensis Bulhak facultates a Legato Apostolico occasione suae translationis e Sede Turoviensi.*

*Die neuesten Zustaende..., Dokumenten nr. 113.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohraficесkoju Kommissijeju, vol. XVI, Vilna 1889, pag. 594.*

Excel.me, Ill.me, Rev.me Domine.<sup>244</sup>

Die 10/21 7-bris Gratiosissimum Mandatum Suae Imperatoriae Maies-tatis, Nominationis meae in Episcopum Brestensem, publicatum a Justitiae Collegi Departamento, ad me advenit. Unde vocat me regimen politicum adimplere ea, quae munus episcopale requirit in Dioecesi non solum mea, nuncupata quondam Pinscensi et Turoviensi, etiam in ea, quae Brestensis est et quondam Lithuania Metropolitana fuit, demum iuxta Supremum Mandatum 28 Aprilis currentis anni, in regimen Monasticum inspicere.

His temporibus non latet tuam Excel.mam Dominationem, quanta cura et quam celerrima est adhibenda, ut, quae noxia, removeantur et ut disciplina ecclesiastica enervata, Deo juvante, sit quodammodo restaurata proindeque spiritu meo antea laetus fui lectis expressis in sua Epistola de die 7/18 Maji omnia instituta in moderno regimine Ecclesiarum vigore specialium S. Sedis facultatum, ad executionem deducenda esse ab Ill.mo, Excel.mo, Rev.mo Domino. Illas igitur nunc indigens, Auctoritatis Apostolicae facultates oportunas supplex deprecor, ut legibus ecclesiasticis adjutus ac bene-

<sup>244</sup> Ut videtur Nuntio Varsaviensi et Legato Pontificio Petropolim Laurentio Litta, qui fuit Petropoli annis 1797-99, quo anno praecepsanter Petropolim relinquere debuit. Cfr. de ulteriori eius activitate supra, nota 68.

dictione hac sancta munitus alacriori animo et majori spe operer in Vinea Christi.

Me interim devoveo, quantum valebo, impendere dies meos pro bono Ecclesiae Catholicae, confidens quoque in sua dextera protectione, cui me committo et cum debita observantia et cultu maneo.

Excel.mi, Ill.mi, Rev.mi Domini humillimus et devotissimus Servus  
JOSAPHAT BULHAK, Episcopus Nominatus Brestensis  
Vilnae, die 10/21 Octobris 1798.

## X.

*Petropolis, 14. XII. 1798.*

*Processus canonicus in translatione Josaphat Bulhak in episcopum Berestensem, ab Archiepiscopo Litta, Legato Apost., Petropoli conjectum; Interrogatoria et depositiones testium nec non aliqua documenta biographica.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 353, fasc. 1, fol. n.n.

In nomine Domini. Amen. Cunctis ubique pateat quod anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi 1798, Indictione Romana Prima, die vero 14 mensis Decembris, Pontificatus SS.mi D.ni nostri Pii Divina Providentia PP. VI, anni XXIV, Petropoli.

Coram Ill.mo Exc.mo ac Rev.mo D.no Laurentio Litta, Archiepiscopo Thebarum,<sup>245</sup> apud invictissimum et potentissimum Paulum I, totius Russiae Imperatorem, Oratore Apostolico comparuit personaliter Adm. Rev.dus Pater Sylvester Antonowicz, OSBM, Provincialis in Lithuania,<sup>246</sup> Ill.mi ac Rev.mi D.ni Josaphat Bulhak, Episcopi Turoviensis ad actum infrascriptum Plenipotens ac specialis mandatarius et petiit, quatenus praelaudatus Ill.mus, Exc.mus ac Rev.mus D.nus Archiepiscopus Thebarum ex facultatibus sibi a Sancta Sede concessis formandi Processum personalem super qualitatibus necessariis ad Episcopatus translationem, processum de vita et moribus, scientia, doctrina aliisque qualitatibus necessariis dicti Ill.mi Principalis formare dignaretur pro eius translatione (si SS.mo Domino nostro placuerit) ad Episcopatum Brestensem, salvo etc. omni etc.

Qui Ill.mus, Exc.mus ac Rev.mus Archiepiscopus Thebarum, ex eius

<sup>245</sup> Laurentius Litta, Archiepiscopus Thebarum, Nuntius Varsaviensis et Legatus pontificius Petropolim (1797-1799). Cfr. supra nota 68.

<sup>246</sup> Sylvester Antonowicz, Visitator monasteriorum delegatus ab Archiep. Lisowskyj 1793-96; ab anno 1788 in Cap. Zydyczynensi electus Consultor Provinciae Lithuaniae. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basiliyanorum*, pag. 40.

speciali qua munitus est Apostolica facultate, attentis attendendis et consideratis considerandis, visisque insuper documentis coram se productis petitionem huiusmodi admisit, testes super interrogatoriis porrigendis examinaturum processumque formaturum obtulit et omnia in publicum instrumentum seu instrumenta redigi per me notarium infrascriptum, ad effectum de quo supra, mandavit, ut redacta suis loco et tempore ad SS.mum Dominum nostrum transmitti valeat et ita etc.

Laurentius, Archiepiscopus Thebarum,  
Orator et Delegatus Apostolicus.

INTERROGATORIA SUPER VITA ET QUALITATIBUS ILL.MI ET REV.MI D.NI  
JOSAPHAT BULHAK, EPISCOPI GRAECO-UNITI TUROVIENSIS, TRANSFERENDI  
(SI SS.MO D.NO NOSTRO PLACUERIT) AD EPISCOPATUM BRESTENSEM

1º An noscat Ill.mum transferendum? Quomodo et a quo tempore et utrum sit illius consanguineus, amicus, familiaris vel inimicus? Quae causa scientiae?

2º An sciat, cuius sit aetatis? Quae causa scientiae?

3º An sciat ipsum constitutum esse in sacro presbyteratus et Episcopatus Ordine? A quo? Quomodo? et ubi? Quae causa scientiae?

4º An sciat eum in exercitio susceptorum ordinum in functionibus episcopalibus frequenter et devote versatum fuisse? Quae causa scientiae?

5º An sciat ipsum semper Catholice vixisse et in fidei puritate, vitae innocentia ac in bonis moribus permansisse et hucusque bonae famae et conversationis esse; Quae causa scientiae?

6º An sciat eum in munere Episcopali exemplariter cum utilitate Ecclesiae et animarum salute iuxta sacros canones ritusque Orientalis Ecclesiae se gessisse? Quae causa scientiae?

7º An sciat eum in sua Dioecesi, quam obtinebat, Turoviensi assidue residisse? Quae causa scientiae?

8º An sciat eum dictam suam Dioecesim visitasse et omnibus necessitatibus prudenter occurrisse et providisse? Quae causa scientiae?

9º An sciat eum aliquod publicum scandalum dedisse circa fidem, doctrinam aut mores vel aliquo corporis aut animi vitio alioque canonico impedimento teneri, quominus posset ad Ecclesiam cathedralem Brestensem transferri? Quae causa scientiae?

10º An sciat quas ob causas Ill.mus Ep. Turoviensis cupiat ad Brestensem Episcopatum transferri? Quae causa scientiae?

11º An eum existimet idoneum ad bene regendam cathedralem et Dioe-

cesim Brestensem, censeatque ipsius translationem Ecclesiae utilem fore?  
Quae causa scientiae?

12º An possideat aliqua beneficia, quae obligent ad residentiam? Et quonam sunt? Quae causa scientiae?

#### INTERROGATORIA SUPER STATU ECCLESIAE CATHEDRALIS BRESTENSIS

1º An sciat, in qua Provincia et Dominio sita sit civitas Brestensis?  
Quae causa scientiae?

2º An sciat in illa civitate esse ecclesiam cathedralem, cuius invocationis, structurae et qualitatis et an reparatione indigeat? Quae causa scientiae?

3º An in dicta Cathedrali aliquae sint Dignitates, Seminaria vel beneficia ecclesiastica? Quis sit numerus presbyterorum ibi in divinis inservientium? Quae sit causa scientiae?

4º An in illa exerceatur cura animarum? Et per quem? Quae causa scientiae?

5º An habeat sacraria sufficienter instructa sacra suppellectili, caeterisque rebus ad divinum cultum et pontificalia exercenda necessariis? Quae causa scientiae?

6º An in illa asserventur corpora aut reliquiae Sanctorum? Quae causa scientiae?

7º An habeat Domum pro episcopali habitatione? Ubi et qualem? Quantum distat a Cathedrali et utrum reparatione indigeat? Quae causa scientiae?

8º An sciat verum valorem reddituum mensae Episcopalis? Ad quam summam annuatim ascendant? et an sint in aliqua pensione onerati? Quae causa scientiae?

9º Quantum sit ampla Dioecesis Brestensis? Quot et quales numerat ecclesias et Decanatus? Quae causa scientiae?

10º An dicta Cathedralis vacet? Quomodo et a quo tempore? Quae causa scientiae?

11º An sciat cui Archiepiscopo sit suffraganea? Quae causa scientiae?

DIE 14 MENSIS DECEMBRIS 1798:

Petropoli examinatus fuit per Ill.mum, Exc.mum ac Rev.mum D.num Archiepiscopum Thebarum, ut supra, in solita eius Residentia Adm. Rev.dus Pater THEODOSIUS GLOWNIEWSKI,<sup>247</sup> OSBM, Abbas Chorobrowicensis, annorum

<sup>247</sup> Theodosius Glowiewski, frater Arsenii, Episcopi Berestensis (obiit 30 Aprilis an. 1798). Hic multum pro Ecclesia Unita laborabat Petropoli, praesertim pro Metropolita Th. Rostockyj. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 10, pag. 70.

44, prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, testis ex officio vocatus, secrete examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout de facto tactis sacrosanctis Evangelii, quae p[re] manibus habebat, iuravit et ad interrogatoria dicti Rev.mi Episcopi Bulhak translationem concernentia (si SS.mo D.no nostro placuerit) dixit ac depositus videlicet ad:

1-um Respondit. Noscere personaliter Ill.mum transferendum ab annis 17; non esse consanguineum neque eius familiarem aut inimicum.

2-um R. Aetatis esse annorum circiter 40, ut ab eius aspectu conjici potest.

3-um R. Scire eundem constitutum in sacro Ordine Presbyteratus fuisse Romae ab Archiepiscopo Dyrrachiensi, Joanne Chrisostomo,<sup>248</sup> a 16 prope annis; ad Episcopatum autem evectum ab Ill.mo Metropolitanu Rostocki ab octo circiter annis Varsaviae,<sup>249</sup> cui consecrationi fui praesens.

4-um R. Versatum fuisse frequenter et devote tum in exercitio Ordinum presbyteri, tum in functionibus Episcopalibus. Saepissime enim vidi eum Missam celebrantem et Episcopales functiones exercuisse ab omnibus audivi.

5-um R. Scire Catholice vixisse et bonis moribus semper ornatum fuisse, dum per plures annos ipsem vidi secum vitam ducendo et hucusque integrae ac bonae famae esse una est publica vox et opinio.

6-um R. Scire ex propria scientia multum semper in Vinea Domini utiliter laborasse et animalium saluti operam dedisse, iuxta Ritum Orientalis Ecclesiae. Ill.mus enim Metropolitanus, cui testis est addictus, multa eius curae commisit et quam plures qui eius zeli ac pastoralis sollicitudinis effectus experti sunt deponenti retulerunt.

7-um R. Constanter ab eius consacrazione resedisse in propria Dioecesi.

8-um R. Vidisse propriis oculis eum visitantem suam Dioecesim, summa autem prudentia necessitatibus spiritualibus semper occurrisse deprehendi ab omnibus.

9-um R. Neque vidisse, neque audivisse, neque posse credere quod ullo animi impedimento teneatur, dum optimae est famae atque conscientiae neque etiam canonico corporis vitio teneri pro certo scit, dum eundem personaliter noscitur.

10-um R. Scire praefatum Ill.mum Episcopum cupere translationem

---

<sup>248</sup> Episcopus Dyrrachiensis, Joannes Chrysostomus Clugnes, Ordinans in Urbe; cfr. supra, pag. 336.

<sup>249</sup> J. Bulhak consecratus fuit a Metropolita Rostockyj Varsaviae in capella regia, praesente Rege Poniatowski, 26.IX.1790; cfr. supra, Documenta biographica, nr. VIII, pag. 357-59.

suam ad Episcopatum Brestensem ex eo quod ita magis poterit in Vinea Domini proficere et antiquam suam Dioecesim conservando alias etiam Regiones, quae sine Pastore remanent gubernare, eo etiam magis quod pro hac translatione favore gaudeat Serenissimi Imperatoris.

11-um R. Pro certo habere utilem et idoneum esse pro gubernio Ecclesiae Brestensis.

12-um R. Scire nulla possidere beneficia.

Ita pro rei veritate deposui ego Theodosius Glowniewski, Ord. S.B.M. Abbas Chorobrovicensis.

Idem testis ad interrogatoria super statu Ecclesiae Cathedralis Brestensis eadem die examinatus, respondit ad:

1-um: Scire civitatem Brestensem sitam esse in Provincia Lithuaniae, Dominii Rossiaci, in eadem namque civitate per longum moratus est tempus ex quo defunctus Episcopus Brestensis frater suus erat.<sup>250</sup>

2. R. Esse Ecclesiam Cathedralem, sed adeo dirutam, ut eius unum tantum sacellum existat aptum functionibus, cuius altare in honorem est B.M. Virginis.

3. R. Adnexum habere Capitulum dignitatibus coalescens, eiusmodi autem Capitulum non ibi semper resedit, sed tantum pro servitio Ecclesiae Ecclesiasticos tres fuisse addictos, praeter seminaristas, qui semper ab Episcopo proprio sumptu alebantur.

4. R. Curam habere animarum, quae exercetur a Parocho et ab uno Vicario.

5. R. Sufficienter instructam fuisse suppellectili et praecipue ad Pontificalia, ex eo quod etiam Episcopi ibi semper morantes propria utebantur suppellectili.

6. R. Nullas ibi existere insignes Reliquias, sed tantum parvulas.

7. R. Prius Domum episcopalem exstitisse, quo autem dum postremis temporibus igne fuerit consumpta, nulla ad praesens reperitur.

8. R. Fundationem habere quinque millium florenorum annuatim praeter pensionem sex millium Rublorum, quae quotannis Episcopo Brestensi a Gubernio persolvetur; hi autem redditus nulla gravati sunt pensione.

9. R. Dioecesim Brestensem, si tantum eius attendatur districtus, 70 modo comprehendere ecclesias parochiales; si vero Episcopi iurisdictio exten-

<sup>250</sup> Arsenius Glowniewski, Episcopus Berestensis ab anno 1791; cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 10, pag. 70.

datur ad totum Gubernium Lithuaniae et ad Minscense, habere tunc 700 circiter ecclesias, quae decanatus forte 70 possent efformare.

10. R. A morte Ill.mi Arsenii, Episcopi Glowniewski,<sup>251</sup> sui Fratris, quae evenit sub die 8-va maii anni currentis.

11. R. Scire semper suffraganeam fuisse Archiepiscopo Metropolitano Kioviensi Graeco-Unito.

Ex tunc, finito examine suprascripto, testis dimissus, injuncto ipsi prius, ut sese sua depositioni subscribat, quod fecit, ut sequitur: Ita pro rei veritate deposui ego Theodosius Glowniewski, OSBM, Abbas Chrobrovicensis.

Die eadem videlicet 14 mensis Decembris Petropoli examinatus fuit per Ill.mum, Exc.mum et Rev.mum Dominum Archiepiscopum Thebarum, ut supra, in solita eius residentia Admodum R.dus Pater Samuel Nowakowski,<sup>252</sup> OSBM, Superior Monasterii S. Sophiae Polociae; annorum 46 prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, testis ex officio vocatus, secrete examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout de facto tactis sacrosanctis Evangelii, quae pre manibus habebat, iuravit etc. dixit ac depositus, videlicet ad:

1-um Respondit noscere Ill.mum transferendum a teneris annis et etiam a tempore quo in Religionem fuit cooptatus, non esse neque affinem, nec nimis familiarem, neque inimicum.

2. R. Quadraginta circiter annorum esse, cum fere eius coaetaneus sit et natus in eodem districtu.

3. R. Scire presbyterum fuisse consecratum, cum Missam celebrantem saepe viderit et aequre consecratum Episcopum ab annis circiter octo, vidit eius Pontificias Bullas<sup>253</sup> et scit revera Episcopum esse.

4. R. Conscium esse devote et frequenter functiones semper exercuisse tam presbyterales quam Episcopales, ex relatione multorum, qui ordines Sacros ab ipso suscepérunt.

5. R. Per viginti annos oculatum fuisse testem integerrimae eius vitae, postea autem ab aliis pro certo scire nulla super famam et bonos mores nota fuisse maculatum.

<sup>251</sup> Arsenius Glowniewski, Episcopus Berestensis, qui obiit die 30 Aprilis (v.s), 1798; cfr. infra, pag. 374, nr. 10.

<sup>252</sup> P. Samuel Nowakowski, Basilianus, Superior monasterii S. Sophiae Polocensis qui multum egit Petropoli nomine Heraclii Lisowskyj.

<sup>253</sup> De quibusnam Bullis agitur, et a quo datis (forsan a Metropolita Th. Rostockyj an. 1790 die 26.IX.1790) cfr. Documenta biographica, nr. VIII, pag. 341), vel agitur de Bulla pontificia coadiutoriae Pinscensis de dat. 24 Aprilis 1787; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 280-281, nr. 852.

6. R. Exemplariter semper se gessisse in Episcopali munere et utilem fuisse Ecclesiae ac animarum saluti cum ipsem et pastorales eius sermones viderit et ab aliis audiverit multum semper in vinea Domini laborasse.

7. R. Resedisse semper in propria Dioecesi si illud excipiatur tempus quo visitatio pastoralis in Metropolitica Dioecesi ab ipso Metropolita eidem commissa fuit.

8. R. Audivisse quod suam visitaverit Dioecesim et omnibus eius necessitatibus consuluisse.

9. R. Optimae famae esse et scire nullo teneri animi impedimento, nec nullo vitio corporis, cum eundem bene cognoscat personaliter.

10. R. Quod sibi suadet non proprio desiderio moveri ad se transferendum ad Episcopatum Brestensem, sed potius ut labore suo magis utilis in ampliori Dioecesi Ecclesiae sit, et ut mandato oboediet Serenissimi Imperatoris.

11. Censere utilem ipsius translationem esse Ecclesiae Brestensi, cum idem Episcopus plurimum semper egerit pro Religione et maxima cum utilitate, tam in sua Dioecesi Turoviensi, quam etiam in administratione sibi commissae Archidioecesis Metropolitanae.

12. Nulla possidere beneficia.

Ita pro rei veritate deposui ego Samuel Nowakowski, Ord. D.B.M., Judex Consistorii Archidioecesis Polocensis atque monasterii Polocensis in Arce Superior, m.pr.

Idem testis eadem die super statu Ecclesiae Cathedralis Brestensis interrogatus atque examinatus respondit:

1. R. Notum ei esse civitatem Brestensem spectare ad Imperium Russicum et in eius limitibus constitutam in Gubernio Lithuaniae.

2. R. Antiquitus praeclaram ibi extitisse Cathedralem, modo autem inchoatam esse ecclesiam non autem finitam. In eius tamen parte ecclesiasticas haberi functiones; nescire autem sub qua invocatione Cathedralis ecclesia sit.

3. R. Conscium esse introductum Capitulum a defuncto Episcopo Glowiewski, fuisse ad sex personas, Seminarium existere penes Basilianos in Monasterio Swirzen,<sup>254</sup> quo 12 circiter alumni educantur et audivit etiam ipsum defunctum Episcopum efformasse Seminarium compositum nonnullorum juvenum in ipsa civitate Brestensi et propriis expensis manutenuisse: Nescire autem qualis precisus sit numerus presbyterorum inservientium Ecclesiam, sed tantum pro certo scire parochum et vicarium inibi haberi.

<sup>254</sup> Monasterium Swirzen ad meridionem civitatis Minscensis; cfr. M. WAWRYK, OSBM, *Prospectus evolutionis Ordinis Basiliani XVII-XX saec.*, Romae 1979, carta geogr. (in lingua ucraina).

4. R. Exerceri per dictum parochum et vicarium.
5. R. Sufficienter sacra suppellectili esse instructam non tantum de proprio, sed per episcopum dioecesanum pie defunctum.
6. R. Plurimas esse debere reliquias quamvis ignoret an insignes illae possint nuncupari.
7. R. Domum episcopalem in civitate Brest fuisse igne consumptam et Episcopum manere dum Brestae moratur in monasterio Basiliyanorum, fere adnexo ecclesiae.
8. R. Habere in fundis annuos redditus quinque millium florenorum polonicalium, praeter pensionem assignatam ab Augustissimo Imperatore, quae ad sex millia Rublorum ascendere quotannis debet. Hi autem redditus nulla pensione sunt onerati.
9. R. Districtum Brestensem continere modo ecclesias prope 70, si vero antiqua haec Dioecesis Brestensis iuxta votum Augustissimi Imperatoris extendatur ad totum Gubernium Lithuanum et ad illud Minscense tunc valde maior foret, et ecclesias in totum septingentas circiter comprehenderet; Decanatus vero prope 70.
10. R. Vacare eiusmodi Ecclesiam per obitum B.M. pie defuncti Episcopi Arsenii Glowniewski, qui e vivis cessit in aestate currentis anni.
11. R. Suffraganeam semper fuisse Archiepiscopi Metropolitani Kiovensis.

Ex tunc, finito examine suprascripto, testis dimissus, injuncto ipsi prius, ut sese sua depositioni subscribat, quod fecit, ut sequitur:

« Ita pro rei veritate deposui ego Samuel Nowakowski etc. (ut supra)

Supranominatis testibus plenam fidem adhibendam esse censeo et de promovendo (si Sanctissimo Domino placuerit) bene iudico ac in fidem propria manu meum hic nomen appono.

Laurentius, Archiepiscopus Thebarum,  
Orator et Delegatus Apostolicus.

Deinde nomine praefati Ill.mi promovendi Domini Josaphat Bulhak, ad docendum de eius legitimis natalibus, Baptismate, Ordinibus aliisque exhibita fuerunt coram praelaudato Ill.mo, Exc.mo et Rev.mo Domino Archiepiscopo Thebarum documenta authentica infrascripta quorum tenor est qui sequitur et quidem:

*Testimonium Baptismatis sic est:* Notum testatumque facio omnibus et singulis, quorum interest aut interesse poterit et debebit, inveniri metrices in libris Baptizatorum Ecclesiae parochialis Slonimensis personae infrascriptae, cuius tenor de verbo ad verbum est talis:

« De Sierchewicze Anno Domini 1758, die 20 martii, ego Jacobus Ko-

byliński, commendarius Slonimensis, baptizavi infantem nominibus Ignatium Zachariam parentum legitimorum ac nobilium perillustrium Magniff. Dominorum Josephi ac Rosaliae Bulhakow. P.S. Levantes fuere P.M.D. Stephanus Budkiewicz, Capitaneum ac P.M.D. Joanna Strawinska, in assistentia P.M.D. Mariti sui Ignatii Strawinski, Notarii Slonimensis et P.M.D. Leonorae Bulhakowna. In cuius rei fidem has testimoniales litteras manu mea subscribo, sigilloque communiri facio. Dabantur Slonimi anno Domini 1790, 27 die mensis Julii.

S. Thadeus Laskowicz, Canonicus Livonien., Cur. Praep. Slonimensis m.pr.

*Fides vero Ordinis est talis:* Marcus Antonius, miseratione Divina Episcopus Praenestinus S.R.E. Cardinalis Columna, Ss.mi D.ni PP. Vicarius Generalis Romanae Curiae eiusque districtus Judex Ordinarius, etc.

Universis et singulis praesentes nostras visuris, lecturis pariter et audituris notum facimus et attestamur Ill.mum et Rev.mum D.J. Chrysostomum Clugnii, Archiep.pum Dyrrachien.,<sup>255</sup> Catholici Ritus Graeci-Uniti etc. Romae die 27 martii 1785 in ecclesia S. Athanasii inter Missarum solemnia ordinationem particularem de licentia Nostra celebrantem inter alios Dilectum Nobis in Christo Filium Josaphat Bulhak, alumnum Collegii de Prop. Fide cum presentatione Em.mi D.ni Praefecti in vim privilegiorum Apost. etc., praevio examine a R.P.PP.DD. Examinatoribus in Urbe deputatis idoneum repertum et admissum, cum caeremoniis et solemnitatibus necessariis et opportunis in similibus fieri solitis et consuetudinem ad S. Presbyteratus Ordinem praeviis exercitiis spiritualibus ac publicationibus rite ac recte serv... in D.no promovisse et ordinasse. – In quorum omnium fidem has praesentes litteras a Nobis seu ab Ill.mo et R.mo P.D. Vices-Gerente et D.no munitas fieri iussimus.

Datum Romae, ex Aedibus Nostris, hac die 15 mensis Aprilis Anno 1785, Indictione III, Pontificatus Ss.mo in Christo P. et D.N.D. Pii Divina Providentia PP. VI, Anno eius undecimo.

F.A. Patriarch. Const. Vices-Gerens  
Lucas Ant. Coselli, Can. et Secretarius

*Bulla S. Sedis pro Coadiutoria Episcopatus Pinscensis et Turoviensis* (cfr. WELYKYJ A., *Documenta Pontificum Rom. historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 280, n. 852).

*Institutio ad Coadiutoriam Episcopatus Pinscensis et Turoviensis facta ab Ill.mo et Rev.mo Metropolitano totius Russiae* (cfr. supra, pag. 357, nr. VIII).

<sup>255</sup> Joannes Chrysostomus Clugnes; Ordinans Graecorum Romae. Cfr. nota 248; et nr. I *Documenta biographica*.

Quibus omnibus et singulis ut supra gestis ex parte eiusdem Ill.mi Promovendi petitum fuit ut suprascriptus processus, seu illius copia in forma authentica extraderetur et sigillo munita consignaretur ad effectum eandem ad Almam Urbem transmittendi. Omni etc. Quocirca Nos Laurentius, Archiepiscopus Thebarum, Sanctae Sedis apud Aulam Russiacam Orator et Delegatus Apostolicus processum clausum et sigillatum seu verius copiam illius in publica et authentica forma extradendam et concedendam esse duximus, decernendo praedictis omnibus et singulis tamquam rite et legitime gestis ubique locorum plenam et indubitatam fidem ab omnibus et singulis adhibendam esse. In quorum praemissorum fidem testimonium manu propria subscrisimus et sigillo Nostro communiri jussimus.

Datum Petropoli, hac die 14/3 mensis Decembris, anni 1798.

Laurentius, Archiepiscopus Thebarum,  
Orator et Delegatus Apostolicus.

Et quia ego Antonius Lochmann de Multz, publicus S. Authoritate Apostolicae et Ill.mi, Exc.mi et R.mi Domini Archiepiscopi Thebarum Notarius memoratae Inquisitioni et testium examini per eundem Ill.mum, Ex.mum et Rev.mum D.num Archiep.pum habitae et receptae personaliter interfui, nec non iuramenta testium praenominatorum solemniter fieri vidi et audivi, eorumque dicta in his scriptis fideliter redagi, idcirco hoc examen et totum hunc inquisitionis processum manu propria scripsi et subscrispi.

Datum Petropoli, hac die 14/3 mensis Decembris, anni 1798.

Antonius Lochmann de Multz,  
Notarius Apostolicus

## XI.

*Romae, (29. VIII. 1818).*

*Votum Cardinalis Litta: De negotiis Hierarchiae catholicae ruthenae in Imperio Rossiaco.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Poloniae et Ruteni*, vol. 19, fol. 297-8.  
MUH, vol. VII, pag. 75-76, nr. 34.

Per soddisfar in qualche modo le richieste del Rev.mo P. Abbate Capellari...

Desiderando lo stesso P. Ab. Capellari, che si accennino alcuni dubbi che potrebbero proporsi, pare che senza pregiudizio di altri si possono (f. 397v) aver in vista i seguenti:

1. Se debba cercarsi dalla Corte di Russia, che si renda alla metropolia de Greci-uniti l'antico titolo di Kiovia; et quatenus negative.
2. Se convenga lasciarsi vagante il titolo di metropolia, come dopo

la morte di Mons. Rostocki è seguito, essendo passata successivamente a diverse sedi, cioè di Polock, di Luceoria e di Brzesc; et quatenus negative.

3. Se debbasi procurare di fissar la metropolia ad una delle tre sedi superstiti della gerarchia de Greci uniti; ed a quale di queste.

4. Ovvero se debba formarsi per la metropolia un'altra diocesi separata, fissandone la residenza in Vilna, dove stava prima il metropolita, ed attribuendogli quella porzione, che si è detto di sopra essere stata smembrata dalla diocesi Brestense.

5. Se possa nel caso presente omettersi o supporsi in favor di Mons. Bulhak una elezione de' vescovi Ruteni alla metropolia di Russia, ovvero:

6. Se nel caso presente il S. Padre debba, senza valutar alcun atto di elezione, istituire di proprio moto Mons. Bulhak a metropolita di Russia.

7. Se le buone informazioni, che si hanno di questo prelato possano nel presente caso supplire alla mancanza del processo; ovvero debba richiedersi il processo che dicesi consegnato all'arcivescovo di Mohilow; (f. 298) ovvero ordinarsi un nuovo processo e da chi.

8. Qual espediente debba suggerirsi al S. Padre per rimediare a tutti i disordini ed a tutte le irregolarità, che hanno avuto luogo per lo passato; e se convenga comunicar a questo effetto speciali facoltà a Mons. Bulhak con una distinta istruzione.

9. Quali espedienti possano immaginarsi e proporsi nella trattativa colla Corte di Russia, per assicurarsi, che in avvenire non seguano più i passati inconvenienti, e che le cose vadano in regola a tenore de breve di Clemente VIII « Decet Romanum Pontificem », il quale stabilisce, che il solo metropolita di Russia sia obbligato ad implorare la conferma dal Romano Pontefice, ottenuta la quale ha lo stesso metropolita, secondo la disciplina ed i privilegi della Chiesa Orientale, il diritto d'istituire e consacrare gli altri vescovi e prelati Ruteni.

(f. 298v) Questi sono i dubbi che si sono suggeriti per accondiscendere a' desideri del Rev.mo Consultore, il quale altri ne saprà cavare dall'esame delle carte communicategli ».

## XII.

*Petropolis, 17. I. 1819.*

*Abbas Lochmann Cardinali Littae de variis colloquiis Petropoli habitis et de Metropolita J. Bulhak.*

APF, *Scritt. rif. n. Congress: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 19, fol. 323; alia copia: 327; altera: 335.

MUH, vol. VII, pag. 87, nr. 35.

Em.mo e Rev.mo Signor, Signor Padrone Col.mo.

Mi faccio un dovere di informare Vostra Em.za Rev.ma, che S.E. il Signor Conte Giulio ha rimesso a Mons. Bulhak il rescritto facoltativo<sup>256</sup> della S. Congregazione di Propaganda. È incredibile il piacere che ne ha risentito. Quindi, senza perder tempo, lo diede in originale al principe Golitzin, ministro de' culti. Questi si mostrò ben sensibile a tale comunicazione, e lodò di lui premura, l'esortò di far altrettanto con tutte le confidenziali che le potrebbero sopraggiungere. Ciò successe il giovedì, e già sabbato mattina gli fu ritornato il rescritto colla conferma dell'imperiale esecuzione. Mons. Bulhak non poteva desiderare un ukaso più preciso, né più ampio, né più grazioso. Domenica, quando fu a ringraziarlo per impegno che ne aveva messo il principe, gli disse: «Or è in vostro vero tempo, giacchè Sua Maestà aspettava ed aspetta con (f. 323v) grand'ansietà nuove da Roma». Si è osservato a tal'incontro tanto nel ministro, quando nel principale una ben inconsueta deferenza e begnignità. Ne dò parte a Vostra Eminenza, perchè l'Em.mo Segretario di Stato,<sup>257</sup> come quegli della Propaganda, siano cointesi di tale disposizione. Quindi è troppo urgente, che gli affari di questa Corte venghino costì il più presto svincolati ed ultimati. Già il Mohiloviense strepita non poco, perchè alle sue richieste si differisce sempre a dar risposta, mentre le posteriori petizioni di Bulhak si trovano in tutto secondeate.

Mons. Bulhak rende le più distinte grazie a Vostra Em.za per la bontà che ha avuto d'adoprarsi in di lui favore. Le compiego la di lui lettera. M'ha fatto sentire, che la dispenserebbe d'un usuale e semplice controrisposta. Standosi qui molto vigili, teme molto d'esser preso in contravvenzione. Per tranquillizzarlo su quel che la prudenza gli suggerisce, mi son offerto a passarle il presente ufficio. Resta alla di lei bontà di gradirlo»...

---

<sup>256</sup> Forsan agitur de responso ad litteras J. Bulhak, de data 6 Junii 1817; cfr. pag. 411, nr. 23, 24.

<sup>257</sup> Secretarius Status Suae Sanctitatis, card. Hercules Consalvi (1800-06).



**EPISTOLAE JOSAPHAT BULHAK**  
**Metropolitae Kioviensis**  
**(1817-1838)**

---

1.

*Pinsk, 21. XII. 1788.*

*J. Bulhak de coadiutoria Turoviensi, de visitatione eparchiarum, de sua sustentatione etc. Nondum est consecratus in episcopum.*

APF, *Scritt. rif n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 16, fol. 297-298v.

Eminentissime Domine.

Venit tempus notificandi sacram Congreg. de Propaganda Fide de statu et conditione muneris mei secundum ejusdem praescriptum; quare ut plenam de vita moderna redderem cognitionem, non me citius scribere resignavi, donec in statu Coadjutoris Episcopatus Pinscensis et Turoviensis sim apprime versatus.

Duo jam elabuntur anni,<sup>258</sup> cum a Santa Sede Literis Apostolicis fuerim insignitus, in quibus ut in titulum Episcopatus Turoviensis ordiner (f. 297v) est declaratum; adhuc tamen nec ullum extat propositum mei Ill.mi Coadjutae adimplendi, nec ullam invenio rationem denegandi id, quod ab eodem tam solemniter fuerat postulatum; nisi ut securiorem me haberet ministrum inserviendi comissae Pastorali ejus officio Ecclesiae, minime autem necessitatibus provideret ad commodam, et honestam vitam, prout in tali dignitate constituto. Ex isto igitur negotijs pastoralibus obrutus titulum concessum ab Ecclesia, nec proventus condignos operario minime habeo. His enim annis totam Dioecesim Turoviensem, Pinsensem etiam in parte visitavi, ubique quantum decuit gerentem tam insigne officium satisfeci, promovendo undique promptum fidelium animum in obsequium Sacrae Romanae Ecclesiae ac devinctissimos et obedientes se praestare summo (f. 298) Ecclesiae Pontifici, utpote utraeque fere Dioeceses Schismate sunt grassatae. Ac cum in hoc negotio praesens mea occupatur conditio, confido Eminentiam Vestram

---

<sup>258</sup> Forsan agitur de litteris S. Congr. de Prop. Fide ex mense Martio-Aprili 1787; cfr. supra Documenta biographica, nnr. VI, VII, pag. 339-340.

meis obsecundare votis non denegare, quae sunt: – Ut Ill.mus Coadjutus meus partem aliquam redditum suorum tribuat, quam nullam habeo, praeter mensam, et aliquid nimis modicum pro sua tantum non prompta ad dandum voluntate; persuasus ut si adimpleam quae ipsius sunt, possideam aliquid de bonis ejusdem Ecclesiae. Ut vellet ordinari in Episcopum Turoviensem, ut sonant litterae Apostolicae, cum in hoc discriminе rerum etiam Ecclesiarum gratia nostra existat, ut timendum sit, ne post obitum moderni mei Coadjuti aliqua in causa mea fiat perturbatio. Quod cum exponam promptus ad omnia Eminentiae Vestrae totiusque Sacrae Congregationis obsequia, sum persuasus tam justis causis mihi non denegare auxilium ac hac in re Ill.mo Coadiuto persuadere.

Eminentiae Vestrae Domini humillimus et devotissimus Servus  
P. JOSAPHAT BULHAK, Coadjutor Episc.tus P.T., Alumnus de Prop. Fide.  
Pinsci, die 21. Xbris 1788 Anno.

(f. 298v) Ad augendam Christi Fidelium pietatem Orator supplex exposulat, pro sua benignitate Eminentiam Vestram procurandi Indulgentiam plenariam perpetuis temporibus, pro ecclesia Parochiali Parseviciensi, in Festo Protectionis Beatae Virginis Sanctissimae die 12 Octobris, ac ejusdem Purificationis die secunda Februarii imminenti. Pro qua exhibita benevolentia Praepositus ejusdem ecclesiae cum Populo suo pro incolumitate Eminentiae Suae exorare promittit. Qui supra.

Monsignor Josaphat, Coadjutore del vescovo di Pinsco, supplica che s'insinui al suo Coadiuto di assegnarsi qualche parte delle rendite vescovili.

Supplica, per l'Indulgenza plenaria perpetua per li 12 Ottobre, festa della Protezione della B. Vergine, e per la festa della Purificazione 2 Febr. nella chiesa Parochiale Parseviciense.

## 2.

*Pinsk, 18. VI. 1791.*

*Fere anno elapso post suam consecrationem in Episcopum Varsaviae, per manus Metropolitae, coram Rege, Bulhak petit facultates et gratias.*

APF., *Scritt. rif. n. Congressi: Moscova, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 52rv.

Eminentissime, Rev.me Princeps, D.ne Patronne Col.me.

Quam primum, anno proxime elapso, mense 7bri, annuente, imo instantे Coadjuto meo Episcopo Pinsensi et Turoviensi Varsaviae in titulum Episcopi Turoviensis consecratus fuisse, statim existimavi obsequii subjectionisque meae huic Sacrae Congregationi rationem a me exposcere, ut eandem de statu meo certiorem, quod re ipsa Mense 8bri eodem anno effeci literis meis ad E.V. immediate directis. Non dubito easdem ad manus E.V. pervenisse.

Quia vero perjucundum mihi est eandem reverentiam et subjectionem meam repetere, has intimi sensus mei testificationes praesentibus ad Sacros V.E. pedes supplex demitto, enixissimis efflagitans votis, ut solitas Episcopis gratias mihi quoque Neo-constituto Episcopo Turoviensi a SS. Domino Nostro impetrare dignetur. Quod beneficii (f. 52v) genus, novis cultus obsequiique oblationibus devinctum, semper tenebit me in dulci paternae dexteræ osculo profitentem.

Eminentiae Vestrae humillimus Servus

JOSAPHAT BULHAK, Episcopus Turoviensis, Coadjutor Pinscensis (mpr).  
Pinsci, 1791, die 18 Mensis Junii.

(fol. 53v): Complimento del nuovo Vescovo Turoviense, Coadjutore di Pinsk.

### 3.

Pinsk, 3. VII. 1791.

*Bulhak observat Congressum s.d. Pinscensem orthodoxorum, eorumque postulata breviter describit.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 413rv.

Illustrissime, Excellentissime,<sup>259</sup> Reverendissime Domine, Patronne Clementissime.

Desiderata a Disunitis eorum Congregatio,<sup>260</sup> concessa vero a Serenissimis Statibus Reipublicae nostrae, a 15 Junii incepta, 2 Julii est terminata. Observabam momenta omnia ne aliquid in eorum Statutis contrarii Sanctae Unioni fiat, promovebam ut aliqua indicia in iisdem asserantur ad futurum (iuvante Deo) progressum Sanctae Unionis. Sed cum omnia indecisa Pinsci, omnes ipsorum postulationes reservatae sint ad decisionem Serenissimis Statibus; curae et solicitudinis erit nostræ protegente Sua Excellentia ea Statuta a noxiis Sanctae Unioni vindicare cum fuerint iisdem relata.

In Disunitorum autem desideriis hoc praecipue contrarium, quod a Serenissimis Statibus Hierarchicum regimen expostulant, nempe ut sint tres Episcopi, quartus Archiepiscopus Metropolitanus, (fol. 413v) quibus ut concedatur supremum Disunitorum regimen. Alterum, quamvis non expresse, tacite in Statutis pro Consistorio comandatum, ut idem avulsa recuperet, quale constat ex duodecim personis: tribus monachis, tribus sacerdotibus saecularibus, sex laicis, ex statu Nobili tribus et tribus ex statu civium ex urbibus. Statuta, quae autem sunt pro temporali moderno Consistorio, cum

<sup>259</sup> Forsan agitur de Nuntio Varsaviensi Ferdinando Maria Saluzzo (1784-1794).

<sup>260</sup> S.d. Congressus Pinscensis non-Unitorum, anno 1791, mense Iunio.

ad Acta Publica inserta fuerint, mittentur Suae Excellentiae a Protoarchimandrita<sup>261</sup> Monachorum S. Basillii. Caeterum commendo me Suae protectioni profitentem.

Suae Excellentiae Reverendissimae humillimus Servus,  
J. BULHAK, Ep.pus Turoviensis, Coad. Pinscensis.  
Pinsci, 3 Julii 1791.

## 4.

*Pinsk, 3. VII. 1791.*

*Congregationi de Propaganda de s.d. Congressu Pinsensi orthodoxorum, de eorum desideriis et postulatis: sed hucusque nondum finito.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 17, f. 54-55v.

Eminentissime, Rev.me Princeps, D.ne Patronne Col.me.

Desiderata a Sysmaticis per Regionem nostram sparsis eorum Congregatio, concessa vero a Serenissimis Statibus Reipublicae nostrae,<sup>262</sup> a 15 Iunii incaepita 2 Iulii est terminata Pinsci. Observabam ex munere Pastoralis sollicitudinis momenta omnia, ne aliquid in eorum statutis contrarii Sanctae Unioni fiat, promovebam pro posse, ut aliqua indicia in iisdem asserantur ad futurum (juvante Deo) progressum Sanctae Unionis. Sed cum omnia indecisa Pinsci, omnesque ipsorum postulationes reservatae sint ad decidendum eas Serenissimis Statibus, reliquum est, curam et sollicitudinem adhibere, suffragante et protegente nos Sacra Congr. de Propaganda Fide, ut ea statuta a noxiis Sanctae Unioni vindicaremus (f. 54v) cum fuerint iisdem relata. In desideriis autem disunitorum hoc praecipue contrarium, quod ii a Serenissimis Statibus Hierarchicum regimen expostulant, hoc est, ut sint tres Episcopi, quartus Archi-Episopus Metropolitanus, et quibus ut concedatur supremum disunitorum regimen; alterum; quamvis non expresse, tacite tamen in statutis pro Consistorio comendatum est, ut idem avulsa recuperet, quale constat ex duodecim personis: tribus Monachis, tribus sacerdotibus Saecularibus, sex laicis, ex Statu nobili tribus, et tribus ex statu Civium in

<sup>261</sup> Protoarchimandrita Basilianorum Maximilianus Wilczynskyj. Natus an. 1741 in Volhynia, Alumnus Coll. Graecorum in Urbe (1766-1770), insignitus Laurea in Theologia; in Cap. Gen. Zydyczynensi 1788 in Protoconsultorem Ordinis electus, et post promotionem Porphyrii Ważynskyj ad Sedem Chelmensem (1790) nominatus a Sede Apostolica Protoarchimandrita cum omnibus iuribus et privilegiis; sed die 18 Julii 1793 obiit prae mature. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 293-294.

<sup>262</sup> Agitur hic de s.d. Comitiis 4-or annorum (1788-1791), quae incaeperunt die 6 Octobris 1788, in quibus Metropolita Kioviensis electus fuit prima vice Senator Regni.

urbibus. Hoc officii mei genus exhibeo, ut certiorem faciam Sacram Congregationem de Propaganda Fide, in quo statu manet ad praesens Ecclesia nostra Unita, semper a Sysmaticis (f. 55) profligata, ut ei sucursum praestare Sacra Congreg. non dedignetur, in cuius protectione salva et illaesa hucusque manens, sperat iterum cum suis Pastoribus levamen suum et adjutorium habere, ex quibus dexteræ suae protectioni ad praesens me relinquens maneo.

Eminentiae Vestrae humillimus et devotissimus Servus  
JOSAPHAT BULHAK, Episcopus Turoviensis, Coad. Pinsc.  
1791, die 3 Iulii, Pinsci.

(fol. 55v): Mgr. Bulhak, Coadiutore, avvisa, che nel Congresso di Pinsko non si è risoluto cosa veruna intorno alle cose dei Vescovi scismatici. – R. 20 Agosto 1791.

## 5.

*Pinsk, 17. VIII. 1791.*

*Nuntio, ut videtur, Varsaviensi de s.d. Congressu Pinsensi Orthodoxorum eorumque desideriis, postulatis et actis nondum finitis etc.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 149, fol. 414rv-415r.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine, Patrone Clementissime.<sup>263</sup>

Quas in epistula die 23 mensis Julii ratione Congressus habitu Pinsci Disunitorum peculiares notitias Ill.ma Dominatio Sua postulabat, eas, persuasus dexteritate Sua, removere conatus contrarios dominantis Religioni, refero.

Ex Dominis Deputatis unus tantum praeerat huic Congressui Ill.mus Legatus Sendomiriensis, qui in publicis et privatis colloquiis non aliud curare nobis oportere fatebatur, nisi ut crearentur Disuniti in filios addictos nostrae Reipublicae, ut sint persuasi mitius regimen nullibi inveniri, ac proinde, ut deponant odium, quod erat motivum tot afficiendi calamitatibus Patriam nostram, demum ut prorsus Rossianos relinquant ac voveant minime subjecere eis, ac eorum exequi mandata. Quod autem Sanctae Unioni specialiter faveret, hoc nullo pacto promovere praeformatus Legatus promittebat, respondens (fol. 414v) nostris desideriis, necessarium esse Disunitos prius omni clementia, non obstante ipsorum confessione, recipere, tandem fore ipsos commotos prudenti et affabili persuasione Sanctam Unionem propria voluntate professuros, pro moderna autem providentia nullam suasionem, nullum vel levis-

<sup>263</sup> Nuntius Varsaviensis Ferdinandus Maria Saluzzo (1784-1794).

simum conatum praestare licet. Hoc motivo duae sessiones erant, in quibus aderat invitata ab Ill.mo Legato tota huius districtus Nobilitas, ac praesertim Ill.mus Pinscensis Episcopus<sup>264</sup> ab eodem invitatus, ut unanimiter ostenderent, quantum laetantur Patria ex publico ipsorum iuramento fidelitatis et oboedientia regimini Polonico, quo etiam detestati sunt subjectionem Rossianis. Caeterum desideria Disunitorum tranquilli animo suscepit prae-fatus Legatus, non tamen profitendo omnino ea promovenda in coetu Sere-nissimorum Statuum, specialiter vero ad punctum (fol. 415r) habendi a Disunitis Episcopos, respondit Rempublicam non habere voluntatem creandi unum Episcopum, si igitur adest certa et congrua fundatio pro Episcopo ex fundationibus Disunitorum, de ea est necesse certiorari. Unde agnoscere velit Excellentia Sua indifferentiam, qua usus fuit deputatus Praesidens Congressui, quoad promovendam Unionem Sanctam. Policeor me suae benevolentiae profitentem.

Ill.mae, Excellentissimae ac Rev.mae Dominationis Suae  
Pinsci, 17 Augusti 1791.

J. BULHAK, Episcopus Turoviensis, Coad. Pinscensis.

## 6.

*Radomyslia, 12. VI. 1795.*

*J. Bulhak, episcopus Turoviensis, in Ucraina manens et metropolitanam partem administrans tempore persecutionis et cassationis Hierarchiae Unitae, Stephano Levynskyj scribit, plura referendo de Clero et populo, petit consilia et auxilia etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Bulhak Episcopus, Coadjutor Pinscensis, Administrator Metropoliae, in Ucraina manens, Episcopo Lewinski,<sup>265</sup> die 12 Junij 1795. – Radomysliae.

Ill.me D.

Ex hac hodierna scriptione mea ad Ill.mam Dna.onem hunc solum in modernis circumstantiis conspicio levamen, quod descriptione fatalium

<sup>264</sup> Episcopus Pinscensis et Turoviensis tunc temporis erat Joachimus Daszkiewicz-Horbackyj (1784-1795). Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 10, pag. 136.

<sup>265</sup> Stephanus Levynskyj, Coadjutor Luceoriensis et dein Episcopus Luceoriensis (1798-1806); antea Episcopus tit. Tegeanus et Suffraganeus Metropoliae (1784-87), dein Coadjutor Luceoriensis, ab anno 1798, ex dispositione Nuntii Litta, devenit Episcopus Luceoriensis. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 16, pag. 961-2.

<sup>266</sup> Post discessum Metropolitae Petropolim in exilium, Bulhak administrabat partem metropoliae in Ucraina, de qua administratione seu potius persecutione postea Bulhak relationem dedit; cfr. infra nr. 8, pag. 382-391, die 13 Februarii 1797, iam du-rante regimine Pauli I.

possum dolore cum persona Hierarchali divisionem facere, motivo obtinendi consilij, dum in his oris destitutus sum omni auxilio.

Permaneo Radomysliae, a tempore abscessus Ill.mi Metpt.ni Petropoli,<sup>266</sup> tuendo negotia Religionis n.rae Unitae, tam in Jziaslaviensi, quam Bracławiensi Gubernio, quae in capite inimicorum habet ipsummet Regimen, in tanta permaneo infelicitate, quod Apostasia ab illa est universalis, persecutio autem coalentium est quam maxima, incarceratio ab illis est quotidiana.

Ultimario a Regimine exivit severissimum Mandatum, ut Presbyteros persistentes in S. Unione constanter in ecclesijs Ritus Latini, vel in Capellis Sacrificia Missae absolventes, Domini Capitani Circulares *vulgo Horodniczowie* in carceres acciperent, et ad judicia adducerent; *2do*, ut expulsi e domibus non plebanalibus solum, verum etiam ex proprijs, fundum totum in agro et pratis demonstrent Circulari Capitano, illudque Capitaneus ad ulteriorem dispositionem reciperet illis; *3to*, ut Presbyteri ulterius praecipui permanentes in S. Unione, non auderent permanere in Villulis; *4to*, prohibitum est severissime, ne auderent Collatores his Presbyteris porrigeret aliquod subsidium, ex his motivis ex Villa ad Villam transeunt, destituti subsidio et auxilio.

Omnino autem et in quolibet loco a presbyteris non Unitis ludibria et enormia verba supportare coguntur. Quae cum producuntur Regimi a non Unitis, constantes in fide incarcerantur, et ad criminalia judicia adducuntur. Non una vice feci Recursum ad Ill.mum Gubernatorem, sed praeter resolutionem «*quod similem secretam dispositionem habent, illamque in secreto porrigit Capitanis Circularibus vulgo Horodniczym*», nullam aliam feliciorem recepi. Dispositiones autem hae conspicio quod non ab Aula Petropolitana, sed ad falsa narrata adversiorum Religionis n.rae Unitae, a G.li Gubernatore exeunt.

Ultimis Maji, V.S., fui apud Ill.mum Gubernatorem Jziaslaviensem, vocatus pro concilio, ut aliquod levamen infelicissimis Presbyteris, persecutionem patientibus, invenire possimus, quod non alio motivo, nisi profitendae Religionis Unitae, supportant; proposuit ac si quam optimum medium, Ritum Rutheno-Unitum in Latinum commutare, respondi: necessarium est imprimis monstrare nobis edictum Serenissimae Imperatricis declarantem, quod in Dominijs suis nos cum Ecclesia Romana Unidos nullo modo vult pati, tunc temporis vel ex hac ditione exiemus, vel faciemus recursum ad S.m Ap.licam Sedem, fine obtinendae libertatis transitus ad Ritum Latinum; post varias tergiversationes in hac materia, nulla facta est conclusio; addidit solummodo Ill.mus Gub.ntor, quod Ser.ma Imperatrix nunquam deveniet ad hunc punctum, ut tale edictum propria subscriberet manu, dum omnes Confessiones in locis ejus Dominio subiectis nullam inveniunt persecutionem. Nihil igitur restat in ditionibus Cordone compraehensis, quam pati, et infelissimorum deplorare statum.

Ex epistolis ad Ill.mum Metrop.num Petropolim missis infero, quod omnia quasi sub lapide jacent, tenent illum Petropoli,<sup>267</sup> nullamque resolutionem dant, felicitatemque promittunt, quando autem ex nostris scriptis de infelicitate n.ra quid dicit, dicunt non esse veritatem et quod omnia falaciter sunt conscripta, etc.

## 7.

*Pinsk, 15. II. 1797.*

*J. Bulhak de suo episcopatu Turoviensi et coadiutoria Pinscensi, quo anno remotus fuit a sua Sede, petit Nuntium Varsaviensem protectionem pro suo Clero et populo apud novum Imperatorem, de variis aliis rebus suaे olim eparchiae.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Ill.me, Excell.me, R.me D.ne, P.rone Col.me.

Anno 1786 nominatus Coadjutor cum futura successione Episcopatus Pinscensis, et Turoviensis, a Serenissimo Rege Poloniae Stanislao Augusto, tum anno sequenti 1787 a Sede Apostolica per Breve sum confirmatus,<sup>268</sup> et in Episcopum Turoviensem promotus, ad regimen Dioecesarum Unitarum Pinscensis, et Turoviensis, supplicante Joachimo Horbacki, Episcopo Pinscensi, Coadjuto meo, Sedem Apostolicam, sum vocatus; hoc facto novem annis sustinui labores pastorales usque annum 1795, quo ab Jurisdictione extiti remotus, occupante Archi-Episcopo Polocensi Heraclio Lissowski Dioeceses Pinscensem et Turoviensem, auctoritate Edicti Serenissimae Imperatricis Catharinae Secundae, supprimenis jurisdictionem Episcoporum. Quare non cum maximo cordis dolore quotidie aspitio populum orbatum suis pastoribus, absque adjutorio in spirituali illorum necessitate, quoque modo vexatum pro confessione fidei Catholicae, et Unione cum Ecclesia Romana, in qua edoctus christianam fidem, et disciplinam, addictus usque modo constanter perseverat.

Atque etiam cum sim non minus afflictus, Praesbiteros avulsarum Ecclesiarum videndo alienatos a divino officio, ab administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, abjudicatos a beneficiis ecclesiasticis, quae sibi jam promeriti sunt, errantes tandem absque loco fixo, et destitutos absque modo vivendi. (Quorum nomina et ecclesiae expressae sunt in relatione) Supplex igitur deprecor tanquam delegatum in causa Religionis Catholicae a Sede

<sup>267</sup> Metropolitam Theodosium Rostockyj, a mense Septembri 1794, usque ad mortem die 25 Januarii 1805.

<sup>268</sup> Bulla provisionis Josaphat Bulhak de dat. 24 Aprilis 1787; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 280-1, nr. 852.

Apostolica Nuntium,<sup>269</sup> ut Sua Ill.ma, Excell.ma, R.ma Dominatio dignetur prospicere ante Tronum Clementissimi Imperatoris<sup>270</sup> nostri Populo et Clero. Ut exules Presbiteri ad sua funda, ecclesias et parochias sint restituti, et insimul cum his, quorum divina providentia ecclesiae non sunt avulsae, et populus ibi vera gloriatur confessione, fruantur quoque illi pace et tranquillitate. Me quoque Pastorem, remotum a suo grege, et inde afflictum, restituere, atque insimul compos fieri laetitia, curare Suam Ill.mam et Excell.mam Dominationem supplex exoro. Justitia propterea et clementia Augustissimi Imperatoris experta, laudare Omnipotentem Deum una cum ovili pro felici et diutissima salute et prosperitate ejus, meum esse ducam.

Fisus etiam in dexteritate Suae Ill.mae, Excell.mae, R.mae Dominationis, probata jam a Sancta Sede Apostolica, et in benignitate ac aequitate quibus praecellit novus Imperator,<sup>271</sup> ultimum suppressionis effectum Episcopatus Pinscensis et Turoviensis Ritus Graeci Uniti deferre accedo.

Ecclesia Cathedralis Pinscensis est erepta (ut relatum est in notitiis) quam dono p̄estitit Episcopis Pinscensibus Ritus Graeci Unitis, regnante Stanislao Augusto Rege Poloniae,<sup>272</sup> Comissio Educationis, quondam Jesuitarum, lapideam, non finitam, quam sumptibus non minimis Ill.mus, R.mus D.nus Joachimus Horbacki, Episcopus Pinscensis, edificare complevit, picturis adornavit, suppelletilibus ecclesiasticis, uti aparamentis ditavit, argentiis quoque non minoris momenti non carebat.

Possessionum etiam, quibus fruebantur praedecessores Episcopi Pinscenses et Turovienses, modernus Episcopus Joachimus Horbacki, ego ipsius Coadjutor, ad annum 1795, ad fiscum adscripta sunt publicum Imperiale haec funda, nominatim: Pinsk, Novidvor, Ruck, Chrapin, Nienkovice, in loculo Pinsensi sita; Othomlin, fundum cum attinentiis in Circulo Davidgrodensi. Ex quibus, dicunt, donata iam esse: Chrapin cum attinentiis Ill.mo Jsajow, Generali exercitus, Othomlin cum attinentiis Illustri Monsurin, Colonelo exercitus; caetera dicta funda a fisco publico gubernantur cum suis attinentiis.

Quibus expressis, meum est hoc tam peroptato tempore abscessus sui in Aulam Imperiale, in meo tam oportuno statu implorare benevolentiam, ut Sua Ill.ma, Excell.ma, R.ma Dominatio repraesentare non desines Sere-

<sup>269</sup> Nuntius Varsaviensis Laurentius Litta (1796-1799) et Legatus Apostolicus Petropoli (1797-1799) et post deportationem napoleonica (1809-1814) et redditum Romam, Praefectus Cong. de Prop. Fide (1814-1818). Obiit anno 1820; cfr. nota 68.

<sup>270</sup> Imperator Paulus I Petrovič (1796-1801).

<sup>271</sup> Paulus Petrovič I (1796-1801). Obiit occisus a suis Aulicis militibus die 12 Martii 1801.

<sup>272</sup> Stanislaus Augustus Poniatowski (1764-1798).

nissimo et Clementissimo Imperatori meam et totius Cleri necessitatem, ut insimul fruendo avulsis bonis pro felici statu Imperii, et totius Familiae Serenissimae laeti Deum depraecemur.

In praesenti tandem statu gratiae suae et dexteritati omnia commitendo, quaequea prosperima opto.

Ill.mi, Excell.mi, R.mi D.ni, Patroni Colendissimi.

Humillimus et devotissimus Servus

JOSAPHAT BULHAK, Ep.pus Turoviensis, Coadjutor Pinscens's (mpp).  
Anno 1797, die 15 Febr.

## 8.

*Pinsk, 22. II. 1797.*

*Josaphat Bulhak, administrator olim in Ucraina, refert de persecutionibus perpessis Cleri et Populi uniti, post suppressionem Hierarchiae unitae et actione s.d. Commissionis ad convertendos Unitos: annis 1794-1795.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 93, n.n.

*Lingua Polona conscriptarum notitiarum suppressionis Populi et Cleri Uniti cum Ecclesia Romana in Archi-Dioecesi Chioviensi. (Copia).*

Anno 1794, die 10 7-bris, vocatus ab Ill.mo, Rev.mo D.no Theodosio Rostocki, Archiepiscopo Chioviensi, Metropolitano Russiae Unitae cum Romana Ecclesia, ad regimen in absentia eius adimplendo, igitur onus Pastoris Delegati in Archidioecesi Chioviensi in duobus Guberniis Volinensi et Bracławiensi sitae, procuravi notificare iniustas vexationes, quibus oppressi sunt Presbyteri Uniti a Presbyteris non-Unitis, tum scriptis litteris, tum collocutionibus cum Ill.mis D.nis Gubernatoribus de Szeremetow, Volinensi et de Berchman, Braslaviensi; tamen optatam iustitiam et tranquilitatem Clero nec Populo sum consecutus.

Notum enim universim et ex infrascriptis notitiis autenticis Presbyteros non-Unitos non modo Evangelia Christi Domini removere ab unitate cum Ecclesia Romana Presbyteros unitos et Populum eiusdem confessionis, sed: 1º Ad exitum eiusmodi Missionis habuerunt datos sibi quantum exigebant milites, item ex quolibet Circulo designabantur officialis exercitus ipse Circuli Praesidens vel ipsius substitutus. (Quemadmodum ipse vidi in Circulo Radomislensi). Advenientibus ita provisis Missionariis in locum destinatum, libenter vel coacte radunatus Populus fuerat; qui non verbis Evangelicis ad eorum confessionem suscipiendam monitus, sed quod talis est voluntas Serenissimae Imperatricis et quod illi, qui perseverarent in Unione hoc ipso se praestabunt inimicos eius regiminis, tum sequebantur promissiones: subditos plebeos fore liberos ab onere laboris et tributi solvendi Dominis suis,

terram heredis fore divisam in ipsorum proventum. Si e contra: obstinatos ad non deridendam Unionem, omnibus afflictionibus fore praemendos, uti: continuo milites consistentes alendos fore, in duplo novum militem daturos et dupla tributi publici solutione, expellendos tandem tales, qui non securti erunt non-Unionem a domibus et Patria sua in exteris et vacuas regiones.

2º. Ubi Populus gnarus, tales promissiones, nisi ab expresso mandato Dominantis non venire eis fidem non praestabunt, ibi vexationes militum sequebantur, verbera vel vincula. Presbyteros mittebant invitos, et aliquando vinctos ad civitatem Gubernialem tamquam rebelles.

3º. Usus potationum, quibus populum assuetum ad ebrietatem seducebant, ita ut sufficere profitebantur, si duo vel tres talis conditionis homines subscriberentur ad apostasiam, pro tota parochia. Atque etiam non semel expertum erat, populum fraude inductum fuisse, ad subscribendam apostasiam, ita ut arbitrando, ignarus populus legendi et scribendi, quod uti lectum fuerat ex chartis: ipsum non velle abrogare Unionem Sanctam, ita scriptum fuisse in titulo subscriptionum, quamvis contrarium est expertus.

4º. Quemadmodum ipse expertus sum Radomisliae,<sup>273</sup> in facto a protopop Ochota Lewicki missi ad ecclesias recipiendas ab Unitis, ita relatum habui ex Ucraina. Non-Unitos presbyteros ad tale obsequium destinatos procurare omnimode claves ecclesiarum auferre, aut inventis ianuis ecclesiarum apertis tempore Sacrificii vel divini officii, intrare cum strepitu, et clamore, ex altaribus antemissalia cum despectu removere, atque talem temporis occasionem peropportunam et optimam ad ecclesias recipiendas, etiam reniente populo, et ad novam, eorum consuetudine, benedictionem ecclesiarum, fuisse putabant, ita ut tali modo ereptam ecclesiam impossibile dicebant restituendam fore Unitis.

Populus a Suprema Providentia a natura destinatus et assuetus ad agriculturam, tanta afflictione et calamitate a non-Unitis perterritus, currebat, implorando a suis heredibus protectionem, sed his prohibitum erat eam praestare, sub quocumque respectu in causa Religionis Catholicae; uti civibus nobilibus districtus Mosirensis, ad eorum Notam, respondit Ill.mus Tutolmin, Generalis Gubernator, anno 1795, Jun. 30 die.

Unum adfuit medium afflito populo: in absconditis locis Deum laudare cum suis Parochis in fide constantibus, ab iis SS. Sacmenta recipere et doctrinam Christianam. Sed hoc cognito a non-Unitis, absque mora Uniti Presbyteri de domibus propriis et beneficiis ecclesiasticis expulsi sunt; quin imo, nec permissum erat eis frumento seminato in tranquila eorum posses-

<sup>273</sup> Residentia metropolitana in Ucraina, ubi praesertim Metropolitae residebant, et Metropolita Smogorzewskyj obiit die 1 Novembris 1788.

sione coligere et his frui; quoniam tamen non satis esse putabant non-Uniti, eosque ad mendicandum inducere Presbyteros Unidos, ut eorum conatus ad subvertendam S. Unionem sortiantur effectum, prohibitum fuit, et summopere curatum, ne Sacrificia Missae peragantur in nullo loco, tam in domesticis capellis quam in ecclesiis Ritus Latini a Presbyteris unitis. Hoc motivo non confisis adhuc non-Unitis, in sua rigorosa cautela, vocati erant ad civitates Circulares, tum ad Urbes Guberniales Zytomir et Winnica Uniti Presbyteri, ut dent subscriptionem pro se ipsis, nunquam eos celebraturos Missas et nulla obituros officia divina, aliter in contrario includendos fore in civitatibus, sine facultate egrediendi ex eis. Factum hoc anno 1795.

Non vacabant carceres in Urbibus Gubernialibus Zytomir et Winnica a Presbyteris Unitis, quorum cognomina et numerum quamvis curavi scire, non potui; tamen dato de his afflictis nuntio, non semel ipse adfui Ill.mo de Szeremetow, Gubernatore Volinensi, deplorando ipsius clementiam et iustitiam, qui minime persuasum se habere voluit, ipsos pro fide Catholica afflictos esse carcere, sed quod hi infelices commovebant populum, dicendo: Polonus venturos ad Provincias subiectas Regimini Russiae et puniendi fore ii, qui a fide sua Catholica recesserunt et quod abutuntur loqueli suis Regnante Imperatrice et aliis simulatis criminibus illos arguebat, potum spectantibus, tranquilitatis publicae. Respxi tamen ipso intuitu, liberatos fuisse e carcere Presbyteros illos, qui lassati taedio et incommodo parti non-Unitorum sese devoverunt, abrogata sua Catholica Confessione. Constantes autem in fide animadvertisi, post decem hebdomadas suaee probationis, e carcere liberatos fuisse, data in primis sponsione in scriptis, eos non immiscere in administrationem divinorum populo officiorum. Sic Parochus exhibit Stavecensis in Circulo Radomislensi et ceteri. Vinnicae, in urbe Guberniali Braslawiensi, me praesente, anno 1794 in obli. pro rebus Religionis Catholicae Presbyteri, qui pro suis negotiis ad me advenerunt, numero quinquaginta, ex mandato Ill.mi Berchman, Gubernatoris Braclawiensis, in carceribus inclusi fuerant, tamquam devulgantes dicta fabulosa de victoriis a Polonis supra Russos, inter rudem populum; quamvis post adhibito rigoroso examine, nihil probatum, nihil probabile contra eos fuere, tandem liberatis a carcere, mox iussum discendi ad domos proprias fuit proclamatum, ita ut desideria et erumnas suas nec scripto, nec verbo mihi praebere potuerunt.

Adhuc praesente Ill.mo Metropolitano in sua Archidioecesi, difficile et periculosum erat afflictis Presbyteris Unitis recursum habere ad proprium officium; eo difficultas illa augebatur, quo maiori conatu intendebant affligere inique Presbyteros Unidos non-Uniti, quam impossibile erat habere tot in singulari probationes et documenta, quod personae et loca passa erant ultimas afflictiones pro S. Unione, igitur ad probandam factorum veritatem tot praebeo particularia, quot horum potui habere.

Anno 1794, in 7-bri, Parochus Zitomirensis, Presbyter Olszewski, detenus fuit in carcere et captivus ductus Nesvisiae, ideo, quod populus secutus exemplum eius constantiae in fide Catholica, minime denegare voluit S. Unionem, clavem ecclesiae suaे parochialis sponte tradere noluit non-Unitis Presbyteris, innixus privilegio a Serenissimo Rege Poloniae, quo frui beneficio ad vitae eius finem erat benigne concessum. Et quod in X-bri anni currentis, in Provinciis avulsiis a Regno Poloniae, non extitisse, sed relegatum fuisse captivum in exilii locum, notum habui, ex litteris ad me directis die 23 X-bris eiusdem anni ab Ill.mo Generali Gubernatore Tutolmin.

Radomysl, civitas residentialis Ill.mi Metropolitani, considerata fuit potissima ad dissolvendam S. Unionem, si in ea quoque possibili modo eripiantur ecclesia. Quapropter, praeter varias secretas collationes Presbyterorum non-Unitorum cum populo huius Parochiae, ter publicae congregatus ad abrogandum fidem sanctam admonebatur: 1º. Anno 1794, in 9-bri, per protopopum Ochota Liwicki, denuo a multis Presbyteris non-Unitis et Officialibus exercitus, post quorum recessu sine desiderato exitu, detenti fuerant duo plebeae conditionis homines: Kunda et Palamarz et post hebdomadae unius carceris tempus, ambo crudeliter virgis caesi, praecipue Kunda, et qui praefuerat huius crudelitatis tormento, Praesidens circuli Radomisiensis Bichole proclamabat: Quam non vultis confiteri fidem Rossianam, alii auscultantes non se resolvunt ad abnegandam Unionem. Tum 1795, die 5 Mai, venit ad me Episcopum idem Bichole et expresse declaravit habere tale mandatum ab Ill.mo Szeremetow, Gubernatore Volinensi, minime interro-gare populum de voluntate illius in causa Religionis, sed compellere ad disunionem amplectendam, extraditum, et si in casu eae non redditantur, iussum est bona Ill.mi Metropolitani confiscari. Quo nuntiato, statim per litteras a me directas Ill.mo Gubernatori Volinensi omnia communicavi, a quo nullum responsum sum assecutus. Praesidens illi Circuli nullam admonitionem pro ausa habuit; hoc tantum litterae meae sortitae sunt effectum, quod in pacifica possessione ecclesiae Radomislensis mansi ad tempus usque quo omnia funda et bona Ill.mi Metropolitani et Episcoporum in fiscum abierunt Imperiale; post igitur huius edicti promulgationem, de sublata potestate et iurisdictione Metropolitana et Episcoporum, post datam notificationem ab Ill.mo Gubernatore Volinensi Szeremetow, ut iam amplius non commorear Radomisiae, die 23 9-bris 1795, absente me, stipato populo congregato militibus, praementibus Officialibus exercitus, coactus fuit populus ad renun-tiandam Unionem Sanctam et ecclesia est erepta.

Anno 1794, die 25 X-bris, ex litteris a Rev.mo D.no Lubinski, Officiali Bracławiensi, relatum fuit in genere, de suppressione Presbyterorum constan-tium in Unione et in singulari, quod in praedio Lipowie, tres ibi ecclesiae et vicinae huius praedii, sunt ereptae a non-Unitis; quaedam ecclesia, quam

potuerant defendebantur a Parochianis; difficile tamen, ut praepotentiae resistant. Addidit in epistola, se resolvere benedicere et aliis Parochis concedere domesticas capellas in loco honesto, ut Parochi, destituti paroeciis et ecclesiis, possint Missas dicere et populus in fide constans auscultari officia divina.

Anno 1794, die 6 X-bris, refert Decanus Chodorcoviensis Andreas Ilnicki, Simeonem Zalubowski, Parochum Kvitoviensem et eius Vicarium cum parochianis, etsi interrogatos a regimine Circuli Pavolocensis et Protopopae Presbyterorum non-Unitorum de renuntianda confessione Fidei Catholicae, respondere: minime consentire; tamen, non attenta responsione, missi sunt non-Uniti Presbyteri, Zolowski et Scislawski, atque alii ad vicum Kuilowicz; clavem ecclesiae coactae ereperunt et nec ita potendo in suam convertere partem populum et Presbyteros unitos, ecclesiam obsigilaverunt et variis vexationibus oprimebant.

Anno 1794, die 12 -8bris, Ill.mus Choloniewski, Eques Aquilae albae, in sua epistola deplorat, quod in opido Janow illius hereditario, in Gubernio Bracławiensi, Presbyteri non-Uniti, adiuvante eos substituto Praesidis Circuli Rossiano, non attenta prohibitione a regimine Guberniali, modo violento, comitantibus militibus, ecclesia coacte erupta est, populum ibi ex curiositate videndi Ritus eorum congregatum, et quamvis maior pars populi restitit, et ad Ill.mum Gubernatorem Bracławiensem selectos a se misit, aegre ferens tantam non-Unitorum insolentiam, petitionis tamen suae non est sortita effectum. Addit in eadem epistola: haeredibus procurare restituendas ecclesias, hoc modo occupatas, iuridico a Gubernatoribus processu est cohibitum.

Anno 1794, die 10 8-bris, Ill.mus Joannes Nepomocenus Grochotski, aequo in epistola sua refert, Presbyterum non-Unitorum Bialostocki, cum exercitus Officiali violenter invasisse domum Parochi Satanicensis uniti Kunicki, clavem ecclesiae surripuisse et non redidisse; item ab eodem in Parochialibus ecclesiis vicorum: Michalowicze, Helenowicze ex altaribus antemissalia sublata fuisse; quin etiam in his vicis refert, cogente Officiale exercitus et memorato non-Unito Presbytero, paucissimo numero, disunionem subscribse homines, omnes autem incolae sustinent suam constanter Catholicam confessionem.

Anno 1794, die 24 9-bris, Illustrissimus Proskura, Eques, in epistula refert, in hereditario eius opido Suszczawa, Presbyteros non-Unitos ecclesiam coacte invadere, parochianos funibus ligare et carcere minari.

Anno 1794, Ill.mus Petrus Turkut, Eques S. Stanislai, refert in haereditariis eius vicis Zburowice et Barcoviae parochianos et parochos non consentientibus negare fidem Catholicam, vexatos fuisse a presbyteris non-Unitis, qui portas ecclesiae conati sunt evellere, campanis pulsaverunt in timorandum populum, tanquam incendii causa, et alia insolita et proterva patrarunt

quod Uniti Presbyteri loci huius et ex parochianis electi duo homines ad me missi infrascripti idem narrabant.

Anno 1795, die 24 Junii, Rev.mus D.nus Szopczanski, Surrogatus Parochus Teliovicensis, excusat se in epistola non posse officio se praestare idque quod moderatores Circulorum nostris Presbyteris litteras passus denegant, sine quibus a regimine Guberniali prohibitum fuit de domibus suis ad alterum Circulum proficisci, quamvis destituti officio et beneficio a non-Unitis ipse dictus Surrogatus et alii Presbyteri desiderarent sistere ad capiendum consilium a suo Pastore.

Anno 1795, die 30 Jan., Ill.mus D.nus Josephus Smogorzewski defert per epistolam quod in hereditario illius rure Dernowicze, resistente populo negandi fidem Catholicam, milites compellabant ad ecclesiam eos ingredi, quam presbyter non-Unitus Alexander Levicki ritu suo benedixit et proclamavit eam iam non pertinentem ad confessionis Catholicae parochianos, sed nominavit iam suam esse.

Anno 1795, die 19 Augusti, notificatum est a R.mo D.no Lubinski, officiali Bracławiensi, de numero presbyterorum in fide catholica constantium ac destitutorum omni modo vivendi, usque ad mendicandum, absque loco fixo a non-Unitis presbyteris, ut nominatim: Presbyter Basilius Ostrowski, Decanus Prilucensis; Jacobus Cioszkowski, Decanus Niemirowensis; Cirillus Sierocenski, Decanus Gravolensis; Clemens Wolkonowicz, Parochus Sovicensis; Elias, Parochus Lubinensis; Damianus Nineszynski, Parochus Ocittoviensis; Timotheus Semeczko, Parochus Pavolocensis; Petrus Sameczko, Parochus Jablonovicensis; Marianus Cuchnicki, Parochus Lucko-Slobocensis; Michael Szydłowski, Parochus Novomiezko-Dasoviensis; Ignatius Wierzbicki, Parochus Bielinensis; Joannes Dostoiewski, Parochus Scalensis; Basilius Kremisowicz, Parochus Telczynensis, Decanus Tyvolovensis; Szemecko, Parochus Colnovicensis; Jankowski, Parochus Hawrilowicensis; Michael Bogucki, Parochus Stavinensis; Daniel Obertinski, Parochus Sniesko-Vinicensis; Michael Kowalewski, Parochus Sabasensis; Gabriel et Josephus et Gregorius et Eustachius Chapłarzewscy, Parochi; R.dus D.nus Nowohrebelski, Surrogatus Cecelnensis, Praesidens Consistorii Bracławiensis. Addit memoratus Officialis quod maior numerus constantium in persecutione Fidei Catholicae exprimi posset, sed ita absconduntur presbyteri vexati a non-Unitis, ut de illis certa notitia haberi nequit.

Anno 1795, die 25 Aprilis, R.dus D.nus Haczewski, Decanus Uninensis deplorat statum suum quod ab anno 1794, die 10 Augusti, persecutus ab Officiali Exercitus et praesidente Circuli Jancovicensis Vnukowa, alienatus a sua possessione et domo parochiali, coactus est abscondere se in domibus rusticorum et in hoc infelici statu frequenter a militibus et presbyteris non-Unitis turbatur.

Anno 1795, die 8-va 7-bris, presbyter Giricz, Parochus Dijdoviensis refert, quod protopopa Bratalowicz expulit eum de propria domo, variis adinventis praetextibus vexabat, invasus domum eius vasa et suppelectilia foras proiecit, cogendo eum ex omni mansione expetere, tandem retulit factam omnem malitiam regimini Guberniali Kioviensi, a quo tranquilitas est restituta.

Anno 1795, die 6 Augusti, presbyter Simeon Huskowski, Parochus Rosumiensis, ab anno 1794 expulsus de propria domo et ecclesia sua parochiali, per Piotrowski non-Unitorum protopopum, ad tantam inopiam redactum esse refert, quod sucurrere necessitati victus et amictus propriae personae et familiae suaue non valet.

Anno 1795, die 16 Augusti, presbyter Jacobus Lachnicki, ab anno 1794 destitutus possessione ecclesiastica, a presbyteris non Unitis expulsus de domo sine spe eam recuperandi, nullum habens modum vivendi cum sua Familia, peragratur vicos et praedia quaerens benefactores.

Anno 1795, die 10 Januarii, plebei de Didow, possessione Ill.mi Metropolitan, per suum suplicem libellum ad Ill.mum de Szeremetow, Gubernatorem Volinensem exponebant afflictionem, quam passi sunt a protopop Bratalowicz Circuli Rosensis, qui cum duobus presbyteris suis et tribus militibus populm minis et vexationibus ad removendum a S. Unione non potendo inclinare, proposuit parochianis, ut se subscriberent omnes, nunquam desiderasse recedere a Catholica Confessione et semper in ea perseveratus; quae propositio grata populo universo fuit huius praedii Didow, quam tamen memoratus protopop in fronte subscriptionis non posuit, sed tantum simulavit eam expressisse, revera autem contrariam posuit sententiam, talem: Nos plebei de praedio Didow, subditi Ill.mi Metropolitan, quemadmodum voluimus, sic et nunc volumus, associari Disunioni et abrogare Unionem, sed timemus Ill.mum Metropolitanum nostrum Dominum, qui abscedendo Petropolim minatus est nobis, quod si reliquerimus S. Unionem et Disunioni adstrixerimus, post suum redditum plecturos nos promisit. Hac tandem propositione scripta, lecta autem prima, nimirum semper in Catholica confessione perseveratus, chartam ad subscribendum porexit. Populus ignarus legendi et scribendi, bona fide motus, subscriptis chartam illam scriptam a protopop Bratalowicz, a quo comitantibus militibus compulsi sunt in ecclesiam, iurare sunt coacti servandi Disunionem cum Ecclesia Romana et suam parochialem amiserunt. Tam impio facto moti, primum quaerebant remedium per Economum Holownia huius praedii, tandem cum suplici suo libello ad Ill.mum Szeremetow, Gubernatorem Volinensem, suo ex gremio electos viros miserunt, expressis in eo omnibus facti hoc circumstantiis, sed nullum responsum sunt assecuti. Ex motivo autem scripturae, quamvis falsae, sed subscriptae a plebeis, minatum esse Metropolitanum suos subditos in causa Religionis, vel ad maiorem incutiendum timorem in praedii huius plebeis

Praesidens Circuli Rosoviensis Arseniow, adhibitis duobus ex conditione nobili testibus, sistit se in fundo Didovice, declaravitque in fiscum Imperiale bona illa adscripta esse, obsigilavit proventus indicem, prohibuitque usus omnium, ac caetera omnia implevit, quae in casu tali agenda sint, de quo casu tam protervo habita notitia, retuli omnia Ill.mo de Szeremetow, Gubernatori, postulavique de recipiendis in fiscum bonis edictum dominantis Imperatricis monstrare. Qui statim recepta nota mea, obsigilatum suum mandatum ad memoratum Arseniow, Praesidem Circuli Rosoviensis misit, qui pari modo in praesentia testium nobilium bona haec Didow, proventui Metropolitanu restituit.

Anno 1795 Presbyteri Joannes Kozubski, Parochus Dauhensis, Paulus Krzyżanowski, Parochus Talinianensis, Thadeus Szewasiucki, Parochus Tulianensis, Joannes Hordziejowski, Parochus Camenacensis, nominibus suis et aliorum presbyterorum in genere deploratum suum statum exposuerunt coram officio, quod illos et omnes in Surrogatia Humanensi de propriis domibus expulerunt, quod nullum habentes modum vivendi, et habitandi, oppressi semper a non-Unitis presbyteris. Alteram quoque infelicitatis suaे causam exponunt, quod prohibitum est ubique et stricte custodiunt Circulorum moderatores et presbyteri non-Uniti, ne Missas sanctas celebrent in latinis ecclesiis et domesticis capellis.

Anno 1795, Julii, Presbyteri: Korycki, Parochus Sniendiricensis; Theodor Podhorecki, Parochus Visevicensis; Demetrius Bobrowski, Parochus Tabilocensis dolent coram officio, quod a die 20 Febr. anni currentis, presbyteri non-Uniti parochias, resistente etiam populo, et beneficia ecclesiastica invaserunt et occupant, imo etiam de domibus proprio sumptu exstructis expulerunt, celebrare Missas, administrare SS. Sacraenta in ecclesiis Ritus Latini et capellis domesticis, imo in ecclesiis Unitis cohibent, tandem seminata frumenta, stante pacifica possessione, ab illis sunt accepta.

Anno 1795, die 15 7-bris, Joannes Latycki, Parochus Onuphriensis ex Circulo Boguslaviensi, exposuit in suo scripto memoriali ipsum exulem esse a suo beneficio et domo sumptu proprio exstructa, ita ut modum vivendi prorsus non habet.

Anno 1795, presbyter Matheus Kondratowicz, Parochus Lucinensis exposuit officio, quod Regiment civile prohibuit non solum in ecclesiis Ritus Latini, et domesticis Capellis verum etiam in ecclesiis Unitis nondum areptis atque ecclesia sua parochiali sublata, simul destitutus est beneficio et mansione, item proprii laboris sementa frumentorum sunt prohibita ad fruendum, per Circuli Coristoviensis Praesidem.

Anno 1795, die 24 Augusti, Filemon Sokolowski, Parochus Zabolocki; Jacobus Sokolowski, Parochus Virlocensis; Nicetas Mandokowski, Parochus Proslowski; Joannes Zawadowski, Parochus Malinensis; Joannes Truskiewicz,

Parochus Basasensis; Jacobus Krzyszanowski, Parochus Horodiscensis expri-  
munt in suo memoriali, expulsos esse de domibus suis a presbyteris non-  
Unitis, prohibita sacristia et usus fructuum beneficii, inde absque ullo modo  
existere vivendi, quam infelicem exitum ab ipso regimine Guberniali pro-  
venire dicunt.

Anno 1795, die 19 7-bris, Ill.mus Rybinski, Eques S. Stanislai, in epistola  
sua recomendat constantiam in fide Catholica parochi Leszczynec, cuius a  
non-Unitis ecclesia et parochia arepta, proindeque destitutus beneficio, domo  
et proventibus, modum vivendi non habet.

Anno 1795, Julii, Laurentius Butricki, Parochus Pisanensis, retulit,  
eum per Michaelem Luniewicz, protopopum non-Unitum, ab ecclesia et  
parochia coacte remotum, postea orbatum beneficii proventibus, nec se  
nec suam familiam esse in statu sustinendi.

Anno 1795, Theodor Gubinski, Parochus Soromowski, refert quod ex  
mandato Praesidis Circuli primae partis Zitomirensis Szelepnikow, aut ex  
mandato maioris iurisdictionis, non solum extitit alienatus a sua parochia,  
sed a propria domo, et mansionibus oeconomicis proprio sumptu iectis et  
destitutus tandem frumentis omnis generis, nullum pollicetur habere modum  
vivendi.

Anno 1795, Augusti, Mozolewicz, presbyter Capellanus Macaroviensis,  
refert Officio, quod in ultima egestate unum modum vivendi habuit ex ele-  
mosina pro celebratione Missarum, quo etiam destitutus, per Mironowski  
Praesidem Circuli Rosoviensis, die 25 Julii, qui rigorose prohibuit illi, uti  
aliis presbyteris Unitis dicere Missas tam in domesticis capellis, quam in  
ecclesiis Ritus Latini.

Anno 1795, die 14 Junii, Benedictus Markowski in epistola sua retulit  
eum et alios Presbyteros vicinos suos destitutos esse beneficiis omnibus,  
prohibita celebratio Missarum in capellis et ecclesiis Ritus Latini. Insuper  
Presbyteri non-Uniti omni attendunt diligentia ne Uniti in locis absconditis  
dicant Missas. Addit etiam minas, quibus incutiunt terrorem; quod, qui  
non se praestabunt dociles ad religionem mutandam, erunt expulsi in vacuas  
regiones Imperii, erunt adscripti jugo militari; in hac igitur gravi angustia,  
etsi Victori Sadkowski, Archiepiscopo non-Unitorum<sup>274</sup>, visitanti ecclesias ab  
Unitis receptas, in Guberniis Volinensi et Braslavensi, Presbyteri Uniti  
praesentabant, in scriptis, suas afflictiones et alias presbyterorum eius insol-  
lentias, praecando, ut restituantur erepta possessiones et proventus, conce-  
daturque celebratio Missarum, aut tandem permissum sit ad regiones Imperii

<sup>274</sup> Victor Sadkowskyj, Archimandrita Slucensis et caput non-Unitorum, Episcopus  
Perejaslavensis et Coadiutor Kioiensis; ab anno 1793 Archiepiscopus Minscensis.

Romani proficisci; desideratam tamen responcionem non sunt assecuti et remoti sunt ab illius aspectu.

Anno 1795, in Julio, Rev.dus D.nus Truchlinski, Officialis Kioviensis, pro epistola ab Ill.mo Metropolitano scripta et ad eum directa, in qua ex solicitudine pastorali intendebat, ut officium procuret formare populum et Clerum in confessione Catholica, fuit Zytomiriae custoditus, milite comitate eum ne ex Urbe discenderet et non aliter permissum erat Radomisliam venire, quinque miliaria distantem civitatem de Zymin, nisi data a me sponsione ipsum nullibi discussurum, quae cautio non fuit sublata usque ad tempus edicti suprimentis iurisdictionem ecclesiasticam Episcopis.

Anno 1795, in Novembri, publicato edicto Imperiali suppressionis Hierarchiae Unitorum cum Ecclesia Romana, ecclesia lapidea in urbe Zytomiz Seminarii, sumptibus Cleri Uniti extracta non minimis, data est non-Unitis presbyteris et domus residentiae alumnorum erepta et designata pro mansione Praesidi urbis Zytomirenensis, presbyteri autem ibi mansionarii sunt ex ea expulsi.

Pinsci, die 22 Febr. 1797.

In originali subscriptum est ita:

**JOSAPHAT BULHAK**, Episcopus Turoviensis, Coadjutor Pinscensis.

## 9.

*Pinsk, 26. II. 1797.*

*Josaphat Bulhak sub novo Imperatore Paulo I refert cuidam Nobili de quadam nova spe corrigendi damna sive in Ucraina sive in eparchia Pinscensi, nec non de obtenta pensione, instantे principe Repnin etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Jaśnie Wielmożny Mości Dobrodzieju.

Żądany czas nastąpił, w którym lubo nie zagoione rany, przynaymnież że się odważyć można o uleczenie onych starać się. Dzieło te przypisać Opatrzności Naywyższego należy, udzielenia nam Monarchi łaskawego, a Jaśnie Wielmożnego WM. Pana Dobrodzieja że zatrudniając się ciężkimi pracami Pasterzowania, dałeś z osoby swoiej poznać szacunek Religii Katolickiej, y potrzebę miłości wzajemnej w pasterzach, przez utrzymanie Jedności z S. Kościołem Rzymskim, aż do uiętej władzy y mocy zwrócenia się do swey Oyczyszny. Ciesząc się w samym początku nadziewy widzenia się i witania Jaśnie Wielmożnego WM. Pana Dobrodzieja, donoszę: że jadącego JW. Litty, Nunciusza, od Stolicy Apostolskiej do Tronu, uwiadomiłem o stanie Archi-Diecezyi Kijowskiej, w której ledwie szczątki są pozostałych w Jedności S. cerkwi; Xięży statecznych zupełnej liczby mieć nigdy nie można

było dla częstych upadków; posłednie kleryci ani się przedemną osmielali okazać, inni obrządek odmienili na Rzymski; przez odmianę Obrządku umnieszły się oświeconych Xięży liczba; mniey oświeceni kryciem się w lasach bronili się od napaści, widząc mnie niesposobnego do ulżenia pocisków. Liczby przeto Xięży stałych nie podobna mieć było i z tezy przyczyny szczegułów wszystkich. Przeto tylu dowodami o krzywdach poniesionych, y przesładowania Wiary S. przezemnie iest wsparły JW. Nunciusz, ze dość do okazania powszechną niewolę naszą, uciski w wyznaniu wiary y jednosci ś. y nieludzkość w dozorcach przeszłego Panowania.

Diecezja Pinska y Turowska srogo kołatana, lubo równie krzywdy poniśla, uięciem cerkwi Katedralney, y Parafialnych w liczbie do siedmdziesięciu, lud iednak z wszystkimi wyzutemi Kapłanami stateczny, y nieprzekonany w wierze, y Jedności Świętey; czuią lud y kapłani potrzebę, ieżeli Rządowa władza bronić nie będzie, dla uniknienia przesładowań, i niebezpieczenstw upadków, prześć na Obrządek Rzymski, zwłaszcza że ieszcze nadzieja do naszych krajów nie doszła zwrotu miejsc zabranych y Biskupa zjednoczonego do Pinskiej Diecezyi; na Wołyńiu zaś y w Kijowskiej Archi-Diecezyi dowodne są powieści odmiany Obrządku.

Ja po Edyckie przeszley Imperatorowej, nie mając istym wyrażonej pensji, uzyskałem u JW. Biskupa Pińskiego, Koadjuta moiego, cessią na wszystkie dobra Biskupstwa Pińskiego, z umową trzecią cześć przychodów dawania ad sustentationem memu Koadjutowi.

Na mocy tego prawa udało się do JOXia Repina, w którego Gubernii Litewskiej trzy folwarki małe znayduią się Biskupstwa Pinskigo: Woratych, Tyszkiewicze, y Bielinek, y te utrzymują się pod moją opieką za stawnym pozwoleniem JOXia Repina, General-Gubernatora Litwy. Na ostatek za prożbą usilną, a może za narażaniem się Obywateli Pinskich takową JW. Tutolmin, General-Gubernator wyiednał pensję dla mnie od przeszley Imperatorowej,<sup>275</sup> tysiąc Rubli na rok. Ukaz ten imienny, datowany 1796 Junii 25 dnia. O tym wszystkim uwiadomiłam, aby w układzie, ieżeli dobra mają się powrucić, o których odebraniu uwiadomiłem JW. Nunciusza w mym liście, jak ządał, z wyszczególnieniem nazwisk folwarków i powiatów zapisany onych dzierzenia, aby iednym zachodem dopełniło się, co będzie potrzebować nowego starania.

Ządał JW. Nunciusz<sup>276</sup> siebie uwiadomić autentycznemi dowodami o

<sup>275</sup> A Catharina II, die 25 Junii 1796; Catharina obiit eodem anno in Novembri.

<sup>276</sup> Laurentius Litta, Nuntius Varsaviensis et Legatus pontificius Petropoli (1797-1799). Hic anno 1799 iussus est a Paulo I « Petropolim inter quatuor horas Russiamque quamcitius relinquere ». Agitur de 9 Majii 1799. Cfr. W. MEYSZTOWICZ, *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, Vaticani 1944, pag. 39-42. Hic auctor breves vitas Nuntiorum Varsaviensium dat, a Nicolao Serra ad Laurentium Litta, in pag. 10-43.

uciskach y stanie Dieceziów, osób duchowienstwa, y naszych; dopełniłem z naywiększą iak mogłem pilnością, y rozumię że się Rząd Naywyzszy przekona o naszych uciskach; lubo w szczegółach nie tyle obfituiemy, ile krzywd działanych osobom y mieyscom, ieżeli tylko łaskawym u wysłuchaniu, i sprawiedliwym będzie u wyśledzeniu.

Rozumiem, że za przybyciem do Oyczyny okaże się dowód wielkiego szacunku ku osobie, upoważenie Urzędu, y uległości mojej Władzy Duchownej, nie rozwodzę się przeto w tym, pismem, ale kończę wyrazem. Żem ustawniczym.

Jaśnie Wielmoznego WM. Pana Dobrodzieja naynisszym Stuga

J. BUŁHAK, Biskup Turowski, Coadjutor Pinski (mp).

Z Pinska 1797, d. 26 Febr.

## 10.

*Torokanie, 3/14. VI. 1798.*

*Josaphat Bulhak, ut videtur, Legato Apostolico de melioratione status Ecclesiae Unitae; certiorat de obitu episcopi Berestensis Głowiewski; de suo modo agendi ut episcopo viciniorum.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, 36, n.n.

Illusterrime, Excellentissime, Reverendissime Domine.

His gravissimis temporibus destituti Catholici protectore, fisi in Unius Dei Providentia laetantur, quod protegens eos Summus Pontifex Pius VI in munus Oratoris Apostolici benigne designare voluit Excellentiam R.mam Dominationem Suam, dexteritate in peragendis negotiis praeditam personam Suam esse. Persuasi expectabamus felicem eventum Religionis labefactatae Catholicae in Imperio, juvante ad idem assequendum pietate et amore erga suos subditos regnantis Serenissimi Imperatoris Pauli I.

Litterae de die 7/18 Mai ad me missae gratulari Suae Excellentissimae Rev.mae Dominationi jubent, quod suo in Aula Imperiali labore provisi greges utriusque Ritus Catholici sunt suis Praelatis. Ii etiam, qui destituti sunt ab anno 1795 suo munere pastorali, gaudebunt eadem pensione ad vitae tempora, quae designata fuerat. Ex quibus ego potissimum gratias reffero, quod ad eandem pensionem habendam mandato Supremo sum adiunctus. Qua Serenissimi Imperatoris gratia, credo, me esse assequutum sollicitudine Excellentissimae, Rev.mae Dominationis Suae. Illi quoque futurum meum commodum et subsistentiam ab illius erga me benevolentia venire profitebor.

Episcopus Brestensis Głowiewski,<sup>277</sup> longo tempore infirmans, die 30 Apr-

---

<sup>277</sup> Arsenius Głowiewski, Episcopus Berestensis (1791-1798). Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 10, pag. 70.

lis V.S., pie est defunctus. Litterae Excellentissimae, Rev.mae Dominationis Suae, in quibus ut me conferam cum eo et recurram necessitati gregis illius, iam post obitum ipsius venerunt. Restat igitur ut novus Pastor provideatur huic Dioecesi Brestensi,<sup>278</sup> quae sat ampla foret si limitibus tantum Gubernii Lituaniae fuerit ampliata, at perquam difficile erit tam vastam dioecesim gubernare, si et Gubernii Minscensis ecclesiae fuerint eidem adjunctae. Nam totius Gubernii Lituaniae manent intactae ecclesiae, idem earum numerus et populus (praeter Samogitia) fere omnis in Ritu Graeco Unito existit; tum etiam maior pars his temporibus perseverat in S. Unione populi et cleri in Gubernio Minscensi. Si foret possibile, utinam! provideatur quartus Episcopus pro Gubernio Minscense. Caeterum, donec canonice promotus fuerit in Episcopum Brestensem quis, necesse est quam celerrime providere Dioecesi et temporali proventui, quem habuit Episcopus defunctus ex praedio ad Brestam Triszyn Administratore, ne longo intervallo sit maior devastatio et disciplinae ecclesiasticae detrimentum. Haec existimavi notificare Excellentiam Rev.mam Suam Dominationem; me autem sustineo quidquam agere, ratione vicinitatis, in dioecesi Brestensi, iuxta praescriptum Synodi Zamoscianae, ut vicinus Episcopus curam ageret, tam in spirituali, quam temporali, defuncto Episcopo vicino (titulo de Metropolitanis), attentis circumsstantiis temporum, praecipue, ne aegre ferat praeteritus vivens Ill.mus Episcopus Vlodimiriensis Młocki,<sup>279</sup> Coadiutus defuncti Episcopi Brestensis Głowniewski.

Ea benevolentia sua, qua usque adhuc uititur, persuasum me efficit, quam gratitudinem et Sedi Apostolicae et Suae Excellentiae, R.mae Dominationi debo profiteri. Oro Deum Optimum, ut tam Sacram Sedem in sua Providentia sustineat, quam ut Ill.mum, Excellentissimum, Rev.mum Dominum a Clementissimo Imperatore ad gradum illustrem Prioris Equestris Ordinis S. Crucis in Malta elatum, ex quo omnes magnopere laetamur, longaevum et felicem conservet.

Ill.mi, Excellentissimi, Rev.mi Domini humillimus et devotissimus Servus.

Torokaniis, 3/14 Junii 1798.

JOSAPHAT BULHAK, Episcopus Turoviensis et Pinscensis.

<sup>278</sup> Revera nominatus fuit Josaphat Bulhak (1798-1838), qui ab anno 1817 erat nominatus etiam Metropolita unitorum in Russia cum iuribus Administratoris et ab anno 1833 etiam Archiepiscopus Polocensis, sola auctoritate imperiali Nicolai I.

<sup>279</sup> Symeon Mlockyj, Episcopus Volodimiriensis et Berestensis (1778-1795), qui dein privatim vixit et, ut videtur, anno 1804 obiit.

## II.

*Torokanie, 16/27. VI. 1798.*

*Josaphat Bulhak Legato Apostolico de quodam Mandato Imperiali et Departamenti Spiritualis omnem iurisdictionem cedendi ep. Brestensi Głowiewski, nec non de impossibilitate id faciendi ob eius mortem, etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, 36, n.n.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine, Patrone Colendissime.

Per editum mandatum die 20 Mai 1798 a Departamento Catholico innuit mihi, ut iurisdictionem meam ac ecclesias omnes Episcopo Brestensi (cuius Dioecesis undique limitat meam his temporibus, ab anno 1795, dioecesim) sub regimen illius subdem. Juxta praefixum tempus, edictis prima posta, notificavi Departamentum de promulgatione huiusmodi et de morte Episcopi Brestensis Głowiewski,<sup>280</sup> proindeque commendatis meis ecclesiasticis Departamento, subjunxi novum Episcopum Brestensem dandum, expectare me oportere. Sed considerata Ill.mi, Exc.mi, Rev.mi D.ni in Aula Imperiali auctoritate, duxi aequum haec supplicare, ut canonica fiat creatio Episcopatus Brestensis (ut declaratum est in litteris de die 7/18 Mai 1798 anni ne anxius sim de legitimitate resignationis mei muneric Pastoralis).

Alterum supplico de meo iure, quod a Departamento Catholico pietate Serenissimi Imperatoris designato, sum hoc anno in numerum Dioecesalium Episcoporum adscriptus, est ratio iusta expectare gratiam nominationis in vacantem Episcopatum.<sup>281</sup> Tandem quod integra Dioecesis, volente Deo, restitueretur mihi; quare dignum iudico, pro meae sortis ratione suam implorare gratiam, non mei causa tantum, sed quodammodo sublevare suppressam Auctoritatem Apostolicam in remotis Episcopis a suis Dioecesibus. Sat persuasus sum de ipsius dexteritate atque benevolentia pro me functus officio meo notificandi de his omnibus, profiteor me esse.

Ill.mi, Excellentissimi, Rev.mi Domini, Patroni Clementissimi humillimus Servus.

16/27 Junii 1798, de Torokanie.

J. BUŁHAK, Episcopus Turoviensis.

<sup>280</sup> Arsenius Głowiewski obiit 30 Aprilis v.s. 1798; cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 10, pag. 70.

<sup>281</sup> Josaphat Bulhak nominatus fuit Episcopus Berestensis (1798-1838). Cfr. supra nota 278.

## 12.

*Vilna, 10/21. X. 1798.*

*Josaphat Bulhak nominatus episcopus Berestensis et petit facultates episcopales a Legato Apostolico.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohrafičeskoju Kommissijeju, t. XVI, Vilna 1889, pag. 594.*

THEINER A., *Die neuesten Zustände..., doc. 113.*

Excellentissime, Ill.me ac Rev.me Domine.

Die 10/21 Septembbris gratiosissimum mandatum Suae Imperatoriae Maiestatis nominationis meae in Episcopum Brestensem, publicatum a Justitiae Collegii Departamento, ad me advenit. Unde vocat me regimen politicum adimplere ea, quae munus episcopale requirit in Dioecesi non solum mea, nuncupata quondam Pinsensi et Turoviensi, etiam in ea, quae Brestensis est, et quondam Lithuana Metropolitana fuit, demum iuxta supremum Mandatum 28 Aprilis currentis anni, in regimen monasticum inspicere. His temporibus non latet Tuam Excellentissimam Dominationem, quanta cura et quam celerrima est adhibenda, ut quae noxia, removeantur et ut disciplina ecclesiastica enervata, Deo iuvante, sit quodammodo restaurata proindeque spiritu meo antea laetus fui lectis expressis in sua epistola de die 7/18 Maii. – Omnia instituta in moderno Regimine Ecclesiarum vigore specialium S. Sedis facultatum ad executionem deducenda esse ab Ill.mo, Excell.mo ac Rev.mo Domino. Illas igitur nunc indigens auctoritatis Apostolicae facultates oportunas supplex deprecor, ut legibus ecclesiasticis adiutus ac benedictione hac Sancta munitus alacriori animo et maiori spe operer in vinea Christi. Me interim devoveo quantum valebo, impendere dies meos pro bono Ecclesiae Catholicae, confidens quoque in sua dextera protectione, cui me committo, et cum debita observantia et cultu maneo

Excell.mi, Ill.mi ac Rev.mi D.ni humillimus et devotissimus Servus Vilnae, die 10/21 Octobris 1798.

JOSAPHAT BULHAK, Episcopus, Nominatus Brestensis.

## 13.

*Vilna, 12/23. X. 1798.*

*Josaphat Bulhak certiorat de sua translatione in episcopum Brestensem, de missione Basiliani Antonowicz Petropolim ad Legatum ut suum Procuratorem, de nominatione Adriani Butrymowicz vel Mattiae Korn in Suffraganeum.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohrafičeskoju Kommissijeju, t. XVI, pag. 595.*

THEINER A., *Die neuesten Zustände..., doc. 114.*

Excellentissime, Ill.me ac Rev.me Domine.

Nullo praetermisso tempore, cum clementissimi nominationis meae in Episcopum Brestensem Supremi Edicti advenerit publicatio a Departamento rerum Catholicarum, functus sum officio meo, debitum venerationis Ecclesiae Catholicae documentum per epistolam de die 10/21 Octobris currentis anni praesentare. Ut autem sortiatur effectum necessaria ad munus episcopale accedendum submissio mea ad habendas facultates necessarias et oportunas ab Apostolica Benedictione, tam quoad translationem ab Episcopatu Turoviensi in Brestensem, quam ad subiungendas quoque aliorum Antistitum dioeceses; demum ad Monachos O.S. Basili Magni, non obstantibus privilegiis eorum Ordinis, regendos, data Commissione per Instrumentum, R.P. Silvestrum Antonowicz, Provincialem Lithuanie,<sup>282</sup> in Curiam Excell.mi, Ill.mi ac Rev.mi Domini mitto. Eique commendavi, ut praesens meo nomine declareret, eam Sedi Apostolicae obedientiam et venerationem, cum qua in dies omnes me esse futurum profiteor.

Receptas hodie litteras ad Ill.mos Episcopos Vladimiriensem, Luceoriensem et Pinsensem, curo quam celerrime ad eorum manus devenire; quod attinet presentationem Suffraganei, iuxta monitum Suae Excell.mae, Ill.mae Dominationis expono mentem meam Ill.mo Archiepiscopo Mohiloviensi, favore Ill.mi ac Rev.mi Domini Adriani Butrymowicz, O.S.B.M., Episcopi Chelmensis,<sup>283</sup> ante annum 1795 Suffraganei Metropolitani, ut eundem Suae Imperatoriae Maiestati commendare velit. Quippe hic supremo edicto congruam pro sustentatione sui dotem assignatam habet; vel si hic non placuerit, commendo favori Ill.mi et Excell.mi Archiepiscopi Rev.mum Dominum Matthiam Korn, O.S.B.M., Abbatem Grodnensem,<sup>284</sup> ad usque Officialem Archidioecesis Metropolitanae, qui pariter ex sua Abbatia commode vivere poterit. Eos etiam gratiae Suae Excellentissimae, Ill.mae Dominationis ac Rev.mae committo.

Praeter hanc quam habet Plenipotens memoratus commissionem, etiam hanc gratiam cathedrali Ecclesiae competentem, quae datur litteris Apostolicis Clementis Papae VIII, simul tunc unitae cum Vladimiriensi Ecclesia,

---

<sup>282</sup> Silvester Antonowicz, Protoconsultor Basilianus a Cap. Zydyczynensi 1788 electus; hic postea erat visitator Provincialis.

<sup>283</sup> Adrianus Topor Butrymowicz, episcopus tit. Calamen., ante annum 1795 erat Suffraganeus metropolitanus in Lithuania. Hic dictio «Episcopus Chelmensis» est, ut videtur, error, quia Chelmae tunc temporis Episcopus erat iam Porphyrius Ważynskyj (1790-1804).

<sup>284</sup> Matthias Korn, Basilianus, Archimandrita Grodnensis, Officialis metropolitanus. In elenchis Archimanditarum hic notatur iam anno 1784.

mihi quoque elargiri benigne precor,<sup>285</sup> quae est: ut in sacrificio Missae aliisque caeremoniis gestare possim dictum Sacotium; in omnibus Suo Patrocinio confidens, maneo

Excell.mi, Ill.mi et Reverendissimi Domini humillimus Servus  
Vilnae, 12/23 Octobris 1798.

JOSAPHAT BULHAK, E.pus Turoviensis, Nominatus Brest.

#### 14.

*Minsk, 9. XI. 1798.*

*Josaphat Bulhak certiorat de sua nominatione in episcopum Berestensem, et disponit de eparchiali regimine etc.*

*Ex Archivo monasterii Borunensis.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI, pag. 581-583, nr. 247, Vilna 1889.*

Z Duchownego surrogacynego Greko-Rzymskich Cerkwiev Pińskiego Rządu przewielebnemu xiędzu Michałowi Jaczynowskiemu, Dziekanowi Pińskiemu zalecenie.

Odebrawszy na dniu 30 miesiąca 9-bra bieżącego roku 1798 od JW. Jozafata Bułhaka, w guberniach Litewskieg i Mińskiegreko-rzymskich cerkwiev biskupa Brzeskiego, Rząd surrogacyny Piński ukaz pod № 18, oraz obiawienie pod № 19 datowane w Mińsku dnia 9 miesiąca 9-bra, roku tegoż 1798, przewielebności twoiey, abyś w dekanacie swym Pińskim zwykłą kursoryą dla wiadomości każdego parocha y administratora obesłał, naymocniewalecza, które słowo w słowo tak się w sobie ma.

W Państwie Jego Imperatorskiej Mości Pawła I, Samowładcy wszech Rossyi, Pana naymiłościwszego — od Brzeskiego Greko-Rzymskich cerkwiev, w guberniach Litewskieg i Mińskieznaydujących się, z Bożey łaski Biskupa Iozafata Bułhaka — do całego duchowieństwa tak świeckiego, jako y zakonnego greko-rzymskiego wyznania, pasterstwu naszemu poruczonego, obiawienie.

Jego Imperatorska mość, pan nasz naymiłościwszy, z troskliwości oycowskiej y naylitościwszego wzgledu nad wiernopoddanemi swemi, Tronowi y Berlu Jego podległemi, kiedy łaskawym okiem raczył zwrócić uwagę nad postanowieniem Eparchyi Greko-Rzymskich, prawowiernemu ludowi tegoż

<sup>285</sup> Bulhak petit in hac epistola usum «sakosii», quod olim episcopis Volodimiersibus spectabat inde ab anno 1596, concessum Hypatio Potij in praemium Legationis romanae ad unionem cum Sede Apostolica concludendam. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. I, Romae 1953, pag. 269-70, nr. 153.

wyznania potrzebnych, a w zasileniu dusz krwią Chrystusową odkupionych przez podręcznych pasterzów ożywiających się, z tego zaś rządu, kiedy nay-wyższym swym ukazem pod dniem 29 miesiąca Julii roku biegącego 1798, za podpisem własnoręcznym nas na Biskupa Brzeskiego y w guberniach Litewskiey, oraz Mińskiey pasterza naymiłościwiey oprzedzielił, postanowił y wywyszył; nic tedy nam więcej nie pozostaie, iak tylko przy uwielbieniu naywyższym łaski Monarszey na wstępie obeymującego rządy pasterstwa, a od dnia 28 miesiąca Apryla roku niniejszego w exekucyi swej stojącego y determinowanego, was, w Chrystusie bracia, wezwać, abyśmy z prawa Bożego, z mocy ustaw y przeświadczenie wewnętrzne z ludem prawowiernym, pastwie naszey powierzonym, dowodząc wierności y poddaństwa ku Tronowi Jego Imperatorskiej Mości, łącząc naygorętsze w nieustannych ofiarach do Boga zastępów nieśli modły za nayszczęśliwsze panowanie naymiłościwszegó Imperatora Pawła I, nayaśniejszą Imperatorową Jejmość nayczerstwsze zdrowie y naydłuższe lata tak im, iako też całej Ich nayaśniejszej familii, tym silniej y istotniej te obowiązki spełniając, im słodsza Jego nad nami okazuje się litość.

Porządek wszakże wewnętrznie duchowny iest nieodbiecie z winnych powodów prawa potrzebny, tak naytroskliwiey naszą pasterską czułość zaymuje y dla tego gdy w zbiegu zebranych zatrudnień rychle (iak żądamy) onego do należytego uregulowania doprowadzić y ustanowić nie możemy, nim przeto zręczność sposobną obmyślemy, aby bez jurysdykcji exekucye duchowieństwo, w gubernii Mińskiey zostające, z ludem prawowiernym greko-unitskim nie zostało, a w rekursach potrzebni zawady nie doświadczali, do dalszej woli naszey utrzymać, oraz potwierdzić naczelników rządów surrogacyjnych z assessorami y w nich w szczegulności dziekańskich, iakie dotąd zostawały, bez żadnej odmiany, postanowiliśmy, jakoż niniejszym obiawieniem surrogacyi Mińskiey za surrogata p. Ix. Jana Jachimowicza, kanonika, pisarza apostolskiego, parocha Biechowskiego; za assessorów I. xięży Korniliusza Wiernikowskiego Samochwałowskiego, Jana Marcinowskiego Radoszkowskiego parochów, tudzież pp. xx. Dziekanów Mińskiego, Puchowieckiego y Błonickiego i Ihumeńskiego, iacy dotąd po imieniu y nazwisku są; w surrogacyi Dziesniańskiey za surrogata przewielebnego imści xiędza Tymoteusza Pawłowskiego, kanonika, parocha Słonimskiego z assessorami Ichm. xięży Mikołajem Leśniewskim, dziekanem Dołhińskim, Komayskim, Michałem Zdanowiczem Porpliskim, parochami y dziekanów Hołubieckiego, Dołhinowskiego, Brasławskiego swój urząd sprawujących. Surrogacyi Bobruyskiej przewielebnego imści xiędza Jana Komara—dziekana Puchowieckiego, Lesznicko-Perezyrskiego parocha, za surrogata, z assessorami ichm. xięży Janem Suszczyńskim, dziekanem Bobruyskim, Lubowieckim, Janem Dancewiczem, Ihumeńskim dziekanem y parochami. Dziekanów

PP. XX. Bobruyskiego, Kleckiego, Hłuckiego, Za-Drucko Rohaczewskiego, Nieswieżskiego, którzy dopiero zostają. W surrogacyi Łohojskiej za surrogata przewielebnego imści xiędza Józefa Szydłowskiego, parocha Haieńskiego, z assessorami PP. XX. Benedyktem Kapuscińskim, kanon. dziekanem Łohojskim, Ilskim, Józefem Lesniewskim Markowskim, parochami y dziekanów Łohojskiego, Miadzielskiego y Borysowskiego. W surrogacyi Pińskiey P. JX. Bazylego Hreczkę, alumna papieskiego, z assessorami PP. xięży Adryanem Borodziczem y Ohejewiczem, dziekanów Pińskiego Michała Jaczynowskiego y Turowskiego, iacy dotąd swe urządzenie sprawowali, utrzymuemy y potwierdzamy, w Duchu religijnym y w miłości braterskiej onych obligując, aby ci mężowie rostropnością, doświadczeniem, naukami y gorliwością zaszczyceni w pomnożeniu naszego pasterowania zaufania tylo powierzone sobie urzędy piastować starali się, ile honor własny, dobro publiczne kleru y ludu, nagroda zasług y z przepisu praw służące prerogatywy wyciągały, iako też ile nasze udzielane chęci provisorie w szczegółnej ordynacyi każdemu z ichm. XX. surrogatów do zachowania zostawione mieć chcą dopełnionemi.

Takowe zatem nasze pasterskie obiśnienie, aby każdego wiadomości doszło, PP. XX. respective swoich dziekanów, a ci do każdego parocha, lub administratora kursoryą nayprędzej obeszłą, opublikować w dni niedzielne zaleca. A przytym kapłanów do odprawienia molebenów z mnoholityem na podziękowanie wszechmogącemu Bogu, za szczególnie nam panującego Monarchę, z nayaśniejszą całą familią, a udziennie nam Ducha zasilającego y sił do dźwigania pasterstwa, w zaniesieniu modłów obowiązujemy, którym się wam, w Chrystusie bracia, poruczając, własne ręki przy wyciśnięciu pieczęci ten list okolny y roboracyiny podpisem stwierdzam.

Pisan w Mińsku, miesiąca 9-bra 9 dnia, 1798 roku.

JOZAFAT BUŁHAK.

## 15.

*Torokanie, 6/Martii 24/Febr. 1799.*

*Gratias agit Legato Apostolico pro variis facultatibus et gratiis sibi collatis, per Procuratorem Antonowicz portatis.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 344/III, fasc. 36, n.n.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine.

Actum translationis meae in Episcopatum Brestensem, Instrumentum facultatum plurimarum concessarum, Instrumentum quoque Iurisdictionem ordinariam habendam super Religiosos OSBM meae Dioecesis, missa per R.P. Silvestrum Antonowicz, Provinciale ac meum deputatum Procuratorem, in integrum recepi. At cum in his persuasus inveniam, promptam benevolentiam testata est Sua Ill.ma, Exc.ma Dominatio; tantam ego grati-

tudinem exhibere sim adstrictus in promovenda pietate erga S. Catholicam Ecclesiam, cuius Supremus Pontifex, ut Providentia Divina adiutus longaevus atque incolumis existeret, preces continuas cum Clero et Populo Omnipotenti offerre, meum esse duco officium. Ac cum debito cultu et observantia maneo.

Ill.mi, Excellentissimi, Rev.mi D.ni humillimus et devotissimus Servus Torokaniis, 6 Martii/24 Febr. 1799.

JOSAPHAT BUŁHAK, Episcopus Brestensis.

## 16.

*Novogrodek, 21. V. 1799.*

*Littera pastoralis Josaphat Bulhak de sua confirmatione in episcopum Berestensem, de constitutione Consistorii in Novogrodek, designatio Praesidis et de quibusdam dispositionibus etc.*

*Ex Archivo monasterii Borunensis.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI, pag. 583-4, nr. 248, Vilna 1889.*

Wszystkiemu duchowieństwu tak świeckiemu, iako też zakonnemu, w gubernii Mińskiey y Litewskiey znayduiącemu się, oraz wiernym Chrystusowym jurysdykcyi naszey uległym, pokój w Panu y błogosławieństwo pasterskie.

Nietayno iest wam, w Chrystusie bracia, że Jego Imperatorska mość, Pan nasz naymiłościwszy, z troskliwości oycowskiej zaradzając potrzebie wiernopoddanych Tronowi swemu rzymisko-unitskiego wyznania chrześcian y trwałe dla duchowieństwa tegoż obrządku stanowiąc pasterstwa, naywyższym swym pod dniem 29 Julii 1798 roku, pod № 2837 datowanym, nas na godność Biskupa Brzeskiego nayłaskawiey postanowić y wywyszyć raczył. Takowemu ukazowi, z Departamentu justiccollegii Rzymско-katolickich dzieł, ukazem № 510, Augusta 13 dnia tegoż roku komunikowanemu, dopełniwszy uległość, którzyśmy starali się wszelkim rządzeniem ułatwiającą wymierzać satysfakcję, atoli stan y wewnętrzne uregulowanie do pótę trwały na dawniejszej osnowie, dopóki szczegółowych niezyskaliśmy obiasnień, a powagą naywyższą Stolicy Apostolskiej rządzącej nami głowy kościoła Piusa VI, papieża, przez brewe J.W. Lawrenciusza Litta, Arcybiskupa Tebańskiego, oratora,<sup>286</sup> z zupełną ku temu władzą Legata apostolskiego, 1798 X-bra 28 dnia datowane, zgodnie z postanowieniem Monarszym na pasterstwo Brzeskie installowanemi nie zostali.

<sup>286</sup> Laurentius Litta, Legatus pontificius Petropolitanus (1797-1799). Cfr. notam 269, et 276.

Na fundamencie przeto wyż wyrażonych solenności nam służących tym troskliwiej przystępujemy i w przyjętym obowiązku pasterzowania do urzęduń dyecezyi, im skutecznie załatwić żądamy. Uказем Jego Imperatorskiej mości rządzącego senatu dnia 20 miesiąca Maia 1798 roku wyszły w punkcie 5 przez słowa: « podobnież każdy dyecezałny biskup obowiązany mieć jednego officała, czyli generalnego wikarego dla zarządzenia pod nim dyecezyi z władzą, iaka od biskupa nadana onemu bydź może, stosownie do ich przepisów; Officiał ten zasiadać będzie w konsystorzu z surrogatem, czyli assessorami, w zdarzeniu zaś appellacyi od spraw rozsądzonych w konsystorzu nie przenoszą się one do biskupa, lecz do Departamentu, dla spraw kościelnych rzymskiego wyznania w stolicy naszej ustanowionego », przepis y im baczniejszą zwracamy uwagę, że ustanowienie konsystorza generalnego dyecezyi Brzeskiej winno iest odpowiadać zamiarom Departamentu justiccollegii, wygodzie powierzonej nam owczarni y rekurentom, a przeznaczające się do iego osoby exekucyi prawom y naszemu pasterskiemu zaufaniu, po przekonaniu się dōstatecznym z reportów, od podręcznych urzędników odbieranych, tak o liczbie cerkwiów parochialnych, iako też ich rozległości, dyecezyą Brzeską z guberniów Mińskiey y Litewskiey y Kurlandskiey składających, niemogliśmy dogodniejszego obmyślić mieysca na stałą rezydencją naszą, a tym samym wedle myśli Departamentu justickollegii lokacyją konsystorza Brzeskiego, iak miasto Nowogrodek, iako w proporcja pozycji dekanatów y beneficjów wszystkich dyecezyi naszej koncentralne.

Do którego, za poprzedniczym obwieszczeniem na termin oznaczony, w imie pańskie osobiście ziachawszy, konsystorz generalny Brzeski na gubernią Mińską y Litewską rozciągający się ufundować, oraz osób rzeczony konsystorz składać mających powagą naszą pasterską ustanowić umysiliśmy, iakoż przez niniejszy akt ze wszelką wedle prawa solennością funduiemy y do tego rządu za officała generalnego w całej Dyecezyi nayprzewielebniejszego imści xięda Macieja Korna, opata Grodzieńskiego, Z.S.B.W., dotąd namiesniczą władzę w gubernii Litewskiey gorliwie, czynnie y naychwalebniejszym sprawującego, z tytułem prezydenta; przewielebnego Tomasza Woszczyłowicza, kanonika, dziekana Grodzieńskiego za surrogata generalnego konsystorza z tytułem vice-prezydenta; za assessorow zaś cum voce decisiva przewielebnych ichmościów xiędy Jana Dylewskiego Słonińskiego, Eliasza Mokrzyckiego, Oszmiańskiego dziekanów y kanoników, Jana Marciniewskiego, parocha Radyszewskiego, Jana Sawicza, dziekana Nowogrodzkiego, Adryana Borodzicza, kanonika, Jana Komara, dziekana Puchowickiego, Jozafata Herbacewicza, dziekana Łohiszyńskiego, Antoniego Tupalskiego, parocha Dereczyńskiego, Franciszka Chocianowskiego, kanonika Brzeskiego, Grzegorza Czochralskiego, parocha Czerewaczyckiego, niemniej z zakonu S.B.W. Chryzostoma Ławrynowicza, Gerwazego Semetkiewicza, Joachima Obucha,

Jozafata Kłopotowskiego postanowiamy y utwierdzamy, spodziewając się po sercu y sentymientach tych mężów, że postanowienie takowe z urzędu tyle stosować do sprawiedliwości niezaniedbaią, ile ich nam wiadoma cnota, roztropność y znaiomość prawa, a przytym położone w dyecezyi zasługi za prawidło w obiekcie stosować będą. Dla czego żeby y powaga sądownicza w swey nie przerwanie trwała exekucyi y wymiar sprawiedliwości dla uciekających się w całej dyecezyi Brzeskiej naymnieyszey zwłoki nie ponosił, temuż konsystorzowi naszemu wszelką władzę sądowniczą w komplecie, z trzech osób porządkiem składającym się, co tylko z prawa kanonicznego, zwyczaiu y wewnętrzengo porządku służy, nadajemy y poruczamy, owszem wyłączając z pod tego sądu sprawy kryminalne y pure ciwilne, iako juryzdykcyi duchownej nienależące; wszystkie inne sprawy, iakie tylko do władzy paster-skiey są stosowne y służą, bez żadney excepcyi, pod rozpoznaniem, sąd y decydowanie stopniami processu, wedle przepisu praw y sprawiedliwości, konsystorzowi generalnemu podajemy; niemniej wszelkim urządzeniom Departamentowym Rządowym czołości y exekucją przynależną dopełniać nayściśley obowiązuiemy.

Takowe postanowienie, aby każdego pewności doszło, przez dziekanów respectywe w swych dekanatach, dla uległości powinney y wiadomości w punktach czynienia rekursów, rozpublikować zalecamy.

Datt. w Nowogrudku, Maia 21 dnia, 1799 roku.

JOZAFAT BUŁHAK.

## 17.

*Novogrodek, 29. VII. 1799.*

*Josaphat Bulhak ob distantiam nominat Pinsci Praelatum surrogatum eique Clerum committit districtuum eparchiae Pinscensis.*

*Ex Archivo monasterii Borunensis.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeohr. Kommissijeju, t. XVI, pag. 586-7, nr. 249.*  
Vilna 1889.

Ignacy Jozafat Bułhak, z Bożey i świętę stolicy apostolskiej łaski Biskup Brzeski, PP. J. XX. dziekanom, parochom, administratorom, wikaryuszom, komendarzom i wiernym Chrystusowym pokój w Panu i nasze pasterskie błogosławieństwo.

Kiedy odległe od rezydencji naszej położenie i sama wewnętrzna powiatów Pińskiego, Mozyrskiego sytuacja sprawiedliwie wielką trudność przedstawia tak w ułatwieniu rządowych rekwizycji, iako też w zaspokojeniu potrzeb i utrzymaniu w należytym porządku duchowieństwa, umyślimy przeto w mieście Pińsku przeznaczyć i ustanowić surogata, któryby i pozytkowi owczarni był dogodnym i w dostarczeniu praw i ustaw i rozrządzeń

wszelkich, a zatem iako zważywszy i zupełnie przekonany zostając, iż nay-przewielebniejszy, J. X. Paschazy Leszyński, Z.S.B.W.<sup>287</sup> opat Leszczyńskiego klasztoru zamiary nasze nayzręczniew w tamtych stronach uskuteczniać potrafi i zechce, tegoż J. X. Leszyńskiego za surogata Pińskiego niniejszym instrumentem, vim creationis mającym, przeznaczamy, któremu poruczamy i zalecamy i zupełną władzę do dalszych woli naszych daćmy, raporty, od kogo będą przysłane, przyjmować, rezolucję dawać, konsystorzowi przesyłać, zalecenia zwierzchności do skutku przyprowadzać, czołości w dopełnianiu obowiązków parochialnych i całkiem z teologii kwartałowe i roczne examina aby były odprawione pilnować, do wakujących Beneficów za poprzedniczym odbytym z teologii examinem administracye wydawać i one prorogować, kapelanów do słuchania spowiedzi approbować, a mnichom zdatnym takową approbatę do czasu powzięcia nauki przyzwoitej zawieszać, konsensa in ordine wyprowadzenia inkwizycyi dla aspirujących do stanu duchownego zabierających się, do instytucji wydawać, rotuł zaś inkwizycyi z opinią własną dla otrzymania dekretu habilitatis do konsystorza odsyłać, sprawy z nakazu i polubownie, osobliwie z instancyi instygatora wypadające, rozsądzać, decydować, nie kontentujące się strony dla rozpoczęcia kroku prawnego procederu do nas i konsystorza naszego przedstawić, nieposłusznych karać, suspendować, poprawnych od suspensy uwalniać, indulta uwalniające od zapowiedzi w części lub w całku z sprawiedliwych przyczyn wydawać, kamień pierwszy na zabudowanie cerkwi, kaplicy z nabożeństwem w rytuale przepisanym zakładać, cmentarze, cerkwie, kaplice święcić, iżby kamień pierwszy mógł być założony, przez podręcznych obrządkiem przyzwoitym świętowany, pozwolenia udzielać, oraz inne łaski osobno wyspecifikowane pod naszym imieniem i pieczęcią wydawać i to wszystko, cokolwiek od nas iak teraz ies, iako i późniejsz zleconym bydź może, lub od konsystorza kommunikowanym, tudzież cokolwiek z prawa, z urzędu lub zwyczaju służby, uskuteczniać,<sup>288</sup> przykazując w mocy posłuszeństwa duchowieństwu i wiernym Chrystusowym, w powiatach Pińskim, Mozyrskim i Rzeczyckim mieszkającym, aby tak usta-

<sup>287</sup> Paschasius Leszynskyj, Basilianus, Rector Collegii Vilnensis. Hic post suppressionem Soc. Jesu obtinuit Rectoratum Vilnensem, quem fere 20 annos tenuit; in cap. provinciali Bythenensi an. 1792 electus in Provincialem Lithuaniae, ut patet ex Cap. Generali Torokanensi an. 1802, ubi dicitur quod secunda vice electus fuit Provincialis. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 40-41. Archimandrita Leszczynensis erat iam ab anno 1799. Nominatus Surrogatus Pinscensis ab Episcopo Berestensi J. Bulhak praesenti littera, ubi eius iura, facultates et obligationes enumerantur.

<sup>288</sup> In hac epistola omnia eius iura, privilegia, obligationes enumerantur, quae similia erat, ut videtur, et in aliis surrogatiis.

nowionemu przez nas surogatowi Pińskiemu, opatowi Leszczyńskiemu nay-przewielebniejszemu J. X. Leszczyńskiemu należyte uszanowanie oświadczałi, w zdarzonych potrzebach rekursa czynili, rezolucyom, rekwizycyom, nakazom uległemi byli i wszelkie rozrządzenia ochoczo i skutecznie dopełniali.

Datt. w Nowogrodzu, w rezydencji naszej przy cerkwi JJ. XX. Bazylianów, roku 1799, miesiąca Julij 29 dnia.

JOZAFAT, BISKUP.

### 18.

*Torokanie, 26. IX. 1802.*

*Collegio Romano-Catholico J. Bulhak refert de Capitulo Generali Torokanensi et de electione novae Curiae Generalis, sub Protoarchimandrita Justo Husakowskyj.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 347, fasc. 44, fol. 389rv.

Ad Venerabile Romano-Catholicum Spirituale Collegium a Josaphat Bulhak, Ecclesiarum Unitarum Episcopo Brestensi.

In virtute Suae Imperatoriae Majestatis, per Romano Catholicum Spirituale Collegium editi de die 9 Junii anni currentis mandati, in quo Athanasio Falkowski,<sup>289</sup> Protoarchimandritae Congregationis Ruthenorum Ordinis S. Basillii M. praescribitur, ut remotis omnibus, qua accedere possunt obstaculis et impedimentis, faciat necessarias dispositiones ad cogendum Generale Capitulum anno praesenti mense Septembri<sup>290</sup> in loco per se destinato.

Electus in Officio Generali huiusce Ordinis die 30 Junii anni currentis in Praesidem cum determinatione loci celebrandi Capituli Torokaniis et de

<sup>289</sup> Protoarchimandrita Basilianorum Athanasius Falkowskyj (1793-1802). Alumnus Coll. Urbaniani (1772-1773); in Cap. Gen. Zydyczynensi electus fuit Provincialis Lithuaniae; sed post ascensum Ważynskyj in Sedem Chelmensem (1790-1804) et mortem praeaturam Protoarchimandritae Maximiliani Wilczynskyj 18.VII.1793. Vicarius generalis Athanasius Falkowskyj electus est in eius Successorem, quem Sedes Apostolica statim confirmavit cum omnibus iuribus et privilegiis; sed tempora dura erant, praesertim sub finem regiminis Catharinae II et Pauli I, et eius regimen semper decretis imperialibus et etiam resolutionibus Heraclii Lisowskyj interrumpebatur et solummodo sub Alexandro I etiam nonnihil allevatum fuit et anno 1802 in Cap. Generali Torokanensi, praesidente J. Bulhak novus Protoarchimandrita Justus Husakowskyj (1802-1804) fuit electus; sed Capitulum non fuit a Gubernio approbatum et 1.III.1804 officium Protoarchimandritae suppressum, ipse vero J. Husakowskyj obiit die 14 Septembris 1806. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 294-296.

<sup>290</sup> Capitulum generale Torokanense celebratum est diebus 8-23 Septembris 1802, praesidente J. Bulhak. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 41.

hoc certior factus rogatusque fui a supralaudato Protoarchimandrita, ut ad Monasterium Torokanense in Dioecesi mea situm ad diem 8 mensis Septembris venire et Capitulo Generali praeesse non recusarem; de quo idem Protoarchimandrita die 16 Julii Romano Cath. Spirituali Collegio (fol. 389v) lectam etiam in Capitulo relationem fecit. Resolutione mea die 8 Julii lata petitioni eius annui, ac in terminum praefixum ad Monasterium Torokanense perveni, in quo Capitulum Generale Ordinis S. Basilii M. die 8 Septembris, sub mea praesidentia inchoatum et die 23 eiusdem mensis ordinate finitum, ac in eo secundum Statuta Ordinis canonice electus est in Protoarchimandritam die 17 Rev.mus P. Justus Husakowski,<sup>291</sup> praeteritus Provinciae Ruthenae Provincialis; in crastinum autem electi sunt in Consultores Generales V.A.R.P. Leo Demkowicz, Joannes Damascenus Rymaszewski, Adrianus Andruszkiewicz et Dionysius Romanowski.<sup>292</sup> De quibus Romano Catholico spirituali Collegio per praesentes defero.

Torokanie, die 26 Sept. 1802.

JOSAPHAT BULHAK, Ecclesiarum Unitarum Ep.pus Brestensis.

## 19.

*Novogrodek, 31. III. 1803 v.s.*

*Salutat Legatum Apostolicum Th. Arezzo, occasione eius adventus in Imperium Russicum et augurat omnia prospera etc.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 353, n.n.

Illustrissime, Excellentissime et R.me D.ne, Patrone Clementissime.

Ad Aulam Imperialem Domini nostri Clementissimi adventus Suae Ill.mae, Excellentissimae ac Rev.mae Dominationis,<sup>293</sup> praebens bene addictis Sacrae Apostolicae Sedi singulare motivum salutandi tam optatum hospitem, iniungit etiam officium praestandi documentum promptitudinis nostrae erga eandem Sanctam Sedem. Ac propterea cum tempore itineris sui ad dictam Aulam per Gubernium Grodnense (ubi commoror) latuit me locus, ubi potuisse personalem meam submissionem exhibere, ac proinde occasio tam suavis est praetermissa; his itaque litteris salutando suum adventum, precor enixe

<sup>291</sup> Protoarchimandrita Justus Husakowskyj electus fuit die 16 Septembris 1802, sed a Gubernio non fuit approbatus, imo officium suppressum, et Husakowskyj remansit Provincialis et die 14 Septembris 1806 obiit. Cfr. notam 289.

<sup>292</sup> Haec curia non exercuit officium suum, quia Gubernium Capitulum non probavit, imo officium Protoarchimandritae cassavit.

<sup>293</sup> Legatus pontificius Thomas Arezzo; venit Petropolim die 9 Aprilis 1803.

Omnipotentem Deum, ut omnia prospera, tam Sacrae huic Sedi, quam Suae Ex.mae ac Rev.mae Dominationi dignetur elargiri. Interim commitendo me, meumque gregem benignae eius protectioni, cum profunda veneratione maneo.

Vestrae Ill.mae, Ex.mae ac Rev.mae Dominationis addictissimus et humillimus Servus.

In Gubernio Lituano Grodnensi, Novogrodek, die 31 Martii 1803 anno, v.s.  
JOSAPHAT BULHAK, Ep. Unitorum, Ep. Brestensis.

## 20.

*Novogrodek, 16. VI. 1803.*

*Legato Apostolico Th. Arezzo de Alumnatu Vilnensi, eius necessitate, tum pro sustentatione Alumnorum tum Rectoris, tum existentia debitorum, de eius venditione, et translatione Seminarii in eparchiam Berestensem, de aliis aedificiis etc.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Ill.me, Excell.me, R.me D.ne.

Latere Excell.iam V.ram Ill.mam minime arbitror, in Litvania, quondam Regni Poloniae Provincia, in Civitate vero Vilnensi extitisse Alumnatum, seu Pontificium Collegium de latere cocto constructum,<sup>294</sup> in quo Clerici Ritus Rutheni-Catholici ad ministerium Ecclesiae, curamque animarum utiliter exercendam sumptibus S.ae Sedis erudiebantur.

A tempore, quo Italia, et praesertim ecclesiasticum territorium bello vastari caepit,<sup>295</sup> praedictum Vilnense Collegium consveta pro sui sustentatione subsidia, a S. Sede habere nequivit. Inde factum est, ut Rector Collegii (ita suadente Nuntio Apostolico Varsaviae protunc existente)<sup>296</sup> pro congrua Clericorum sustentatione debita contrahere, et Collegium aere alieno gravare addactus sit. Debta haec viginti millia Florenorum Polonicalium, seu, quod idem est, ad unum mille Hungaricalium excedere, quorum extinguendorum, cum alias non inveniretur modus, Em.mus ad praesens Cardinalis, protunc vero Archiep.pus Thebarum, et apud Augustissimum totius Rossiae Imperatorem Orator Apostolicus Litta,<sup>297</sup> praefati Collegii domum, cum aliis ejusdem

<sup>294</sup> Collegium Pontificium Vilnense inde ab anno 1582; anno 1753 die 5 Aprilis fuit renovatum, et educationi Cleri Uniti destinatum; ab anno 1773 concreditum directioni Basiliyanorum. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 129-32, nr. 725.

<sup>295</sup> Agitur hic de agressione napoleonica Italiae.

<sup>296</sup> Agitur de Nuntio Varsaviensi Ferdinando Maria Saluzzo (1784-1794) et forsitan Laurentio Litta.

<sup>297</sup> Archiepiscopus Thebarum Laurentius Litta (1786-1799); cardinalis ab anno 1801; annis 1809-1814 exsul Parisiensis; annis 1814-1818 Praefectus Congr. de Prop. Fide; abiit anno 1820.

pertinentiis Vilnae existentibus vendere, praetium ex venditione colligendum ad aeris alieni extinctionem convertere, residuum pro futuro Alumnatus usu ac manutentione retinere, ipsumque demum Alumnatum ex Civitate Vilnensi alio, intra tamen Brestensis Dioecesis limites, transferre in animum induxit; ad quae praemissa exequenda me Ep.pum Brestensem publico Instrumento suo, die 2/13 Martii 1799 anno, Petropoli confecto, communicatis ad praemissorum effectum opportunis, ac necessariis facultatibus, delegare constituit, et delegavit, eodemque Instrumento plenam potestatem dedit, ut praevia dictae domus valoris aestimatione, et publica Edictorum affixione ad ejusdem domus, et adnexorum venditionem favore majoris Oblatoris procedere, summas ex venditione colligendas recipere, Apochas, acceptilationsque Emptori tradere, caeteraque necessaria perficere possim ac valeam.

In sequelam hujus delegationis vocati varii nominis artifices ad peragendam domus taxationem, eandem ter mille Hungaricalium valere statuerunt. Affixa proinde Edicta, publicatum valoris praetium, et dies pro venditione favore majoris Oblatoris determinata. At cum in praefixo termino nemo inventus sit, qui summam ter mille Hungaricalium ex taxatione determinatam offerret, et Creditores Collegii serio instantent, ut sibi hoc in termino omnino satisfiat, hinc virtute ejusdem Delegationis, inito cum ARP. Paschasio Leszynski, praedicti Collegii pro tunc Rectore,<sup>298</sup> de proventibus, et expensis calculo, cum ex eodem intellexerim Proventum ab Expensis viginti milibus Florenorum Polonicalium superari, et hanc superantem pecuniam, utpote ex alieno aere conflatam, omnino ac necessario in instanti (sic urgentibus Creditoribus) solvere tenerer, ut multis itaque et varii generis creditoribus satisfacerem, coactus sum summam viginti millium Florenorum ab Ill.mo D.no Pusłowski, Mareschalco Slonimensi, ad triennium oppignorare. Completo triennio, cum pariter nemo alter, non jam majorem, sed nec determinatam ex taxatione summam pro haereditate toties dictae domus offerret, 1802 anno die 23 mensis Junii novi styli vendidi eam perpetuo, ac irrevocabili Jure supra dicto Mareschalco Pusłowski pro summa ter mille Hungaricalium, ex taxatione constituta, Instrumentumque venditionis delegata mihi, ut supra, potestate publicis actis roboravi.

Et quoniam pro extinctione contracti per Collegium debiti unum mille Hungaricalium plene sufficiens erat, hinc duo millia Hungaricalium apud eundem D.num Marescalcum Pusłowski, tanquam sufficiens ad respondendum pignus habentem, ad decursum inde sex annorum retineri volui, ea adjecta

<sup>298</sup> P. Paschasius Leszynski, Archimandrita Leszcynensis, fuit Rector Collegii Pontificii Vilnensis post suppressionem Soc. Jesu an. 1773, forsitan usque ad annum 1792, Capitulum Bythenense an. 1792, quando fuit electus Provincialis Prov. Lithuaniae. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basiliyanorum*, pag. 40.

cautela, ut a praedicta duorum millium Hungaricalium summa census quinque a cento, ab integra vero Capitali summa centum Hungaricales pro re, et commodo Seminarii Dioecesanii Brestensis (quod in Monasterio PP. Basiliyanorum Lavrisoviensi non procul a Residentia mea, sub eorundem cura, et institutione locatum) singulis annis persolvantur; finito vero sexennii tempore integra Capitalis duorum millium Hungaricalium summa a D.no Marescalco Pusłowski recipi, ut alteri cuiquam, majore cum emolumento Seminarii mutuo dari poterit.

Ad praedictum Pontificium Vilnense Collegium pertinebat quoque, ac etiamnum pertinet area in suburbio Lukiszki dicto posita, ligneo tam sepiamento circumducta, cujus partem arbores fructiferae obtinebant, pars vero necessariis oleribus conserebatur; ibidem extabat lignea domus, quam Clerici relaxandi animi gratia statis temporibus adire solebant. Motibus bellicis ad Regnum quondam Poloniae, et successive ad Civitatem Vilnensem devolutis, domus, sepimenta, imo et arbores in praedicta area plantatae igne combusta; remansit nuda, cunctis animalibus aperta terra. Hanc utpote nullum ad praesens fructum adferentem, vigore Delegationis pariter vendere volui, atque cum PP.bus Basilianis Vilnensibus suam quoque aream praedictae adjacentem habentibus, ac propterea et illius acquisitionem cupientibus, oretenus de Quanto conveni. Verum ab adjecta in Delegationis Instrumento verba: «Injungimus, ut extincto debito, fundos caeteros superextantes, et eidem Alumnati quolibet modo pertinentes ad futuram S. Sedis dispositionem retineat atque conservet», nihil quidquam de ea statuere potui. Cum autem eadem area non modo nullum ad praesens fructum adferat, sed nec allatura speratur, nisi notabili hocque futurum fructum superante cum dispensadio sepibus cingatur, et idoneo custode provideatur, interea vero terragium, et varii tituli contributiones ex eadem area pro summa trecentorum Hungaricalium cum PP.bus Basilianis oretenus constituta divendatur, et pecunia ex venditione colligenda superiori Capitali summae adjungatur et in censum annum pro perpetuo Seminarii commodo elocetur. Quam meam opinionem, si Excell.ia V. Ill.ma probaverit, me ad hujusmodi venditionem rite, ac valide peragendam, necessariis ac oportunis facultatibus non deditabatur providere.

A publica licitatione, et venditione remanserunt quoque varii generis utensilia et Biblioteca, quae ex alte dicto Pontificio Collegio ad Dioecesanum Brestense Seminarium utpote eidem necessaria, si Excellentia V. Ill.ma transmitti sibi voluerit, mandatis ejus obtemperare non omittam, ac interim cum profundissimo obsequio maneo.

Ill.mae, Excell.mae, R.mae Dominationis Suae humillimus et adictissimus Servus

JOSAPHAT BUŁHAK, Episcopus Unitorum Brestensis.

VS, 16 die Junii, 1803 anno, in Gubernio Grodnensi. Novogrodek.

## 21.

*Novogrodek, 21. II. 1804.*

*De formando Processu canonico Gregorii Kochanowicz, et de non comparitione  
Nominati nec Emissarii eius, quo Processum facere est impossibile.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 93, nn.

Ill.me, Excell.me, R.me Domine.

Editum Instrumentum a Sua Excell.ma, R.ma D.one pridie nonas Junias anno 1803 ad formandum per me processum Ill.mi, R.mi D.ni Gregorii Kochanowicz,<sup>299</sup> Nominati Suffraganei Polocensis, in charactere Episcopali constituciendi, cum receperim, una cum literis Ill.mi, R.mi D.ni Metropolitani Romani Ritus, volui, quantum fieri potuisset, hunc actum conficere, ac cum pari reverentia ad Suam Excell.m D.onem transmittere. Sed quoniam innotuit mihi ex literis ad me directis Ill.mi, R.mi D.ni Metropolitani certum factum esse Ill.mum, R.mum Nominatum, tam de emanato Instrumento sui processus a S. Sede, tam quod ad me fuerat transmissum, et actus ille demandatus, ut debueram aspectari Ill.mi adventum per se, vel per suum Emissarium. Qui cum ad hoc tempus praefatus Nominatus neque per se, neque per suum Emissarium cum requisitis testibus comparuerit, proinde non mea ratione, sed ipsius Ill.mi, R.mi D.ni Nominati retardatione et inaccessu, processus ille neque est inceptus. Quo igitur in statu existit causa mihi comissa processus illius, necessarium duxi notificare Ill.mam, Excell.am, R.mam D.onem, quod praesentibus implendo, maneo cum profundissimo cultu et veneratione.

Ill.mi, Excell.mi, R.mi Domini humillimus Servus

JOSAPHAT BUŁHAK, Episcopus Unitus Brestensis.

Die 21 Februarii, 1804 anno, in Gubernio Grodnensi. Novogrodek.

## 22.

*Novogrodek, 16. VI. 1804.*

*Certiorat de confectione Processus canonici Gregorii Kochanowicz et eius transmissione ad Archiepiscopum Mohiloviensem, ut eum ulterius transmitteret.*

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 85, nn.

Ill.me, Excell.me, R.me Domine.

Comissum mihi negotium Instrumentum Ill.mi, Excell.mi, R.mi D.ni postridie nonas Junias 1803 anno emanato conficiendi, processum Ill.mi D.ni

<sup>299</sup> Processus Gregorii Kochanowicz, Suffraganei Polocensis, fuit factus eodem anno 1804. Anno tandem 1806 consecratus fuit, a novo metropolita ex nominatione Alexandri I.

Gregorii Kochanowicz, Nominati Episcopi Suffraganei Polocensis, illumque transmitendi ad Sacram Sedem, hac via, qua fuerat mihi notificatum transmisi, ad Illum, Excell.um Romanae Ecclesiae Catholicae Metropolitanum,<sup>300</sup> ut cum pari reverentia ad Sedem Apostolicam mittatur. De quo expleto meoque negotio, atque officio cerciorare insimul Ill.um, Excell.um, R.um D.um honoris mei duco, ac una cum propensae submissionis documento, debitum cultum praebens, maneo

Ill.mi, Excell.mi, R.mi Domini humillimus Servus

**JOSAPHAT BUŁHAK**, Episcopus Brestensis.

Die 4/16 Julii, 1804 anno, in Gubernio Grodnensi. Novogrodek.

### 23.

*Petropolis, 6. VI. 1817.*

*Iosaphat Bulhak, nominatus Metropolita Ruthenorum catholicorum in Imperio Russico, petit confirmationem apostolicam nominationis suae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi*, vol. 19, fol. 186rv.

MUH, vol. VIII, pag. 43, nr. 25.

Duplicata supplicis libelli ad Beatissimum Patrem, officiose per Ministrum Suae Imperatoriae Maiestatis, a nominato Metropolita unitorum Graecorum cum Ecclesia Romana in Rossia<sup>301</sup> missi Romam.

Beatissime Pater.

Augustissimus totius Rossiae Imperator Alexander I benignissima sua voluntate erga Graeci Ritus Ecclesiasticos cum Ecclesia Romano-Catholica unitos nominare me infra scriptum dignatus est in Metropolitam in suo Imperio unitarum Ecclesiarum; quam nominationem assecutus, ac intendens Bullae piae recordationis Clementis VIII editae anno 1595, die 7 Kalendis Martii, quae incipit *Decet Romanum Pontificem*,<sup>302</sup> in qua decernitur, ut nominatus de iure, antequam ad executionem iurisdictionis suae metropoliticae accedat, prius supplicet et obtineat speciales gratias a Sede Apostolica huic gradui metropolitano competentes, in hac Bulla expressas, coeterasque a iure canonico requisitas formalitates, ac ab eadem Apostolica Sede sit approbatus.

Hoc motivo ductus, supplicem (*fol. 186v*) hunc libellum ad pedes Suae

<sup>300</sup> Ad metropolitam latinum Mohiloviensem Stanislaum Bohusz Siestrzencewicz (1784-1825).

<sup>301</sup> Josaphat Bulhak misit suam petitionem per Ministrum Imperiale ad Sanctum Patrem et ad Cardinalem Litta an. 1817, 6 Junii.

<sup>302</sup> Cfr. in *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. I, pag. 267-8, nr. 152.

Sanctitatis<sup>303</sup> provolutus infrascriptus Orator transmitto, ac humillime supplico, ut has gratias apostolicas, quibus praeteriti Ruthenorum unitorum Archiepiscopi-Metropolitae utebantur, in quorum favorem praelaudata Bulla edita est, etiam in praesenti habeam, et possim eisdem gaudere, ad gloriam omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, eiusque fidelium utilitatem.

JOSAPHAT BULHAK, nominatus Metropolita, Episcopus Brestensis.  
Petropoli, anno 1817, die 6 iunii.

## 24.

Petropolis, 6. VI. 1817.

*Iosaphat Bulhak, nominatus Metropolita, card. Littae, eiusdem argumenti.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi*, vol. 19, fol. 187-188.

MUH, vol. VIII, pag. 44-45, nr. 26.

Duplicata literarum ad Em.mum S. Romanae Ecclesiae Cardinalem de Litta, Praefectum de Propaganda Fide,<sup>304</sup> officiose per Ministrum Suae Imperatoriae Maiestatis, a nominato Metropolita unitorum cum Ecclesia Romana in Rossia Romam missarum.

Eminentissime.

Divina dispositione factum esse arbitror, ut quemadmodum in prima mea promotione in episcopum Brestensem ex parte Sedis Apostolicae, Suam Eminentiam protectorem favoris huius supremi invenerim, dum anno 1798, a Sua Imperatoria Maiestate, felicis recordationis Paulo I, me designatum in episcopum Brestensem Sua Eminentia tanquam Legatus Sedis Apostolicae, et apud Augustissimum totius Rossia Imperatorem Petropoli orator,<sup>305</sup> hanc nominationem auctoritate apostolica approbaverit, ac translatum ex episcopatu Turoviensi in pastorem huius Brestensis dioeceseos benignissime anno 1799 instituere dignatus sis; ita quoque in hac providentia, cum Augustissimus Imperator et Autocrator totius Rossiae Alexander I, Dominus noster clementissimus, voluerit clementia sua in Metropolitam unitorum cum Ecclesia Romana in suo Imperio me designare, permittens uti omnibus privilegiis, quibus gaudebant praedecessores huius tituli et dignitatis (*fol. 187v*) iterum Suam Eminentiam ut Praefectum Congregationis de Propaganda Fide,

<sup>303</sup> Ad Pium PP. VII (1800-1823).<sup>304</sup> Laurentius Litta; Nuntius Varsaviensis (1796-1799), cardinalis ab anno 1801, dein exul in Gallia (1809-1814), Praefectus Congr. de Prop. Fide (1814-1818). Obiit anno 1820. Cfr. plurimas notas.<sup>305</sup> Annis 1797-1799; venit Petropolim ut Legatus pontificius ad coronationem Pauli I, Imperatoris (1796-1801). Abiit anno 1799, die 9 Maji «inter quatuor horas». Cfr. W. MEYSZTOWICZ, *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, Vaticani 1944, pag. 42.

a Sua Sanctitate designatum, meo et communi omnium Unitorum nomine venerari aequum esse cernens, de praesenti nominatione mea in Metropolitam certiorem facere honoris mei, et quod iuris est, necessarium duco.

Hoc motivo debitae submissionis et obedientiae supplicem libellum ad Suam Sanctitatem directum in annexis praesentium literarum transmitto, ac humillime precor, ut haec supplicatio mea ad notitiam Suae Sanctitatis opportune devenire possit, praesertim quod dioecesis Luceoriensis, a suo pastore episcopo orbata, functo vita ultimo episcopo Gregorio Kochanowicz,<sup>306</sup> nominatum a Sua Imperatoria Maiestate Iacobum Martusewicz,<sup>307</sup> doctorem s. theologiae et ss. canonum, ab anno 1814 nondum habeat consecratum; ad effectum vero huius ordinationis et institutionis, iuxta tenorem Bullae piae recordationis Clementis VIII *Decet Romanum Pontificem*, post asse- quutam electionem vel nominationem, quivis unitorum Metropolita beat ad auctoritatem Sedis Apostolicae adire et supplicare suam institutionem, vigore cuius omnes (*fol. 188*) actus concernentes dignitatem et officium metro- politanum canonibus ecclesiasticis legitimantur, praesertim cum in hac Bulla praelaudata consecratio et institutio sedium vacantium episcopalium inten- ditur et exprimitur.

Ut vero reddam certiorem Suam Eminentiam de meae vitae curriculo, quae probata sunt authenticis documentis, quaeque in anteactis inquisitio- nibus ordinationis meae in episcopum Turoviensem et coadiutorem Pinscen- sem,<sup>308</sup> tum etiam in causa translationis in episcopatum Brestensem<sup>309</sup> fuerunt producta, et iis omnibus documentis expromptam, iuxta ordinem temporis in brevi transmitto notitiam per Exc.mum, R.mum D.num Metropolitam Archiepiscopum Romano-catholicarum Ecclesiarum in Rossia, Stanislaum Siestrzencewicz, visam, signatam, sigilloque eius munitam, ut omni modo, quo possum, impleam praescripta iuris ecclesiastici in moderna providentia meae promotionis in Metropolitam, ac, ut dignum est, sincerum erga Sedem Apostolicam affectum et devotionem manifestem, quibus innexus cum debita veneratione ac pari cultu maneo.

Anno 1817, 6 Iunii, Petropoli.

Vestrae Eminentiae humillimus et devotissimus Servus

JOSAPHAT BULHAK, nominatus Metropolita, Episcopus Brestensis.

<sup>306</sup> Gregorius Kochanowicz, Metropolita et Episcopus Luceoriensis obiit anno 1814.

<sup>307</sup> Jacobus Martuszewicz, Episcopus Luceoriensis (1814-1826) dein Polocensis (1826-1833).

<sup>308</sup> Promotus fuit in Coadiutorem Pinsensem cum titulo Episcopi Turoviensis annis 1787; cfr. Bulla promotionis in *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. II, pag. 280-281, nr. 852, die 24 Aprilis 1787; consecratus a Metropolita Rostockyj die 26 Septembris 1790; cfr. supra in *Documenta biographica*, nr. VIII, pag. 341.

<sup>309</sup> Cfr. *Documenta biographica*, nnr. X, pp. 343-352.

## 25.

*Zyroviciis, 14. III. 1818.*

*Nominatus metr. Bulhak card. Littae iterum petit approbationem nominationis sua; refert de nominationibus Episcoporum et de monasteriis Basilianorum; facultates dispensandi super impedimento bigamiae quaerit; formam iuramenti professionis fidei a se emissi accedit.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi*, vol. 19, fol. 230-231v.

MUH, vol. VIII, pag. 47-50, nr. 28.

Eminentissime.<sup>310</sup>

Quamprimum supervenit nominatio mea in Metropolitam unitarum in Rossia Ecclesiarum, statim una cum tabula inquisitionum, confecta ab Ill.mo Archiepiscopo Mohiloviensi, Stanislao Siestrzencewicz,<sup>311</sup> de meis ex ordine promotionibus, signatis authenticis documentis, statuta lege supremi regiminis nostri, necessaria ad id scripta ad Sedem Apostolicam per Ministrum cultus transmisi Romam; quae arbitror iam esse devoluta ad manus Eminentiae Suae per Ministrum Suae Imperatoriae Maiestatis ad Aulam Apostolicam, comitem Italinski.

Ad approbandam nominationem meam, fateor deesse plurima, sed nonnisi ea, quae in moderna providentia exequi nequeant; ex quibus electio coepiscoporum<sup>312</sup> promotionem meam praecedere non potuit, cum statuta Imperii nostri vetent omnes congressus publicos, sine expresso supremo edicto, et effectum huius regulae nemo ex nostris confratribus postulare potuit, non habito iure a Sede Apostolica, post defunctum Metropolitam administrandi dioecesim metropolitanam, iuxta constitutionem Synodi Zamoscianae, titulo *de metropolitano*; neque habuimus quempiam approbatum ad hunc vel similem actum. Consensus autem episcoporum post sequutam supremam nominationem, quamvis facilime obtineri possit (cum omnes confratres mei promptissimo animo laetitiam suam ex hac elevatione mea significaverint, missis ad me gratulatoriis litteris), tamen motivo necessitatis ad actum confirmationis factus, in regimine authocratico quiddam durum redoleret. Nos vero ab omni suspitione curamus esse alieni, et suspensis quodammodo nostris privilegiis in praesenti rerum statu, praecipue in hoc desudamus, ut vinculum Unionis Sanctae cum capite Ecclesiae, Summo Romano Pontifice, retineamus, et pro posse tueamur.

<sup>310</sup> Cardinali Laurentio Litta, Praefecto Sacr. Cong. Prop. Fide (1814-1818).

<sup>311</sup> Stanislaus Bohusz Siestrzencewicz, Archiepiscopus Mohiloviensis (1783-1825).

<sup>312</sup> Electio episcoporum tunc temporis vere impossibilis erat in Imperio autocratico Moscovensi.

Hierarchia nostra unitorum anno 1795 paene suppressa tum quoad Metropolitam, tum quoad Episcopos dioecesanos, ac tradita (*fol. 230v*) curae solius Heraclii Lissowski, Archiepiscopi Polocensis.<sup>313</sup> At anno 1798, a Paulo I, in parte pro regimine solum fidelium unitorum quodammodo restituta, et tres dioecesani episcopi sunt constituti, nempe archiepiscopus Polocensis et episcopi Luceoriensis et Brestensis.<sup>314</sup> Anno 1807 augustissimus Imperator Alexander I dignitatem metropolitanam suscitavit et demandavit in personam Heraclii Lissowski, Archiepiscopi Polocensis,<sup>315</sup> dispartita dioecesi Brestensi in duas partes: unam in titulum dioecesis metropolitanae, ut antea fuit, designavit; alteram maiori in parte reliquit cum titulo dioeceseos Brestensis, huicque addidit circulum Bialostocensem, a rege Borussorum<sup>316</sup> sceptro Ros-siaco devolutum. Creavit quoque duos Suffraganeos, unum dioecesi metropolitanae cum eius consistorio, locavitque in civitate Vilnae, et nominavit Adrianum Holownia,<sup>317</sup> Abbatem Braslavensem ex Ordine S. Basillii Magni, qui consecratus est in titulum Orsensis quondam in Alba Russia episcopi; alterum suffraganeum Brestensem, nominatum olim episcopum Supraslien-sem a rege Borussiae, Leonem Jaworowski, Abbatem Suprasliensis monasterii ex eodem Ordine, qui etiam consecratus est episcopus cum titulo olim Vlodi-miriensis episcopi.<sup>318</sup> Demortuo Lissowski, in eius locum cathedrali Polocensi ecclesiae imperatorio edicto suffectus est Ioannes Krassowski ex clero, Alumnus pontificius Vilnensis,<sup>319</sup> Metropolita vero Gregorius Kochanowicz, episcopus Luceoriensis, professus statum Religiosorum S. Basillii Magni, a quo tam

<sup>313</sup> Revera Catharina II, cassando in Septembri 1795 Hierarchiam Unitam, reliquias fidelium commisit Heraclio Lisowskyj; cfr. supra sub hoc anno.

<sup>314</sup> Restitutae fuerunt anno 1798 eparchiae: Polocensis H. Lisowskyj, Luceoriensis in persona Stephani Levynskyj, et Berestensis in persona Josaphat Bulhak.

<sup>315</sup> Decretum imperiale nominationis Heraclii Lisowskyj evenit ab Alexandre I 24 Julii 1806; cfr. supra pag. 144.

<sup>316</sup> Circulus Bialostocensis restitutus fuit ad eparchiam Berestensem anno 1807 in s.d. Tilser Traktat, a Rege Prussiae Federico Wilhelmo III. Cfr. PELESZ J., *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, Wien 1880, vol. II, pag. 796.

<sup>317</sup> Hadrianus Holownia, Basilianus, Coadiutor Archimandritae Bracaviensis a rege Stanislao Augusto Poniatowski die 18 Februarii 1792 praesentatus, et die 30 Maii 1802 institutus; anno 1811 nominatus est Episcopus ad regendam eparchiam metro-politanam in Lithuania, cum tit. episcopi Orsensis. Obiit 1831; cfr. B. LENCYK, *op. cit.*, p. 45.

<sup>318</sup> Leo Javorovskyj, nominatus Episcopus Volodimiriensis, Archimandrita Supras-lensis; obiit anno 1833, cfr. W. LENCYK, *op. cit.*, p. 40.

<sup>319</sup> Johannes Damascenus Krasowskyj, Archiepiscopus Polocensis (1811-1826), dein Luceoriensis ab anno 1826. Erat Alumnus pontificius Vilnensis et longo tempore obiabat munus Procuratoris Archieparchiae Polocensis Petropoli. Cfr. supra, sub variis annis.

Archiepiscopus Polocensis, quam supra nominati suffraganei consecrati sunt anno 1811. Qui, antequam ad effectum consecrationis praelaudatorum episcoporum accederet, processum formavit in testimonium futuris temporibus,<sup>320</sup> quod aggressus est hanc consecrationem nondum a Sede Apostolica approbatus, motivo necessitatis ductus, ut ministros substitueret in Vinea Christi, et (*fol. 231*) quod ratione calamitatis in universali illo bello,<sup>321</sup> nullus aditus ad Beatissimum Patrem pateret. Hancque suam manifestationem tam episcopis Romano-catholicis quam unitis promulgavit, ac accedens ad actum consecrationis, professionem fidei et iuramentum obedientiae Sedi Apostolicae emisit. Functo hoc ultimo,<sup>322</sup> Luceoriensis episcopus nominatus est Iacobus Martusewicz<sup>323</sup> e clero saeculari, sacrae Theologiae et ss. Canonum doctor, nondum consecratus; dignitas autem metropolitica cessit in sortem meam.

Quod Sedem metropolitanam stabiendum, seu ecclesiam Cathedralem eligendam attinet, res non ita levis est momenti, ut possim aliquam eligere et electam proponere; est enim mihi ex parte certum, Supremum Regimen nostrum, sublato titulo, qui olim metropolitanis nostris Archiepiscoporum Chioviensium debelatur, ita praesumere, ut metropolitanum titulum cuivis ex episcopis dioecesanis conferre possit, id quod factum est in praedecessoribus meis, dum alter fuerat simul Archiepiscopus Polocensis, alter Episcopus Luceoriensis.<sup>324</sup> Igitur arbitror in hodiernis adjunctis humillime supplicare Sanctissimum Dominum, ut de plenitudine potestatis apostolicae hunc defecatum suppleat, vel cum ipso Augustissimo Imperatore faveat tractare, tum hac super re, tum de meliore in posterum nostro statu.

Quos in praesenti Hierarchia nostra unita habeat episcopos, superius enumeravi, tres nempe dioecesanos: Polocensem, Luceoriensem et mei tituli Brestensem, ac duos suffraganeos, ipsius scilicet metropolitae, et episcopi Brestensis. Ecclesias parochiales circa duo millia, monasteria Patrum Basiliatorum octoginta sex, e quibus quatuordecim curam exercent erudiendae iuuentutis in scholis publicis, reliqua autem curam animarum.

<sup>320</sup> S.d. «epikiam» a tribus episcopis subscripta: Kochanowicz, Bulhak, Krasowskyj; cfr. supra in *Documenta biographica Gregorii Kochanowicz*, die 5.I.1810.

<sup>321</sup> Agitur de bellis s.d. napoleonicis ultimis annis (1809-1814). Hoc tempore etiam Pius PP. VII in Galliam deportatus fuit, ubi usque ad annum 1814 permansit in captivitate.

<sup>322</sup> Gr. Kochanowicz anno 1814 vita functus est et hoc eodem anno Jacobus Martuszewicz in episcopum nominatus fuit (1814-1826), dein Polocensis (1826-33). Cfr. W. LENCYK, *op. cit.*, pag. 45.

<sup>323</sup> Episcopus Luceoriensis Jacobus Martuszewicz (1814-1826).

<sup>324</sup> Agitur de Heracio Lisowskyj – Polocensi (1784-1809), et Gregorio Kochanowicz – Luceoriensi (1807-1814).

Tandem humillime precor, ad utilitatem fidelium ampliores mihi (*fol. 231v*) concedere a Sancta Sede Apostolica facultates, praecipue in impedimento bigamiae; varii enim dantur casus, in quibus utilitas locorum, vel personarum ad statum ecclesiasticum promoveri cupientium hac dispensatione indiget.

Paratum me esse, et fore profiteor ad ea omnia, quae mihi imponat Sancta Sedes Apostolica, ut impleam vocationem meam, in honorem omnipotentis Dei et utilitatem Ecclesiae eius.

Adnectens hisce litteris professionem fidei, cum iuramento, protectioni, benevolentiae, et favoribus me, meosque confratres episcopos committo, ac cum profundissimo cultu maneo

Suae Eminentiae, Protectoris singularissimi, humillimus et devotissimus Servus

IOSAPHAT BULHAK, nominatus Metropolita, Episcopus Brestensis.

Die 14 Martii, anno 1818, in gubernio Grodnensi, districtu Slonimensi, in monasterio Patrum Basilianorum Zyrovicensi.

## 26.

*Zyroviciis, 15. III. 1818.*

*Forma iuramenti et professionis fidei a nominato metr. Bulhak emissi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi*, vol. 19, fol. 232-235.

MUH, vol. VIII, pag. 50-54, nr. 29, excerpta.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Ego IOSAPHAT BULHAK, nominatus Ecclesiarum Romano unitarum in Imperio totius Rossiae Metropolitanus, Episcopus Brestensis, Archimandrita Onufriensis, firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

